Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
RB
17
286
ROMA

RB 286

EVTROPII

V. C. HISTORIAE ROMANAE Breuiarium, Libris X res ab Vrbe condita uſque ad annum eiuſdem MCIX mirabili & compendio & ordine complectens:

Quod hactenus corruptißimum, nunc demùm antiquorum exemplarium collatione, atq; Antonij Sconhouij, Eliæ Vineti, & Henrici Glareani opera ac fide integritati ſuæ reſtitutum editur.

Acceſſerunt etiam doctiſſ. Annotationes HENRICI GLAREANI & ELIAE VINETI, unà cum rerum & uerborum in iiſdem memorabilium INDICE copioſo.

Cum Cæſ. Maieſtatis gratia & priuilegio.

BASILEAE, PER [redacted]
nem Oporinum.

G. CASSANDRI.

Hactenus Eutropij titulum, nomenq;: ſed ipſum
Nunc demum Lector conſpicis Eutropium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOmino, D. RUDOLPHO Abbati Domus Fauorinæ, apud Sarunetas in Rhætijs, H. Glareanus S. P. D.

DE noſtris in hunc authorem lucubrationibus dicturus, optime Antiſtes ac Præſul integerrime, primùm de ipſo authore uerba faciam: nec id, quod forſan alicui uideri poſsit, temerè, ſed propè coactus. Fuit ſanè ante annos aliquot, cũ authores inemendati uulgò nullo diſcrimine legerentur, exiſtimarenturq; ueteres ac omnes magni, quicunq; aliquam ſpeciem antiquitatis haberent. Nemo Liuium, Salluſtiumq; ab Ælio Spartiano, Lampridio, Vopiſco ſecernebat. Cicero & Macrobius eodẽ loco habebantur. Et inter Grammaticos, Donatus Priſciano conferebatur: imò ſtupidorum iudicio, Priſcianus pluris Donato fiebat. hoc unũ ſeculorum priorum uitium fuit ingens.

Alterũ peius & pernicioſius, quod nunc dicam, in ipſos etiã authores iniurioſum. Quippe mos erat, ut infantiſsimus quiſque magnis authoribus ſuas nugaciſsimas adſueret nugas, illuſtrare ſe putans, cũ cõtaminaret: nec in profanis dũtaxat authoribus, ſed in ſacris etiã. quod præceptor noſter D. Eraſmus Roterodamus ſæpe & ore & ſcriptis queſtus eſt. Ita mediusfidius cum hoc autore Eutropio (ut ad rem noſtram diuertamus) actum eſt. Primùm iam contaminatus, perinde atq; uetuſtus author legebatur. Deinde naſutiores cœperunt ſcabra quædam in eo, ac temerè addita animaduertere, uerecundè tamen, ut Budæus lib. 5. de Aſſe. Aſſuerat enim ei, ut quidã tradunt, Paulus Diaconus, & inſuerat, imò (ut ſic dicã) inferſerat, quæ ipſi placebãt, duplo plura q̃ Eutropius ſcripſerat: quod initio ſtatim libri facilè uideri poteſt, qui uulgata inſpicere uolet exemplaria. Tandem bonis auib. prodijt optimus ille uir Antonius Schonhofius, qui ipſum authorẽ nobis, uelut ab inferis erutum, nitidum, ac ſua ueſte indutum exhibuit, abſterſa illa hiſpida barbariæ pelle, qua ab eodem Paulo malè amictus erat. Quo pio officio omneis

neis doctos ſibi deuinxit, effecitq;,ut ne
mo ſtudioſorum non fateatur ſe illi plu-
rimũ debere:ea potiſsimũ de cauſa,quòd
nullum authorem Latinũ habemus,qui
tam breuiter omnẽ Romanã hiſtoriam
nobis exhibuerit,atq; hic Eutropius:ni-
ſi Florum racematorẽ quis obijciat, non
eius generis ſanè forma. Hęc cum ita ſint,
ego neutiquã Paulum illum agens, aut
alium quempiam ſutorẽ:ut copioſior hic
author in hominũ manus prodiret,maio
re etiã quàm hactenus lectorũ utilitate,
meas ſeorſum adiũxi Annotationes, uix
æſtimandis partas laboribus:ea hercules
ſpe, quòd natura ita comparatum uide-
mus,perceptis aliqua in re,ac deguſtatis
principijs,gliſcit animus maiora percipe
re. Et cum ex huius authoris breuitate
id cõmodi eſt Romanę hiſtorię nouitijs,
quòd ſimplicib. hiſce apprehenſis,facilis
ſit deinde uel ad Liuiũ, uel ad quemuis
alium Romanæ hiſtoriæ authorẽ legen-
di facultas (tantũ boni habet ſimplex o-
mnis traditio) cogitaui ſuccurrendum
eſſe deſiderio plurimorũ,partim quibus
deeſt codicũ bonorũ copia,partim quos
tẽporis anguſtia nõ patitur per omneis,
ut opus eſſet,authores uolitare. Curaui
 igitur,

igitur,ut huic Eutropij Epitomę addere tur, quicquid memoratu dignum eſſet, quod penes optimos quoſq; Romanos uel reperiſsē, uel inueniſſem hiſtoricos. Hos tibi labores noſtros integerrime Pręſul ac Cognate dedicare placuit, ut renouarem germanam illam parentū noſtrorum amicitiā,qui inuicem plurimū & amarunt & coluerunt. Nos uerò ob ſtudiorū noſtrorū neceſsitates locorū diſtantia ſeparati ſumus. Inter maiores tuos, qui Baronis officiū multis annis in ciuitate noſtra,Claronę cum laude obtinuerunt:Auus hercle tuus patri meo coniunctiſsimus fuit:Parens Clemētię tuæ adeò mihi intimus fuit, ut nullus cognatorū magis. Quippe qui,quāquam ego in longinqua natione,ſecutus literarum ſtudia uerſarer,ſemper tamen literis ſuis amantiſsimis inuiſerit,ut res patrię nunquam me etiam apud exteros laterent. Vir erat parens tuus omniū horarum homo: reb. ſerijs grauis, maturus,uerendus:lætis iucundiſsimus confabulator:quem unum uniuerſi, quoties iocari ſolebat,ſtupētes ammirarētur.Quoties,Dij boni,in Heluetiorū concilio patriæ legatus,quando ſerijs Reip. noſtræ negotijs trāſactis reſo

IOANNES STVCKY.

cillandi

cillandi eſſent Senatores, ipſe omnibus
ſpectaculo feſtiuiſsimis dictis ſuis fuit,
& quaſi miraculo Heluetiorũ urbibus.
Sępius, cũ è Lutetia, uel Friburgo Briſ-
goæ in patriã redij, ille mihi lepidiſsimis
iocis ſuis frontem exporrexit. Lepôres
erant non uulgares, non leues: ſed appo
ſiti, & rebus accõmodati, ut nunquã mi-
hi quicquã iucundius fuerit quàm apud
eum conuerſari. Chriſtianã pietatem, ma
iorum noſtrorum ueſtigia ſecutus, ita co
luit, ut omnib. uitæ honeſtate præluxe-
rit. Quantum aũt gauiſus ſim, quando
D. Aegidium Tſchudum generum eius
factũ percepi, ſorore tua in matrimoniũ
ducta, id uerò uix dici poteſt. Gaudeo eti
am (per Iouẽ mihi crede) haud mediocri
ter, quòd D. Henrichus Schüler, nepos
mihi chariſsimus, tibi tam dilectus eſt,
quàm qui dilectiſsimus. Sed de his aliàs.
Tuę Dignitati cõgratulor, quòd domus
Phauorina te nunc Abbatem cognoſcit.
Deus Opt. Max. q; tibi & corporis ſanita
tem, & mentis firmitudinem concedat,
ut te diutiſsimè incolumem uideamus.

Vale, & nos ama. Friburgi Briſgoæ,
Anno à Ieſu Chriſti natàli
M. D. L I I I I.

D. LVDOVICO A' FLANDRIA S. cubiculi Cæſaris præpoſito,ac Hollandiæ gubernatori,Ant.Schonhouius s. d.

CVM adminiſtrandæ reipub. ratio omnis ferè peti ſoleat aut è præceptis Philoſophorum, aut ab Hiſtoriæ exemplis: nos hæc libentius à Romanis accipere conſueuimus, quòd imperium eorum non modò ampliſſimum, & rerum geſtarum magnitudine præclarum, uerumetiam melioribus inſtitutis & legibus,quàm cæterarum nationũ,gubernatum fuerit. At uix aliquem in tanto ſcriptorũ eius gentis numero reperire liceat,qui iuſta breuitate, res tantũ publicas & ciuiles ab initio conſcripſerit,ſi unum Eutropium excipias: qui licet ſcripſit poſterius, neq; tamen minor eloquentia, & iudiciò etiam ſuperioribus fuit eminentior. Quod quo minus hactenus apparuerit,in cauſa fuit deformitas ipſius, quam intulit ei Paulus Diaconus. Is enim,iubente (ut notatũ inuenio) Domina Adilbergha,Deſiderij Longobardorũ regis filia,& coniuge Archi Beneuentani ducis,non ſolum auctoris huius hiſtoriam duobus libris ſuis produxit,ſed ipſam penè quoq; inuertit, dum multa ei de ſuo addidit, multaq; paſſim ademit,aut tranſpoſuit. Id quod ego cum ex collatione integerrimi exẽplaris(quod ſubminiſtrauit nobis R. D. Abbas ac Præpoſitus S. S. Ioannis & Bauonis apud Gandenſes) deprehendiſſem,nolui committere,quin tam utilem auctorem integritati ſuæ reſtituerem,ſyncerumq; ederem, ne poſthac (quod doctiſſimis etiam uſuueniſſe uidemus) Paulina pro Eutropianis citentur: quæ quantum diſtent, aliorum eſto iudicium. Tanta certè clade hũc ille affecerat, ut nulla inueniri impreſſa exemplaria, quæ caſtigationem ſuſtinerent,à me potuerint. Quare totum ipſe deſcribere coactus ſum. Quem laborem publicæ utilitatis ſtudiorum cauſa ſuſceptum,ideo nomini tuo dedicare uolui, quòd unus ſis inter heroas noſtros,qui de literis optimè iudicare potes. Bene uale. Brugis,Cal. Iulij. Anno à Natali Domini 1545.

ELIAS VINETVS
Lectori S.

ABundanter de rebus & copioſe ſcripſerant Græci Latiniq; authores permulti, quorum libros fuerunt qui ſtatim contraherent. Eutropius contrà, res Romanas ab Vrbe condita ad ſuam uſque ætatem breuiſsimè explicuerat: quo ſic Valentem, qui omniũ literarum ignarus ad Imperium perueniſſet, ad ſuperiorum ducum principumq; Romanorum res geſtas percurrendas alliceret. Inuenit uerò ille, qui ex L. Anneo, Floro, Euſebio, Sexto Victore, Hieronymo, Rufino, Oroſio & alijs, tam multa inſercirent, ut exemplar Baſilienſe Anni Chriſti M.D.XXXII, maius ſit decuplo, quàm quod ab authore ipſo editum fuerat. Illorum epitomas conqueruntur literarum ſtudioſi cauſam fuiſſe, cur Polybij, Trogi, Victoris, Vlpiani, & aliorum iuriſconſultorum præclara ſcripta interciderint. ſed qui Eutropij Breuiarium ita labefactauerant, quanto ſint de literis melius meriti, tuum eſto iudicium. Ego certè boni authoris uicem diu & multũ dolui, donec incidi tandem in antiquũ illum Dominicaliũ Burdegalenſium librum, ex cuius fide tam integrum damus id opus, ut nũc primùm editũ uideri poſsit.

Si quiſquam eſt autem ex elegantiæ ſtudioſis,

cui titulus à nobis repoſitus, inſolens atq; adeò barbarus, propter uulgarem Breuiarij ſignificationem, eſſe uideatur: is ſciat, ſcriptum librum, cuius antiquitati uel hoc loco plurimum tribuimus, ita habuiſſe, nec eſſe cur reijciamus, poſtquam Plinius & Suetonius breuiarium pro commentario, & ut nunc uulgò dicitur, epitome, multis locis uſurparunt: quamuis ſcribat Seneca in ea epiſtola quæ ſuarum trigeſimanona inſcribitur, ſuo tempore uulgo Breuiarium dici cœptum, quod antè, cum Latinè loquerentur Romani, Summarium uocabatur.

De authore ſolum hoc comperimus, Breuiarium hoc rerum Romanarum ad Flauium Valentē Auguſtum conſcripſiſſe, qui cū Valentiniano fratre imperare cœpit, ut putat Hieronymus, Anno Chriſti CCCLXVII. *in cuius Breuiarij libro ultimo obiter hoc de ſe attigit, militaſſe ſub Iuliano Auguſto, eiusq; in Perſas expeditioni interfuiſſe. Quod ſi præſtitiſſet, quæ in extremo eodem libro decimo pollicetur, illic fortaſſe plura de ſe memoriæ prodidiſſet. Chriſtianum ſunt qui fuiſſe conijciant ex his de eodem Iuliano: Nimius religionis Chriſtianæ inſectator, perinde tamen ut cruore abſtineret. ſcripſeruntq; quidam nuper, quòd monachus fuerit, & D. Auguſtini diſcipulus: ſed non ego credulus illis, qui nihil probant. nam neque unus apud*

Ammia-

Ammianum, Proſperum, Gennadium & alios etiam eodem tempore, Eutropius: neq; in ijs authoribus quicquam, quod ad hunc pertinere Eutropiũ aſſeuerare poſsis. Hoc *tantùm addiderim, Conſtantinopolitanum, ſeu quem ſe memorat* Ammianus Marcellinus *in extremo libro trigeſimo primo, Græcum & militarem fuiſſe, ex his poſſe conijci: primùm, quòd eius nomen unicum ſit, & Græcanicum: deinde, quòd oratio non admodum* Romana *(niſi ſi id ſæculo illi malis adſcribere) tum quòd bella ſit ſequutus, quæ in eo orbe ſunt geſta: poſtremò, quòd ad eum ſcripſit, qui apud* Conſtantinopolim, *partem* Imperij Romani Orientalem *adminiſtrabat.* Vale: Burdegalæ, x v. Cal. Iunias. MDLIII.

DOMINO VALENTI GOTHICO MAXIMO PERPETVO AVGVSTO.

Res Romanas ex uoluntate manſuetudinis tuæ, ab Vrbe condita ad noſtram memoriam, quę in negotijs uel bellicis uel ciuilibus eminebant, per ordinem temporũ breui narratione collegi: ſtrictim additis etiam jis quæ in principum uitis egregia extiterunt, ut tranquillitatis tuæ poſsit mens diuina lætari, prius ſe illuſtrium uirorum facta in administrando Imperio ſecutam, quàm cognoſceret lectione. 1

Eutropius v.c. peculiariter † ſuus.

† *fortè tuus.*

EVTRO-

EVTROPII LIBER PRIMVS.

ROMANVM Imperium, quo neq; ab exordio ullum ferè minus, neq; incrementis toto orbe amplius humana poteſt memoria recordari, à Romulo exordium habet: qui Rheæ Syluiæ Veſtalis uirginis filius, & (quantum putatus eſt) Martis, cum Remo fratre, uno partu editus eſt. Is cum inter paſtores latrocinaretur, octodecim annos natus, urbem exiguam in Palatino monte conſtituit, XI. Kal. Maij, Olympiadis ſextæ anno tertio: poſt Troię excidium, ut qui plurimum minimúmq; tradunt, trecenteſimo nonageſimo quarto. Cōdita ciuitate, quam ex nomine ſuo Romam uocauit, hæc fermè egit. Multitudinem finitimorum in ciuitatem recepit: centum ex ſenioribus elegit, quorum cōſilio omnia ageret, quos Senatores nominauit propter ſenectuté. Tunc, cum uxores ipſe & populus non haberent, inuitauit ad ſpectaculum ludorum uicinas urbis Romæ nationes, atque ea-

Liu. lib. 1. *Romulus Rex I. An. 37.*

rum uirgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum iniuriam, Cœninenſes uicit, Antennates, Cruſtuminos, Sabinos, Fidenates, Veientes. hæc omnia 2
oppida urbem cingunt. Et cum orta ſubitò tempeſtate non comparuiſſet, anno regni trigeſimoſeptimo, ad deos tranſiſſe creditus, conſecratus eſt. Deinde Romæ per quinos dies Senatores imperauerunt; & his regnantibus, annus unus completus eſt.

Interregnum anni unius.

Numa Pompilius 2 rex. An. 43.

Poſtea Numa Pompilius rex creatus eſt: qui bellum nullum quidem geſsit, ſed non minus ciuitati quàm Romulus profuit. Nam & leges Romanis moresq; conſtituit, qui conſuetudine præliorum iam latrones ac ſemibarbari putabantur. Annum deſcripſit in x menſes, prius 3
ſine aliqua diſputatione confuſum: & infinita Romæ ſacra ac templa conſtituit. Morbo deceſsit, quadrageſimo tertio imperij anno.

Tullus Hoſtilius 3. Ro. rex. An. 32.

Huic ſucceſsit Tullus Hoſtilius. hic bella reparauit: Albanos uicit, qui ab urbe Roma XII milliario ſunt. Veientes & Fidenates, quorum alij ſexto milliario abſunt ab urbe Roma, alij octauodecimo,

mo, bello ſuperauit. Vrbem ampliauit, adiecto Cœlio monte. Cum triginta duobus annis regnaſſet, fulmine ictus, cum domo ſua arſit.

Ancus Martius 4. Ro. rex. An. 24.

Poſt hunc Ancus Martius, Numæ ex
filia nepos, ſuſcepit imperium. Contra
Latinos dimicauit: Auentinum montẽ
ciuitati adiecit, & Ianiculum, apud Oſti-
4 am ciuitatem ſupra mare ſexto decimo
miliario ab urbe Roma condidit. XXIIII
anno imperij morbo perijt.

Priſcus Tarquinius 5. Ro. rex. An. 38.

Deinde regnum Priſcus Tarquinius accepit. Hic numerum Senatorum duplicauit, circum Romæ ædificauit, ludos Romanos inſtituit, qui ad noſtram memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos. & non parum agrorum ſublatum iiſdem, urbis Romæ territorio adiunxit, primusque triumphans urbem intrauit. muros fecit, & cloacas: Capitolium inchoauit. trigeſimooctauo imperij anno per Anci filios occiſus eſt, regis eius cui ipſe ſucceſſerat

Seruius Tullius 6. Ro. rex An. 44.

Poſt hunc Seruius Tullius ſuſcepit imperium, genitus ex nobili fœmina, captiua tamen, & ancilla. Hic quoque

Sabinos ſubegit. Montes tres, Quirinalem, Viminalem, Aeſquilinũ, urbi adiunxit. Foſſas circum murum duxit. Primus omnium cenſum ordinauit, qui adhuc per orbem terrarũ incognitus erat. Sub eo Roma, omnibus in cenſum delatis, habuit capitum LXXXIIII millia, ciuium 5
Romanorum, cum his qui in agris erãt. Occiſus eſt XLV imperij anno, ſcelere generi ſui Tarquinij Superbi, filij eius regis cui ipſe ſucceſſerat: & filię ſuæ, quam Tarquinius habebat uxorem.

L. Tarq. Superbus 7. Ro. rex, & ultimus, An. 25.

L. Tarquinius Superbus, ſeptim⁹ atque ultimus regum, Volſcos (quæ gens 6
ad Campaniam euntibus non longè ab urbe eſt) uicit: Gabios ciuitatẽ, & Sueſſam Pometiam ſubegit. cum Thuſcis pacem fecit, & templum Ioui in Capitolio ædificauit. Poſtea Ardeam oppugnans, in octauodecimo millario ab urbe poſitam ciuitatem, imperium perdidit. Nam cum filius eius, & ipſe Tarquinius iunior, nobiliſsimam fœminam Lucretiam, eandem pudiciſsimam, Collatini uxorem, ſtupraſſet, eaq; de iniuria marito & patri & amicis queſta fuiſſet, in omniũ conſpectu ſe occidit. Propter quam cauſam

7 ſam Brutus, parens, & ipſe Tarquinius,
populum cõcitarunt, & Tarquinio ade
mere imperium. mox exercitus quoque
eum, qui ciuitatem Ardeam cum ipſo re
ge oppugnabat, reliquit: ueniensque ad
ad urbem rex, portis clauſis excluſus eſt.
8 Cumq; imperaſſet annos uigintiquin-
que, cum uxore & liberis ſuis fugit.
Ita Romæ regnatum eſt per ſeptem re
9 ges annis ducentis quadraginta tribus:
cum adhuc Roma, ubi plurimũ, uix uſq;
ad quintũdecimũ milliariũ poſsideret.
Hinc Conſules cœpere pro uno rege *Liu. lib. 2.*
duo hac cauſa creari: ut ſi unus malus eſ- *COSS.*
ſe uoluiſſet, alter eum, habens poteſtatẽ
10 ſimilem, coerceret. Et placuit, ne im-
perium longius quàm annum unum ha
berent: ne per diuturnitatem poteſtatis
inſolentiores rederẽtur, ſed ciuiles ſem
per eſſent, qui ſe poſt annum ſcirent fu-
turos eſſe priuatos. Fuerunt igitur an-
no primo expulſis regib. Coſs. L. Iunius *Primi Coſſ. L. Iun. Bru-*
Brutus (qui maxime egerat ut Tarqui- *tus, L. Tarq.*
nius pelleretur) & L. Tarquinius Colla *Coll. An.*
tinus, maritus Lucretiæ. Sed Tarquinio *245. ab V. C.*
Collatino ſtatim ſublata dignitas eſt. pla
cuerat enim, ne quiſquam in urbe mane

ret,qui Tarquinius uocaretur. Ergo ac-
cepto omni patrimonio ſuo, ex urbe mi
grauit:& loco ipſius factꝰ eſt P. Valerius
Publicola Cos. Commouit tamen bellū
urbi Romæ rex Tarquinius, qui fuerat
expulſus: & collectis multis gentib. ut
in regnum poſſet reſtitui, dimicauit. In
Bruti mors. prima pugna Brutus Conſul, & Aruns
Tarquinij filius,inuicem ſe occiderunt.
Romani tamen ex ea pugna uictores re-
ceſſerunt. Brutum Romanæ matronæ,
defenſorem pudicitiæ ſuæ, quaſi com-
munem patrem per annum luxerunt.
Valerius Publicola Sp. Lucretiū Tri-
cipitinum collegam ſibi fecit, Lucretiæ
patrem: quo,morbo mortuo,iterum M.
Horatium Puluillum collegam ſibi ſum
pſit. ita primus annus quinq; conſules
habuit:cum Tarquinius Collatinus ur-
be ceſsiſſet propter nomē,Brutus prælio
periſſet,Sp.Lucretiꝰ morbo mortuus eſ-
Annus II. ſet.Secūdo quoq; anno iterū Tarquiniꝰ,
246. ut reciperetur in regnum,bellum Roma
nis intulit, auxilium ei ferente Porſena 11
Thuſciæ rege: & Romā penè cepit. Ve-
An. III. rùm tum quoq; uictus eſt. Tertio an-
247. no poſt reges exactos, Tarquinius cum
ſuſci-

ſuſcipi non poſſet in regnũ; neq; ei Porſena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium præſtaret, Thuſculum ſe contulit, quæ ciuitas non longè ab urbe eſt: atq; ibi per quatuordecim annos priuatus cum uxore perſenuit. Quarto anno poſt reges exactos, cum Sabini Romanis bellum intuliſſent, uicti ſunt, & de his eſt triumphatũ. Quinto anno, L. Valerius ille Bruti collega, & IIII Cos. fataliter mortuus eſt, adeò pauper factus, ut collatis à populo numis, ſumptũ habuerit ſepulturæ: quẽ matronæ, ſicut Brutum, annũ luxerunt. Nono anno poſt reges exactos, cum gener Tarquinij ad iniuriam ſoceri uindicandam, ingentem collegiſſet exercitum, noua Romæ dignitas eſt creata, quæ Dictatura appellatur, maior quàm Conſulatus. *An. IIII. 248.* *An. VI. 249.259.* *An. IX. 253.* *Dictatura.*

Eodem anno etiam Magiſter equitum factus eſt, qui Dictatori obſequeretur. neque quidquam ſimilius poteſt dici,
11 quàm dictatura antiqua huic Imperij poteſtati, quam nunc tranquillitas ue-
12 ſtra habet: maximè cũ Auguſtus quoq; Octauianus, de quo poſtea dicemus, & *Magiſt. Equitum.*

ante

ante eum C. Iulius Cæſar, ſub dictaturæ nomine atque honore regnauerint. Dictator autem Romæ primus fuit T. Largius: magiſter equitum primus Sp. Caſsius.

An. XVI. 260. Sextodecimo anno poſt reges exactos, ſeditionem Populus Ro. fecit, tanquam à Senatu atq; Conſulibus premeretur. *TR. PL.* Tum & ipſe ſibi Tribunos plebis, quaſi ꝑprios iudices & defenſores, creauit, per quos contra Senatũ & Conſules tutus eſſe poſſet.

An. XVII. 261. Sequenti anno Volſci contra Romanos bellum reparauerunt: uicti & capti, etiam Coriolos ciuitatem, quam habebant optimam, perdiderunt.

An. xviij. 262. *Cn. Martius.* Octauodecimo anno poſt eiectos reges, expulſus ex urbe Q. Marcius dux Romanorum, qui Coriolos ceperat, Volſcorum ciuitatem, ad ipſos Volſcos contendit iratus; & auxilia cõtra Romanos accepit, Romanosq; ſæpe uicit: uſq; ad quintum milliarium urbis acceſsit, oppugnaturus etiam patriam ſuam, legatis qui pacem petebant repudiatis, niſi ad eum mater Veturia & uxor Volumnia ex urbe ueniſſent: quarum fletu & deprecatione 13

catione ſuperatus, remouit exercitum. Atque hic ſecundus poſt Tarquinium fuit, qui dux contra patriam ſuam eſſet.

14 Cæſone Fabio & T. Virginio Coſs. *An. V. C. 275. liberata 31.* trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum ſoli ſuſceperunt, promittentes ſenatui & populo per ſe omne certamē implendū. Itaq; profecti omnes nobiles, & qui ſinguli magnorum exercituum duces eſſe deberent, in prælio conciderunt. *CCCVI Fabij cæſi,* Vnus omnino ſuperfuit ex tanta familia, qui propter ętatem puerilem duci non potuerat ad pugnam. Poſt hęc cenſus in urbe habitus eſt, *An. 291.* & inuenta ſunt ciuium capitum CXIX. millia.

Sequenti anno, cum in Algido monte, *Liu. lib. 3.* ab urbe duodecimo fermè milliario, *An. 296.* Romanꝰ obſideretur exercitus, L. Quintius Cincinnatus Dictator eſt factus: *L. Quint. Cincinnatus.* qui agrum quatuor iugerum poſſidens, manibus ſuis colebat. Is cum in opere & arans eſſet inuentus, ſudore deterſo, togā prætextam accepit: & cæſis hoſtibus, liberauit exercitum.

Anno CCC. & altero ab urbe condita, *An. 303.* imperiū Conſulare ceſſauit: & pro duo-

bus

Decemuiri lecti.

bus Coſs. decem facti ſunt, qui ſummã
poteſtatem haberent, Decemuiri nomi-
nati. ſed cum primo anno bene egiſſent,
ſecundo unus ex ijs Ap. Claudius, Vir-
ginij cuiuſdam, qui honeſtis iam ſtipen
dijs contra Latinos in monte Algido
militabat, filiam uirginem corrumpere
uoluit: quam pater occidit, ne ſtuprum
à Decemuiro ſuſtineret: & regreſſus ad
milites, mouit tumultũ. Sublata eſt De-
cemuiralis poteſtas, ipſiq; damnati ſunt.

X uiri ſublati.

An.315. Fidenatium bellum. Liu. lib.4.

Anno trecenteſimodecimoquinto ab 15
Vrbe condita, Fidenates contra Roma-
nos rebellauerunt. auxilium præſta-
bant his Veientes, & rex Veientium To
lumnius. quæ ambæ ciuitates tam uici-
næ urbi ſunt, ut Fidenæ VII, Veientes 16
XVIII milliario abſint. Coniunxerunt
ſe his & Volſci: ſed M. Aemilio dictato-
re, & L. Quintio Cincinnato magiſtro
equitum uicti, etiam regem perdiderũt.
Fidenæ captæ, & exciſæ.

An.350. Liu.lib.5.

Poſt XX inde annos, Veientani rebel-
lauerunt. Dictator contra ipſos miſſus
eſt M. Furius Camillus, qui primùm eos
uicit acie: mox etiam ciuitatem diu obſi
dens cepit, antiquiſsimam, Italiæq; di-
tiſsimam.

Veij capti. An.359.

tiſsimam. Poſt eam cepit & Faliſcos, non minus nobilem ciuitatem. ſed commota eſt ei inuidia, quaſi prædam male diuiſiſſet: damnatusq́ue ob eam cauſam, & expulſus ciuitate eſt. Statim Galli Senones ad urbem uenerunt, & uictos Romanos XI milliario ab urbe Roma, apud flumen Alliam ſecuti, etiam urbē occupauerunt: neque defendi quicquam niſi Capitolium potuit. quod cum diu obſediſſent, & iam Romani fame laborarent, à Camillo qui in uicina ciuitate exulabat, Gallis ſuperuentū eſt, grauiſsimeq́; uicti ſunt. poſtea tamen, accepto etiam auro ne Capitolium obſiderent, receſſerunt: ſed ſecutus eos Camillus, ita cecidit, ut & aurum quod his datum fuerat, & omnia quę cęperant militaria ſigna reuocaret. Ita tertiò triumphans, urbem ingreſſus eſt, & appellatus ſecūdus Romulus, quaſi & ipſe patriæ conditor.

Valerij capti.

Camillus exulat.

An. 364.

Vrbs à Gallis capta.

EVTROPII LIBER *Secundus.*

ANno CCCLXV ab urbe cōdita, poſt captam autem primo, dignitates mutatæ ſunt: & pro duobus Coſſ. facti Tri-

An. 365.
Liu. lib. 6.

Tribuni militares, Conſulari poteſtate. Hinc iam cœpit Romana res creſcere. ná
366. Camillus eo anno Volſcorum ciuitaté, quęper LXX annos bellum geſſerat, uicit, & Aequorú urbem, & Sutrinorum: atq; omnes, deletis eorum exercitibus, occupauit, & tres ſimul triumphos egit.

An. 375. T. etiam Quintius Cincinnatus Præneſtinos, qui uſq; ad urbis Romę portas bello uenerant, perſecutus, ad flumen Alliam uicit: & ciuitates quæ ſub ipſis agebant, Romanis adiunxit. Ipſumq; Prę 1 neſte aggreſſus, in deditionem accepit: quæ omnia ab eo geſta ſunt uiginti diebus, triumphusq; ipſi decretus. Verùm dignitas Tribunorum militarium non diu perſeuerauit. Nam poſt aliquantum nullos placuit fieri: & quadriennium ita 2 in urbe fluxit, ut poteſtates ibi maiores non eſſent. Reſumpſerunt tamen Tribuni militares Conſulari poteſtate iterú dignitatem, & triennio perſeuerauerunt. Rurſus Coſs. facti.

An. 390. Liu. lib. 7. L. Genutio, & Q. Seruilio Coſs. mortuus eſt Camillus: honor ei ſecúdus poſt Romulum delatus eſt.

T. Quintius Dictator aduerſus Gallos,

los, qui in Italiam uenerant, miſſus eſt.
3 Hi ab urbe quarto milliario, trans Anie-
nem fluuium conſederant. Nobiliſsim'
è ſenatoribus T. Manlius, prouocantem *T. Manlius*
Gallum ad ſingulare certamen, congreſ- *Torq.*
4 ſus occidit: & ſublato torque aureo, col-
loque ſuo impoſito, in perpetuum Tor-
quati ſibi & poſteris cognomen acce-
pit. Galli fugati ſunt: mox per C. Sulpi- *An. 397.*
tium dictatorem etiam uicti. Non mul
5 to poſt à C. Marito Tuſci uicti ſunt: ſe-
ptemq; millia captiuorum ex his in tri- *399.*
umphum ducta.

Cenſus iterum habitus eſt. Et cũ La- *An. 404.*
tini qui à Romanis ſubacti erant, milites
præſtare nollent, ex Romanis tantum
tyrones lecti ſunt, factæq; legiones de-
cem, qui modus ſexaginta uel amplius
armatorum millia efficiebat: paruis ad-
huc Romanis rebus, tanta tamen in re
militari uirtus erat. Quæ cum profectæ
eſſent aduerſus Gallos duce L. Furio:
quidam ex Gallis unum è Romanis, qui
eſſet optimus, prouocauit. tum ſe M. Va- *M. Valerius*
lerius Tribunus militum obtulit: & cũ *Cor.*
proceſsiſſet armat', coruus ei ſupra dex
trum brachium ſedit. mox commiſſa ad-

uerſus Gallum pugna, idem coruus alis & unguibus Galli oculos uerberauit, ne rectum poſſet aſpicere: ita à Tribuno Valerio interfectus, non ſolum uictoriam ei, ſed etiam nomen dedit. nam poſtea idem Coruinus eſt dictus. Ac propter hoc meritum, annorum trium & uiginti Coſ. eſt factus.

An. 415. Liu. lib. 8. Latini, qui noluerunt milites dare, hoc quoque à Romanis exigere cœperunt, ut unus Conſul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. Quod cum eſſet negatum, bellum contra eos ſuſceptum eſt, & ingenti pugna ſuperati ſunt: ac de his perdomitis triumphatum eſt. Statuæ Coſs. ob meritum uictoriæ in Roſtris poſitæ ſunt.

An. 416. Eo anno etiam Alexandria, ab Alexandro Macedone condita eſt.

Iam Romani potentes eſſe cœperunt. bellum enim in centeſimo & triceſimo *Samnites.* ferè milliario ab urbe apud Samnites gerebatur, qui medij ſunt inter Picenũ, Cã*An. 430.* paniam, & Apuliam. L. Papyrius Curſor cum honore Dictatoris ad id bellum profectus eſt: qui cum Romam rediſſet, Q. Fabio Maximo magiſtro equitũ, quem apud

apud exercitum reliquit, præcepit, ne ſe
abſente pugnaret. Ille occaſione reperta,
fœliciſsimè dimicauit, & Samnites dele-
uit: ob quã rem à Dictatore capitis dam-
natus, quòd ſe uetante pugnaſſet, ingen
ti fauore militũ & populi liberatus eſt:
tanta Papyrio ſeditione commota, ut pe
nè ipſe interficeretur.

Poſtea Samnites, Romanos, T. Vetu- *An. 433. Liu. lib. 9.*
rio & Sp. Poſthumio Coſs. ingenti dede-
core uicerunt, & ſub iugum miſerunt.
Pax tamẽ à Senatu & populo ſoluta eſt, *Caydina*
quæ cum ipſis propter neceſsitatem fa- *pax.*
cta fuerat. Poſtea Samnites uicti ſunt à
L. Papyrio Conſule, ſeptem millia eorũ *An. 434.*
ſub iugum miſſa: Papyrius de Samniti-
bus triumphauit. Eo tempore Ap. Clau *An. 443.*
dius Cenſor aquam Claudiam induxit,
& uiam Appiam ſtrauit. Samnites re- *II DE-*
parato bello, Q. Fabium Maximum ui- *CAS Liuij*
cerunt, tribus millibus hominum occi- *An. 461.*
ſis. Poſtea cũ pater eius Fab. Maximus
legatus datus fuiſſet, & Samnites uicit,
& plurima eorum oppida cepit. De- *An. 463.*
inde P. Cornelius Rufinus, M. Curius
Dentatus, ambo Coſs. contra Sam-
nites miſsi, ingentibus prælijs eos

confecere. Tum bellum cum Samnitibus per annos nouem & XL actum, ſuſtulerunt: neque ullus hoſtis fuit intra Italiam, qui Romanam uirtutem magis fatigauerit.

470. Interiectis aliquot annis, iterum ſe Gallorum copiæ contra Romanos Tuſcis Samnitibusq; iunxerunt: ſed cum Romam tenderent, à P. Cornelio Dolabella Cos. deletæ ſunt. 6

Bell. cum rege Pyrrho. An. 471. Eodem tempore Tarentinis, qui iam in ultima Italia ſunt, bellum indictum eſt: quia legatis Romanorum iniuriam feciſſent. Hi Pyrrhum Epiri regem contra Romanos auxilio popoſcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. is mox ad Italiam uenit. Tumq; primùm Romani cum tranſmarino hoſte dimicauerunt. *An. 473.* Miſſus eſt contra eum conſul P. Valerius Leuinus: qui cum exploratores Pyrrhi cæpiſſet, iuſsit eos per caſtra duci, oſtendi omnem exercitum, tumq; dimitti: ut renunciarent Pyrrho, quæ cũ Romanis agerentur. *Prima cum Pyrrho pugna.* Commiſſa mox pugna, cũ iam Pyrrhus fugeret, elephantorum auxilio uicit: quos incognitos Romani expauerunt, ſed nox prælio finem

nem dedit. Leuinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosq; ſummo honore tractauit, occiſos ſepeliuit: quos quũ aduerſo uulnere & truci uultu etiã mortuos iacere uidiſſet, tuliſſe ad cœlum manus dicitur, cum hac uoce: Se totius orbis dominũ eſſe potuiſſe, ſi tales ſibi milites contigiſſent. *Pyrrhi uox.*

Poſtea Pyrrhus iunctis ſibi Samnitibus, Lucanis, Brutijsq; Romã perrexit, ac omnia ferro igneq; uaſtauit. Campaniam depopulatus eſt: atque ad Præneſte uenit, milliario ab urbe octauodecimo. Mox terrore exercitus, qui eum cum Conſule ſequebatur, in Campaniã ſe recepit. Legati ad Pyrrhũ de redimendis captiuis miſsi, ab eo honorificè ſuſcepti ſunt: captiuos ſine precio Romam miſit. Vnum ex legatis Romanorum Fabricium ſic admiratus eſt, ut cum eum pauperem eſſe cognouiſſet, quarta parte regni promiſſa, ſollicitare uoluerit, ut ad ſe tranſiret: contemptusque à Fabricio eſt. Quare cum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum miſit, qui pacem æquis conditionibus *Fabricius.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Cyneas Pyrrhi legatus. peteret, præcipuum uirum Cyneam nomine: ita ut Pyrrhus partem Italiæ, quã iam armis occupauerat, obtineret. Pax diſplicuit: remandatumq́; Pyrrho à Senatu eſt, eum cum Romanis, niſi ex Italia receſsiſſet, pacem habere non poſſe. Tũ Romani iuſſerũt captiuos omnes, quos Pyrrh⁹ reddiderat, infames haberi, quòd armati capti fuiſſent: nec antè eos ad ueterem ſtatũ reuerti, quàm Sabinorũ hoſtiũ occiſorum ſpolia retuliſſent. Ita legatus Pyrrhi reuerſus eſt. à quo cum quæreret Pyrrhus, qualem Romam comperiſſet: Cyneas dixit, Regum ſe patriam uidiſſe. ſcilicet tales illic † fore omnes, qualis unus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Græciam putaretur. Miſsi ſunt contra Pyrrhum duces P. Sulpitius, & P. Decius Coſs. Certamine commiſſo, Pyrrhus uulneratus eſt, elephanti interfecti, xx millia cæſa hoſtium, & ex Romanis tantum quinque millia: Pyrrhus Tarentum fugatus. Interiecto anno, contra Pyrrhum Fabricius eſt miſſus: qui prius inter legatos ſollicitari non poterat, quarta parte regni promiſſa. Tum, cum uicina caſtra ipſe & rex haberẽt, medicus Pyrrhi ad eũ noctę

† Al. ferme.

An. 474. Secunda cum Pyrrho pugna.

An. 475.

Fabricij integritas.

nocte uenit, promittens ueneno Pyrrhũ occiſurũ, ſi ſibi aliquid polliceretur. quẽ Fabricius uinctum reduci iuſsit ad dominum: Pyrrhoq; dici, quæ contra caput eius medicus ſpopondiſſet. Tũc rex admiratus eum, dixiſſe fertur: Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate quàm ſol à curſu ſuo auerti poteſt. Tum rex in Siciliam profectus eſt. Fabricius uictis Samnitibus & Lucanis, triumphauit.

Coſs. deinde M. Curius Dentatus, & L. Corneli⁹ Lentulus, aduerſum Pyrrhum miſsi ſunt. & Curius contra eum pugnauit, exercitum eius cæcidit, ipſum Tarentum fugauit, caſtra cepit. Ea die cæſa hoſtium XXIII millia. Curius in conſulatu triumphauit: prim⁹ Romam elephantos quatuor duxit. Pyrrhus etiam à Tarento mox receſsit, & apud Argos Græciæ ciuitatem occiſus eſt. *An. 478.* *Tertia cum Pyrrho pugna.*

9 C. Fabricio Luſcino & C. Claudio Cinna Coſs. anno urbis conditæ CCCCLXI, *An. 480.*
10 legati Alexandrini à Ptolemæo miſsi Romam uenere: & à Romanis amicitiam, quam petierant, obtinuerũt.
11 L. Quintio Gulone, C. Fabio Pictore *An. 484.*

 Coſs.

Coſs.Picētes bellum commouere, & ab
inſequentibus Coſs.P. Sempronio, Ap.
An.485. Claudio,uicti ſunt: & de his triumpha-
tū eſt. Conditæ à Romanis ciuitates,
Ariminum in Gallia, & Beneuentum in 12
Samnio.

An.486. M.Attilio Regulo, L. Iunio Libone 13
Coſs. Salentinis in Apulia bellum indi-
ctum eſt:captiq; ſunt cum ciuitate ſimul
Brunduſini, & de his iterum triumpha-
tum eſt.

PRIMVM BELLVM PVNICVM.

Anno CCCCLXXVII, cum iam clarum 14
urbis Romæ nomen eſſet, arma tamen
extra Italiam mota non fuerant. Vt igi-
An.489. I.An. tur cognoſceretur quæ copiæ Romano-
rum eſſent, cenſus eſt habitus. tū inuen-
ta ſunt ciuium capita CCXCII millia, CCC 15
XXXIII: quanquam à condita urbe nun
quam bella ceſſaſſent. Et cōtra Afros bel
lum ſuſceptū eſt primum Ap. Claudio,
Q. Fuluio Coſs. In Sicilia contra eos pu
gnatum eſt, & Appius Claudius de Afris
& rege Siciliæ Hierone triumphauit.

An.490. II.An. Inſequēti anno, M. Valerio Maximo &
M. Octacilio Coſs. in Sicilia à Romanis
res magnę geſtę ſunt. Taurominitani, Ca 17
tanēſes, & præterea quinquaginta ciuita
tes,

tes, in fidem acceptæ ſunt. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem regem bellum paratum eſt. Is cum omni nobilitate Syracuſanorum, pacē à Romanis impetrauit, deditq; argenti talenta ducenta. Afri in Sicilia uicti ſunt, & de his ſecundò Romæ triumphatum eſt. *An. 491. III. An.*

Quinto anno belli Punici, quod contra Afros gerebatur, primùm Romani C. Duillio & Cn. Cornelio Aſina Coſs. in mari dimicauerunt, paratis nauibus roſtratis, quas Liburnas uocāt. Cōſul Cornelius fraude deceptus eſt. Duillius commiſſo prælio, Carthaginenſium ducem uicit, XXXI naues cæpit, XIIII merſit. VII millia hoſtium cæpit, tria occidit: neque ulla uictoria Romanis gratior fuit, quòd inuicti terra, iam etiam mari plurimum poſſent. *An. 493. V. An.*

C. Aquilio Floro, L. Scipione Coſs. Scipio Corſicam & Sardiniam uaſtauit: multa millia inde captiuorum abduxit, triumphum egit. *An. 494. VI An.*

18 L. Manlio Volſone, M. Attilio Regulo Coſs. bellum in Africam translatum eſt. Contra Hamilcarem Carthaginenſium ducem, in mari pugnatum: uictusq; eſt. *An. 496. VIII An.*

nam perditis L X I I I I nauibus, retro ſe recepit: Romani X X I I amiſerunt. ſed cum in Africam tranſiſſent, primam Clypeam Africæ ciuitatem in deditio- 19
nem acceperunt. Conſules uſq; ad Carthaginem proceſſerunt: multiſq; uaſtatis oppidis, Manlius uictor Romam redijt, & X X V I I millia captiuorum reduxit. *M. Attil. Regulus.* Attilius Regulus in Africa remanſit. Is contra Afros aciem inſtruxit: contra tres Carthaginenſium duces dimicans, uictor fuit. X V I I I millia hoſtium cęcidit, quinque millia cum X V I I I elephantis cępit, † ſeptuaginta tres ciuitates in fidem accepit. *† al. LXXIIII.* Tum uicti Carthaginenſes, pacem à Romanis petierunt: quam cum Regulus nollet niſi duriſsimis conditionibus dare, Afri auxilium à Lacedæmonijs petierunt: & duce Xanthippo, qui à Lacedæmonijs miſſus fuerat, Romanorum dux Regulus uictus eſt ultima pernicie. nam duo millia hominum tantùm ex omni Romano exercitu † remanſerunt, *† al. refugerunt.* quindecim millia cum imperatore Regulo capta ſunt, X X X millia occiſa, Regulus ipſe in cathenas coniectus.

An. 498. X An. M. Aemilio Paulo, Ser. Fuluio Nobiliore

liore Coſs. ambo Romani Conſules in Africam profecti ſunt, cum trecentarum nauiũ claſſe. + primùm Afros nauali certamine ſuperant. Aemilius conſul centum & quatuor naues hoſtium demerſit, triginta cum pugnatoribus cæpit: quindecim millia hoſtium aut occidit, aut cæpit: militem ſuum ingenti præda ditauit. Et ſubacta Africa tum fuiſſet, niſi quòd tanta fames erat, ut diutius expectare exercitus non poſſet. Conſules cum uictrice claſſe reduntes, circa Siciliam naufragium paſsi ſunt: & tanta tempeſtas fuit, ut ex quadringentis ſexaginta quatuor nauibus, octoginta ſeruari uix potuerint. neque ullo tempore tanta maritima tempeſtas audita eſt. Romani tamen ſtatim ducentas naues reparauerunt, neque in aliquo animus his infractus fuit.

+ Al. Clypeam petunt, & cõtra Carthaginenſes uenerunt.

Tempeſtas inaudita.

Cn. Seruilius Cepio, & C. Sempronius Blęſus Coſs. cum ducentis ſexaginta nauibus ad Africam profecti ſunt, aliquot ciuitates cæperunt: prædam ingentem reducẽtes, naufragiũ paſsi ſunt. Itaque cũ cõtinuæ calamitates Romanis diſpliceręt, decreuit Senat⁹ ut à maritimis præ-

An. 500. XII An.

prælijs diſcederetur, & tantùm ſexaginta naues ad præſidiũ Italiæ ſaluæ eſſent.

An. 502. XIIII An. L. Cęcilio Metello, C. Furio † Placido 20
Coſs. Metellus in Sicilia Afrorum ducẽ
† al. Pacillo, cum cxxx elephantis & magnis copijs uenientem ſuperauit, xx millia hoſtium cæcidit, ſex & xx elephantos cæpit: reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit, & Romam deduxit ingenti pompa, cum cxxx elephãtorum numero omnia itinera compleret. Poſt hæc mala Carthaginenſes Regulum ducem, quem cæperant, petierunt, ut Romã proficiſceretur, & pacem à Romanis obtineret, ac permutationẽ captiuorum faceret.

M. Attil. Regulus. Ille Romam cũ ueniſſet, inductus in Senatum, nihil quaſi Romanus egit: dixitq; ſe ex illa die qua in poteſtatem Afrorum ueniſſet, Romanum eſſe deſiuiſſe. Itaque & uxorem à complexu remouit: & Romanis ſuaſit, ne pax cum Pœnis fieret. Illos enim fractos tot caſibus, ſpem nullam habere. ſe tanti non eſſe, ut tot milia captiuorum propter unum ſe, & ſenem, & paucos qui ex Romanis capti fuerant, redderentur. Itaq; obtinuit. nam Afros pacem petentes nullus

lus admiſit. Ipſe Carthaginem redijt. offerentibusq; Romanis, ut eum Romæ tenerent, negauit ſe in ea urbe manſurum, in qua, poſtquam Afris ſeruierat, dignitatem honeſti ciuis habere non poſſet. Regreſſus igitur in Africam, omnibus ſupplicijs extinctus eſt.

Pòſt Appio Pulchro, C. Iunio Coſs. *An.504.*
Claudius contra auſpicia pugnauit, & à *XVI An.*
Carthaginenſib. uictus eſt. Nam ex ducẽtis nauib. uiginti cũ pugnatorib. captæ ſunt, demerſæ cæteræ, uiginti millia capta. Alius quoque conſul claſſem naufragio amiſit, exercitum tamen ſaluum habuit, quia uicina litora erant.

C. Luctatio Catulo, A. Poſthumio *An.511.*
Albino Coſs. anno belli Punici XXIII, Catulo bellũ contra Afros commiſſum eſt. Profectus eſt cum CCC nauibus in Siciliam. Afri contra ipſum CCCC parauerũt. Nunquam in mari tãtis copijs pugnatũ eſt. Luctatius Catulus nauem æger aſcẽdit: uulneratus enim in pugna ſuperiore fuerat. Contra Lilybæum ciuitatem Siciliæ pugnatũ eſt ingenti uirtute Romanorum. nã LXXIII Carthaginenſinm naues captæ ſunt, CXXV demerſæ, XXII millia

millia hoſtium capta, xiii millia occi- 21
ſa: infinitum auri argentique prædæ in poteſtatem Romanorum redactum. Ex claſſe Romana xii naues demerſæ. pugnatum eſt vi idus Martias. ſtatim Car- 22
thaginenſes pacem petierunt, tributaq́; eſt eis pax. captiui Romanorum, qui tenebantur à Carthaginenſibus, redditi ſunt. Etiã Carthaginenſes petierunt, ut redimi eos captiuos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iuſsit, ſine precio dari eos qui in publica cuſtodia eſſent: qui autem à priuatis tenerentur, ut precio dominis reddito, Carthaginem redirent, atque id preciũ ex fiſco magis q̃ à Carthaginẽſib. ſolueretur.

An. 512. Q. Luctatius, A. Manlius, Coſs. creati,
XIIII bellum Faliſcis intulerunt: quæ ciuitas
An. Italię opulenta quondam fuit. quod ambo Coſs. intra ſex dies quàm uenerant, tranſegerunt, xv millibus hoſtium cæſis, cæteris pace conceſſa, agro tamen ex medietate ſublato.

EVTROPII LIber III.

Finito igitur Punico bello, quod per xxii annos factum eſt, Romani iam

clariſsi-

clariſsima gloria noti,legatos ad Ptolemæum Aegypti regẽ miſerunt, auxilia promittentes:quia rex Syrię Antiochus ei bellum intulerat. Ille gratias Romanis egit, auxilia non accepit:iam enim fuerat pugna tranſacta. Eodem tempore potentiſsimus rex Siciliæ Hiero, Romam uenit ad ludos ſpectandos, & ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit.

L.Cornelio Lentulo,Q.Fuluio Flacco Coſs. quibus Hiero Romá uenerat, etiam contra Ligures intra Italiam bellum geſtum eſt,& de his triumphatum. Carthaginenſes † tum bellum reparare tentabant,Sardinienſes,qui ex conditione pacis Romanis parêre debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamen legatio Carthaginenſium Romam,& pacem impetrauit. T.Manlio Torquato, C. Attilio Balbo Coſs. de Sardis triumphatum eſt:& pace omnibus locis facta, Romani nullũ bellum habuerunt.quod his poſt Romam conditam ſemel tantũ, Numa Pompilio regnante, contigerat.

An.516.

† tamen.

An.518.

L.Poſthumius Albinus,Cn.Fuluius Centumalus Coſs.bellum contra Illyricos *An.524.*

cos

cos geſſerunt: & multis ciuitatibus captis, etiam reges in deditionem acceperunt. ac tum primùm de Illyrijs triumphatum eſt.

An. 529. L. Aemilio Cos. ingentes Gallorũ copiæ Alpes tranſierunt: ſed pro Romanis tota Italia conſenſit. traditumq; eſt Fabio hiſtorico, qui ei bello interfuit, DCCC millia hominũ parata ad id bellum fuiſſe: ſed res per Cos. † tantũ proſperè geſta 1
† tum. eſt. XL millia hoſtium interfecta ſunt, & triumphus Aemilio decretus.

530. Aliquot deinde annis pòſt, contra Gal
531. los intra Italiam pugnatum eſt. finito bel
An. 532. lo M. Claudio Marcello, Cn. Cornelio Scipione Coſs. Tunc Marcellus cum parua manu equitum dimicauit: & regem Gallorum, Viridomarum nomine, manu 2
ſua occidit. Poſtea cum collega ſuo ingentes copias Gallorum peremit, Mediolanum expugnauit, grandē prædam Romam pertulit, ac triumphans Marcellus ſpolia † Galli ſtipiti impoſita humeris 3
† Gallorum. ſuis uexit. M. Minutio, P. Cornelio
An. 533. Coſs. Iſtris bellum illatum eſt, quia latrocinati naues Romanorũ fuerāt, quæ frumēta exhibebāt. pdomitiq; ſunt omnes.

Eodem

Eodem anno BELLVM PVNICVM SECVNDVM Romanis illatũ eſt,per Hánibalem Carthaginenſium ducem: qui Saguntum Hiſpaniæ ciuitatem, Romanis amicam,oppugnare aggreſſus eſt, agens uiceſimum ætatis annum,copijs congregatis CL millibus peditum,& XX millib. equitum.Huic Romani per legatos denunciauerunt, ut bello abſtineret. Is legatis parêre noluit.Romani etiam † Carthaginem miſerunt,ut mandaretur Hannibali, ne bellum contra ſocios populi Romani gereret:ſed dura reſponſa à Carthaginenſibus reddita. Saguntini interea fame uicti ſunt: captique ab Hannibale, ultimis pœnis afficiuntur. Tum P.Cornelius Scipio cum exercitu in Hiſpaniam profectus eſt, Tiberius Sempronius in Siciliam. bellum Carthaginenſibus indictum eſt. Hannibal relicto in Hiſpania fratre Haſdrubale, Pyrenæum tranſit: Alpes adhuc in ea parte inuias, ſibi patefecit.Traditur ad Italiam LXXX millia peditum, & XX millia equitum, ſeptem & XXX elephantes adduxiſſe.Interea multi Ligures & Galli Hannibali ſe coniunxerunt. Sempronius Grac-

III DECAS Liuij.
An. 535.
II. BELLVM Punicum.

† à Carthaginenſib. petierunt.

An. 536.

Hánibalis in Italiam expeditio.

chus cognito ad Italiam Hannibalis ad-
uentu,è Sicilia exercitum Ariminum trā
iecit.P.Cornelius Scipio Hannibali pri-
mus occurrit:commiſſoq; prælio, fuga-
tis ſuis, ipſe uulneratus in caſtra rediјt.
Sempronius Gracchus & ipſe conflixit
ad Trebiam amnem. Is quoque uinci- 4
tur. Hannibali multi ſe in Italia dedide
runt. Inde ad Tuſciam ueniens Hanni-
bal, Flaminio conſuli occurrit. ipſum
Flaminium interemit.Romanorũ x x v 5
millia cæſa ſunt, cæteri diffugerunt.
An. 537. Miſſus aduerſus Hannibalem poſtea à
Romanis Q. Fabius Maximus. Is eum,
differendo pugnam, ab impetu fregit: 6
mox inuenta occaſione uicit.

An. V. C. DXL. Quingenteſimo & quadrageſimo an- 7
no à condita urbe, L. Aemilius, C. Te-
rentius Varro, contra Hannibalem mit-
tuntur, Fabioq́ue ſuccedunt: qui Fa-
bius ambos Coſs. monuit, ut Hanni-
balem callidum & impatientem du-
cem non aliter uincerent, quàm præ-
lium differendo. uerùm cum impatien-
tia Varronis Coſ. contradicente conſu-
Cannenſis le altero, apud uicum qui Cannæ ap-
pugna. pellatur, in Apulia pugnatum eſſet, am-
bo Coſs.

8 bo Coſs. ab Hannibale uincuntur. In
ea pugna † tria millia Afrorum pe- † IIII.
reunt, magna pars de exercitu Hanni-
balis ſauciatur : nullo tamen Punico
bello Romani grauius accepti ſunt. pe-
rijt enim in eo Aemilius Paulus Cos.
Conſulares & Prætorij x x, Senatores
9 capti aut occiſi x x x, nobiliores uiri
c c c, militum x l millia, equitum tria
millia & † quingenti: in quibus malis † CCCC.
nemo tamen Romanorum pacis men-
tionem habere dignatus eſt. Serui, quod
nunquam antè, manumiſsi, & milites
facti ſunt.

Poſt eam pugnam, multæ Italiæ ciui-
tates quę Romanis paruerant, ſe ad Han
nibalem tranſtulerunt. Hannibal Roma
nis obtulit, ut captiuos redimerent : re-
ſponſumque eſt à Senatu, eos ciues non
eſſe neceſſarios, qui cum armati eſſent,
capi potuiſſent. Ille omnes poſtea ua-
rijs ſupplicijs interfecit : & tres modios
aureorum annulorum Carthaginem mi
ſit, quos è manibus equitum Romano-
rum, Senatorum & militum detraxerat.
Interea in Hiſpania, ubi frater Han- *Haſdrubalis res in Hiſpania.*
nibalis Haſdrubal remanſerat cum ma-

gno exercitu , ut eam totam Afris ſubigeret, à duobus Scipionibus Romanis ducibus uincitur , perditque in pugna x x x v millia hominum. ex his capiuntur x millia, occiduntur x x v. Mittuntur ei à Carthaginenſibus, ad reparandas uires, x i i millia peditum, i i i i millia equitum, x x elephanti.

An. 539. Anno quarto poſtquam in Italiã Hannibal uenit, M. Claudius Marcellus Cos. apud Nolam, ciuitatem Campaniæ, contra Hannibalem bene pugnauit. Hannibal multas ciuitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, & Brutios occupauit: quo tempore etiam rex Macedoniæ *Philippus Maced. rex.* Philippus ad eum legatos miſit, promittens auxilia contra Romanos: hac conditione, ut deletis Romanis, ipſe quoq; contra Græcos ab Hannibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniam M. Valerium Leuinum ire iuſſerunt: in Sardiniam T. Manlium Torquatum proconſule. nam etiã ea ſollicitata ab Hannibale, Romanos deſeruerat. Ita uno tempore quatuor locis pugnabatur: in Italia contra Hannibalem, in Hiſpania contra

tra

tra fratrem eius Haſdrubalem, in Macedonia contra Philippum,in Sardinia cõtra Sardos & alterum Haſdrubalem Carthaginenſem.Is à T. Manlio proconſule,qui ad Sardiniam miſſus fuerat,uiuus eſt captus.occiſa cum eo xii millia, capti mille quingenti, & à Romanis Sardinia ſubacta.Manlius uictor captiuos & Haſdrubalem Romam reportauit.Interea etiam Philippus à Leuino in Macedonia uincitur, & in Hiſpania à Scipionibus Haſdrubal,& Mago tertius frater Hannibalis.

Sardi uicti.

Decimo anno poſtquam Hannibal in Italiam uenerat,P. Sulpitio, Cn. Fuluio Coſs.Hannibal uſq; ad quartum milliarium urbis acceſsit, equites eius uſque ad portas.mox conſulũ metu cum exercitu uenientium, Hannibal ad Campaniam ſe recepit.In Hiſpania à fratre Haſdrubale ambo Scipiones, qui per multos annos uictores fuerant, interficiuntur.exercitus tamen integer manſit: caſu enim magis quàm uirtute erant decepti. 11 Quo tempore etiam à conſule Marcello Siciliæ magna pars capta eſt,quam tenere Afri cœperant: & † nobiliſsima

An.541.

Cn.& P.Scipionum interitus.

† nobiliſs.urbis Syracuſanæ.

urbe Syracuſana præda ingens Romam perlata eſt. Leuinus in Macedonia cũ Philippo & multis Græciæ populis, & 12
rege Aſiæ Attalo amicitiam fecit: & ad Siciliam profectus, Hannonem, quendam Afrorum ducem, apud Agrigentum ciuitatem cum ipſo oppido cæpit, eumq; Romam cum captiuis nobilibus miſit: XL ciuitates in deditionẽ accepit, XXVI expugnauit. ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, cum ingẽti gloria Romam regreſſus eſt.

Hannibal in Italia Cn. Fuluium conſulem ſubitò aggreſſus, cum octo millibus hominum interfecit. Interea ad Hiſpanias, ubi occiſis duobus Scipionibus nullus Romanus dux erat, P. Cornelius Scipio mittitur, filius P. Scipionis, qui ibidem bellum geſſerat, annos natus quatuor & XX: uir Romanorum omnium & ſua ætate, & poſteriori tempore ferè primus. Is Carthaginem Hiſpaniæ capit, in qua omne aurum & argentum & belli apparatum Afri habebant. nobiliſsimos quoque obſides, quos ab Hiſpanis acceperat, Magonem etiam fratrem Annibalis, ibidem capit: quem Ro-

P. Cor. Scipio ſuperior.

An. 544.

mam cum alijs mittit. Romæ ingens lætitia poſt hunc nuncium fuit. Scipio Hiſpanorum obſides parentibus reddidit. Quare omnes ferè † Hiſpani ad eum uno animo tranſierunt. Poſt quæ Haſdrubalem, Hannibalis fratrem, uictum fugat, & prædam maximam capit. + *Hiſpania*

13 Interea in Italia Cos. Q. Fabius Maximus Tarentum † recepit, in qua ingentes copiæ Hannibalis erant: & ibi etiam ducem Hannibalis Carthalonem occidit, xxv millia captiuorum uendidit, prędam militibus diſpertiuit, pecuniam hominum uenditorum ad fiſcum retulit. Tum multæ ciuitates Romanorum, quę ad Annibalem tranſierant prius, rurſus ſe Fabio Maximo dediderunt. Inſequenti anno Scipio in Hiſpania egregias res egit, & per ſe, & per fratrem ſuũ L. Scipionem: LXX ciuitates recepit. In Italia tamen malè pugnatum eſt. nam Claudius Marcellus Cos. ab Hannibale occiſus eſt. *An. 54?* + *capit.* *An. 54?*

Tertio anno poſt quàm Scipio ad Hiſpaniã profectus fuerat, rurſus res inclytas gerit: regem Hiſpaniarum magno

prælio uictum, in amicitiam accepit, & primus omnium à uicto obſides non popoſcit.

Deſperans Hannibal Hiſpanias contra Scipionem † diutius poſſe retineri,
† *ducem*
fratrem ſuũ Haſdrubalem ad Italiã cum omnibus copijs euocauit. Is ueniens eodem itinere quo Hannibal uenerat, à cõſulibus † Appio Claudio Nerone, & M.
† *C. Claudio*
An. 547. Haſdrubal cæſus.
Liuio Salinatore, apud Senam Piceni ci- 14
uitatem, in inſidias compoſitas incidit: ſtrenuè tamen pugnans, occiſus eſt. ingentes eius copiæ captæ, aut interfectæ ſunt: magnum pondus auri atque argenti Romam relatum. Poſt hæc Hannibal diffidere iam de belli cœpit euentu, & Romanis ingẽs animus acceſsit. Itaq; & ipſi euocauerunt ex Hiſpania P. Cornelium Scipionem. is Romam cum ingenti gloria uenit.

An. 548.
Q. Cæcilio, L. Valerio Coſs. omnes ci- 15
uitates quæ in Brutijs ab Hãnibale tenebantur, Romanis ſe tradiderunt.

An. 549.
Anno XIIII poſtquàm in Italiã Hannibal uenerat, Scipio qui multa bene in Hiſpania egerat, conſul eſt factus; & in Africam miſſus. cui uiro diuinum quid dam

dam ineſſe exiſtimabatur: adeò ut puta-
retur etiam cum numinibus habere ſer-
monem. Is in Africa contra Hannonem *Scipionis res*
ducem Afrorum pugnauit, exercitum *in Africa*
eius interfecit: ſecundo prælio caſtra cæ *geſtæ.*
pit, cum quatuor millibus & quingen-
tis militibus, XI millibus occiſis. Sy-
phacem Numidiæ regem, qui ſe Afris
cōiunxerat, capit, & caſtra eius inuadit.
Syphax cum nobiliſsimis Numidis, &
infinitis ſpolijs, ab Scipione Romā mit-
titur: qua re audita, omnis ferè Italia Hā
nibalē deſerit. ipſe à Carthaginenſibus
in Africam redire iubetur, quam Scipio
uaſtabat.

Ita anno XVII, ab Hannibale Italia li- *An. 551.*
berata eſt, quam flens dicitur reliquiſſe.
Legati Carthaginenſium pacem à Scipi-
one petierunt, ab eo ad Senatum Romā
miſsi ſunt. XLV dies his induciæ datæ
ſunt, quouſque Romam ire & regredi
poſſent: XXX millia pondo argenti ab his
accepta ſunt. Senatus ex arbitrio Sci-
pionis pacem iuſsit cum Carthaginenſi-
bus fieri. Scipio his conditionibus de
dit, ne amplius quàm XXX naues habe-
rent, † quingenta millia pondo argenti *† L. millia.*

darent, captiuos & perfugas redderent.

Interim Hannibale ueniente ad Afri- 16
cam, pax turbata eſt, multa hoſtilia ab A-
fris facta ſunt: legati tamen eorum ex ur-
be uenientes, à Romanis capti ſunt, &
An. 552. iubente Scipione dimiſsi. Hannibal
quoque frequentibus prælijs uictus à
Scipione, petit etiam ipſe pacem. Cum
uentum eſſet ad colloquium, iiſdem con
ditionibus data eſt, quibus prius. addita 17
quingentis millibus pondo argenti, c
millia librarum, propter nouam perfi-
diam. Carthaginenſibus conditiones di-
ſplicuerunt, iuſſeruntq; Hannibalem pu
gnare. Infertur à Scipione & Maſiniſſa,
alio rege Numidarum, qui amicitiam cũ
Scipione fecerat, Carthagini bellũ. Han-
nibal tres exploratores ad Scipionis ca-
ſtra miſit: quos captos Scipio circundu-
ci per caſtra iuſsit, oſtendiq; eis totum
exercitum: mox etiam prandium dari, di
mittiq;, ut renunciarent Hannibali quæ
apud Romanos uidiſſent. Interea præ-
lium ab utroq; duce inſtructum eſt, qua
le uix ulla memoria fuit: quum peritiſsi-
mi uiri copias ſuas ad bellum educerent.
Scipio uictor recedit, penè ipſo Hanniba
le capto:

le capto: qui primùm cum multis equitibus, deinde cum xx, póſtremò cum quatuor euaſit. Inuenta in caſtris Hanni-
18 balis argenti pondo † xx millia, auri o- † CC mil.
ctingenta, cætera ſupellectili copioſa. Poſt id certamen pax cum Carthaginenſibus facta eſt. Scipio Romam rediјt, & ingenti gloria triumphauit, atq; Africanus ex eo appellari cœptus eſt. Finem accepit ſecundum Punicum bellum, poſt
19 annum † nonumdecimum, † XVII
quàm cœperat.

EVTROPII LIBER IIII.

TRanſacto Punico bello, ſecutum eſt Macedonicum, contra Philippum regem.

1 Quingenteſimo & quinquageſimo *An. 554.*
† primo anno ab urbe condita, T. Quin- † *ſecundo.*
tius Flaminius aduerſus Philippũ regem mittitur. proſperè geſsit: pax ei data eſt *An. 558.*
his legibus, ne Græciæ ciuitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellũ inferret: ut captiuos & transfugas redderet: quinquaginta ſolùm naues haberet, reliquas Romanis daret: per annos decem quaterna millia pondo argenti præſta-

præſtaret,& obſidem daret filium ſuum
An.559. Demetrium. T. Quintius Flaminius
etiam Lacedæmonijs intulit bellum. du
cem eorum Nabidem uicit: & quibus
uoluit conditionibus, in fidem accepit.
† in gloriam. † ingenti gloria duxit ante currum no-
biliſsimos obſides, Demetrium Philippi
filium, & Armenen Nabidis.

Tranſacto bello Macedonico, ſecutũ
eſt Syriacũ, contra Antiochum regem:
An.563. P. Cornelio Scipione, M. † Acilio Gla-
† Atilio. brione Coſs. Huic Antiocho Hannibal 2
ſe iunxerat, Carthaginem patriam ſuam
metu, ne Romanis traderetur, relin-
quens. M. Attilius Glabrio in Achaia pu
gnauit bene. Caſtra regis Antiochi, no-
cturna pugna capta ſunt: ipſe fugatur.
Philippo, quia contra Antiochum Ro-
manis auxilio fuiſſet, filius Demetrius
redditus eſt.

An.564. L. Cornelio Scipione, C. Lælio Coſs.
Scipio Africanus fratri ſuo L. Cornelio
Scipioni conſuli, legatus contra Antio-
chum profectus eſt. Hannibal, qui cum
Antiocho erat, nauali prælio uictus eſt.
Ipſe poſtea Antiochus, circa Sipylum,
† magnam iam. † Magneſiam Aſię ciuitatem, à Coſ. Cor 3
nelio

nelio Scipione, ingenti prælio fuſus eſt.
Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eu-
menes, Attali regis † frater, qui Eumeniá † *filius.*
in Phrygia condidit. * quinquaginta mil * XXX.
lia peditum, IIII millia equitum eo cer-
tamine ex parte regis occiſa ſunt. Tum
rex Antiochus pacem petit: quæ iiſdem
conditionibus data eſt à Senatu, quan
quam uicto, quibus antè offerebatur: ut
ex Europa & Aſia recederet, atque intra
Taurum ſe contineret, x millia talento-
rum & xx obſides præberet, Hannibalē
cōcitatorem belli dederet. Eumeni regi
donatæ ſunt à Senatu omnes Aſiæ ciui-
tates, quas Antiochus bello perdiderat:
& Rhodijs, qui auxilium Romanis con
tra regem Antiochum tulerant, multæ
urbes conceſſæ ſunt. Scipio Romam re-
dijt, ingenti gloria triumphauit: nomen
4 & ipſe ad imitationem fratris Aſiatici ac
cepit, quià Aſiam uicerat: ſicut frater ip-
ſius propter Africam domitam, Africa-
nus appellabatur.

Sp. Poſthumio Albino, Q. Martio Phi *An. 568.*
lippo Coſs. Marcus Fuluius de Aetolis
triumphauit. Hannibal, qui uicto Antio
cho, ne Romanis traderetur, ad Pruſiam
Bithy-

Bithyniæ regem fugerat, repetitus etiã
ab eo eſt per T. Quintium Flaminium:
An. 571. & cum tradendus eſſet Romanis, uene-
num bibit, & apud Libyſſam in finib.
Nicomedienſium ſepultus eſt.

An. 575. Philippo rege Macedoniæ mortuo,
qui & aduerſum Romanos bellum geſ-
An. 582. ſerat, & poſtea Romanis contra Antio-
chum auxilium tulerat, filius eius Per-
ſeus in Macedonia rebellauit, ingentib.
copijs ad bellum paratis. Nam adiutores 5
habebat Cotyn Thraciæ regem, Illyrici
regem Gentium nomine. Romanis au-
tem in auxilium erant Eumenes Aſiæ
rex, Ariarates Cappadociæ, Antiochus
Syriæ, Ptolemæus Aegypti, Maſiniſſa
Numidiæ. Pruſias autem rex Bithy-
niæ, quanquam ſororem Perſei uxorem
haberet, utriſque ſe æquum præbuit.
An. 583. dux Romanorum P. Licinius Cos. & à
rege graui prælio uictus: neque tamen
Romani, quanquam ſuperati, regi pe-
tenti pacem præſtare uoluerunt, niſi his
conditionibus, ut ſe & ſuos Senatui &
populo Rom. dederet. Mox miſſus con
An. 586. tra eũ L. Aemilius Paulus Cos. & in Illy-
ricũ C. Anitius prætor cõtra Gentiũ. ſed

Gentius

Gentius facile uno prælio uictus, mox ſe dedidit. Mater eius & uxor & duo filij, frater quoque eius, ſimul in poteſtatem Romanorũ uenerunt. Ita bello intra dies xxx perfecto, antè cognitũ eſt Gẽtiũ uictũ, quàm cœptũ bellum nunciaretur.

Cum Perſeo autem Aemilius Paulus Cos. tertio nonas Septẽbris dimicauit, uicitq; eum, xx millib. peditum eius occiſis. equitatus cum rege fugit integer. Romanorũ c milites amiſsi ſunt: urbes Macedoniæ omnes quas rex tenuerat, Romanis ſe dediderunt. ipſe rex cũ deſereretur ab amicis, uenit in Pauli poteſtatem: ſed honorem ei Aemilius non quaſi uicto habuit. nam & uolentem ſibi ad pedes cadere, non permiſit, ſed iuxta ſe in ſella collocauit. Macedonibus & Illyrijs hæ leges datæ ſunt, ut liberi eſſent: & dimidium eorum tributorum prę̨ſtarent, quæ regibus præſtitiſſent: ut appareret Populum Romanum pro æquitate magis quàm auaricia dimicare. Itaq; in conuentu infinitorũ populorũ Paulus hæc pronunciauit, & legationes multarum gentium, quæ ad eum uenerant, magnificentiſsimo pauit cõuiuio, dicẽs: Eiuſdẽ homi-

hominis eſſe debere, & bello uincere, & conuiuij apparatu elegantē eſſe. Mox ſeptuaginta ciuitates Epiri, quæ rebellarant, cæpit: prędam militibus diſtribuit, Romam cum ingenti pompa redijt: in naue Perſei, quæ inuſitatæ magnitudinis fuiſſe traditur, adeò ut XVI ordines habuiſſe dicatur remorum, triumphauit magnificentiſsimè in curru aureo, cum duobus filijs utroque latere aſtantibus. ducti ſunt ante currum duo regis filij, & ipſe Perſeus XLV annos natus. Poſt eum etiam C. Anitius de Illyrijs triũphauit: Gentius cum fratre & filijs ante currum ductus eſt. Ad hoc ſpectaculum multarũ gentium reges Romam uenerunt. inter alios etiam uenit Attalus atq; Eumenes Aſiæ reges, atque Pruſias Bithyniæ. magno honore accepti ſunt: & permittente Senatu, dona quæ attulerant, in Capitolio poſuerunt. Pruſias etiam filiũ ſuum Nicomedem Senatui commendauit.

An. 587. Inſequenti anno. L. Memmius in Hi 6
588. ſpania bene pugnauit. Marcellus poſtea conſul res ibidem proſperè geſsit.

An. 604. TERTIVM deinde bellum cõtra Car- 7
thaginē ſuſcipitur, DC & altero anno ab urbe

urbe condita, L.† Manlio Cenſorino, & 605.
8 * M.Manlio Coſs.anno LI, poſtquam ſecundum Punicum bellum tranſactum erat. Hi profecti, Carthaginem oppugnauerunt. Contra eos Haſdrubal dux Car- † Martio. * A.
9 thaginenſium dimicabat. Famea dux alius equitatui præerat Carthaginenſiũ.
10 Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, tribunus ibi militabat. Huius apud omnes ingens metus & reuerentia erat.
11 nam & paratiſsimus ad dimicandum, & cõſultiſsimus habebatur. Itaq; per eum multa proſperè à Coſs. geſta ſunt. Neque quicquam magis uel Haſdrubal uel Famea uitabant, quàm contra eam Romanorum partem committere, ubi Scipio dimicabat.

Per idem tempus Maſiniſſa rex Numidarum, per annos LX ferè amicus populi Romani, anno uitæ ſuæ XCVII mortuus eſt, XLIIII filijs relictis. Scipionem diuiſorem regni inter filios eſſe iuſsit.

Cum igitur clarum Scipionis nomen An. 607.
eſſet, iuuenis adhuc Cos. eſt factus: & cõtra Carthaginem miſſus, eam cœpit, ac diruit. ſpolia ibi inuenta, quæ de uariarum ciuitatum excidijs Carthago collegerat:

& ornamenta urbium ciuitatibus Sici-
liæ,Italiæ,Africæ reddidit, quæ ſua reco
gnoſcebant.Ita Carthago ſeptingenteſi-
mo anno poſtquam condita erat, deleta
eſt.Scipio nomen, quod auus eius acce-
perat,meruit: ſcilicet ut propter uirtutẽ
etiam ipſe Africanus iunior uocaretur.

Interim in Macedonia quidam Pſeu-
dophilippus arma mouit:& Romanum
prætorem P. Iuuencium contra ſe miſ-
ſum,ad internecionem uicit. Poſt eum 11
An.611. Q. Cæcilius Metellus dux à Romanis
contra Pſeudophilippum miſſus eſt : &
uigintiquinque millibus ex militibus
eius occiſis,Macedoniam recepit.Ipſum
etiam Pſeudophilippum in poteſtatem
ſuam redegit.

Corinthijs quoq; bellum indictum
eſt, nobiliſsimæ Græciæ ciuitati, pro-
pter iniuriam legatorum Romanorum.
An.608. hanc Mummius Conſul cæpit,ac diruit.
Tres igitur Romæ ſimul celeberrimi
triumphi fuerunt: Africani,ex Africa,an 12
te cuius currum ductus eſt Haſdrubal:
Metelli,ex Macedonia,cuius currũ præ-
ceſsit Andriſcus, qui & Pſeudophilip-
pus dicitur:Mummij,ex Corintho,ante

quem

quem ſigna ænea & pictæ tabulæ, &
alia urbis clariſsimæ ornamenta præ-
lata ſunt.

Iterum in Macedonia Pſeudoperſeus, *An.611.*
qui ſe Perſei filium eſſe dicebat, collectis
ſeruis rebellauit: & cum ſeptendecim ar-
matorum millia haberet, à † Tremellio *† Trebellio.*
quæſtore ſuperatus eſt. His dieb. an-
drogynus Romæ uiſus, iuſſu aruſpicũ
in mare merſus eſt.

Eodem tempore Metellus in Celtibe *An.612.*
ria apud Hiſpanos res egregias geſsit.
Succeſsit ei Q. Pompeius: nec multo *613.*
pòſt Q. quoque Cæpio ad idem bellum *614.*
miſſus eſt, quod quidem Viriatus con-
13 tra Romanos in Luſitania gerebat. Quo
metu Viriatus à ſuis interfectus, cũ qua-
tuordecim annos Hiſpanias aduerſum
Romanos mouiſſet, paſtor primò fuit,
mox latronum dux: poſtremò tantos
ad bellum populos concitauit, ut aſſer-
tor contra Romanos Hiſpaniæ putare-
tur. & cum interfectores eius præmium
à † Cæpione conſule peterent, reſpon- *† Scipione.*
ſum eſt: Nunquam Romanis placuiſſe,
imperatorem à ſuis militibus interfici.

Q. Pompeius † deinde conſul à Nu- *† ante.*

An.615. mantinis,quę Hiſpanię ciuitas fuit opu
lentiſsima,ſuperatus ,pacem ignobilem
† fecerat. † fecit.Poſt eum C.Hoſtilius Mancinus
An.617. Cos.iterum cum Numantinis pacem fe
cit infamem,quam Pop . & Senatus iuſ-
ſit infringi,atque ipſum Mancinum ho-
ſtibus tradi:ut in illo quem auctorem fœ
deris habebant , iniuriam ſoluti fœderis
uindicarent. Poſt tantam igitur ignomi
niam , qua à Numantinis bis Romanus
exercitus fuerant ſubiugati,P.Scipio A-
An.620. fricanus ſecundò Conſul factus , ad Nu-
mantiam miſſus eſt. Is primùm mili-
tem uitioſum & ignauũ exercendo ma-
gis quàm puniendo,ſine aliqua acerbita
te correxit. Tum multas Hiſpaniæ ci-
uitates partim cæpit,partim in deditio-
nem accepit. Poſtremò ipſam Numan-
† uicit. tiam diu obſeſſam,fame † confecit , & à
ſolo euertit: reliquam prouinciam in fi-
dem accepit.

An.621. Eo tempore Attalus rex Aſiæ, † fra-
† filius. ter Eumenis , mortuus eſt , hæredemq;
Populum Romanum reliquit. ita im-
perio Romano per teſtamentum Aſia
acceſsit.

Mox etiam Decimus Iunius Brutus 14
de

de † Callęcis & Luſitanis triũphauit magna gloria: & P. Scipio Africanus de Numantinis ſecundum triumphum egit, XIIII anno pòſt quàm priorem de Africa egerat. + *Gallicis*

Motum interea in Aſia bellum eſt ab Ariſtonico Eumenis filio, qui ex concubina ſuſceptus fuerat. Is Eumenes, frater Attali fuerat. Aduerſus eũ miſſus eſt P. Licinius Craſſus, habens infinita regũ auxilia. Nam & Bithynię rex Nicomedes Romanos iuuit: & Mithridates Ponticus, cum quo poſtea bellũ grauiſsimum fuit: & Ariarathes Cappadox, & Pylæmenes Paphlagon. uictus eſt tamen Craſſus in prælio, & interfectus. caput eius Ariſtonico oblatum eſt, corpus Smyrnæ ſepultum. Poſtea Perpenna cõſul Romanus, qui ſucceſſor Craſſo ueniebat, audita belli fortuna, ad Aſiam celerauit: & acie uictum Ariſtonicum, apud Stratonicen ciuitatem, quò fugerat, fame ad deditionem compulit. † Stratonicus iuſſu Senatus Romæ in carcere ſtrangulatus: triumphari enim de eo nõ poterat, quia Perpenna apud Pergamũ rediens, diem obierat. *An. 623.* *An. 624.* + *Ariſtonicus.*

An.631. L. Cæcilio Metello, & T. Quintio Fla 15
minio Coſs. Carthago in Africa iuſſu Senatus reparata eſt, quæ nunc manet. annis duobus & uiginti, poſtquam à Scipione fuerat euerſa, deducti eò ſunt ciues Romani.

An.630. Anno DCXXVII ab urbe condita, C. 16
Caſsius Longinus, & Sex. Domitius Caluinus conſules, Gallis Tranſalpinis bellum intulerunt, & Aruernorum nobiliſsimæ tum ciuitati, atque eorum
† duci. † regi Bituito. infinitamq; multitudinẽ 17
iuxta Rhodanum fluuium interfecerũt. Præda ex torquibus Gallorum ingens Romam perlata eſt. Bituitus ſe Domitio dedit, atque ab eo Romam deductus eſt, magnaq; gloria Conſules ambo triumphauerunt.

An.636. M. Portio Catone, & Q. Marcio Rege
Coſs. DCXXX anno, & tertio ab urbe con 18
dita, Narbona in Gallia colonia deducta
† Annoq; eodem eſt. † Poſt à L. Metello, & Q. Mutio
An.637. Scæuola Coſs. de Dalmatia triumphatum eſt.

An.640. Ab urbe condita anno DCXXXV, C. Ca 19
to conſul Scordiſcis intulit bellũ, ignominioſeque pugnauit.

C. Cæci-

C.Cæcilio Metello, & Cn. Carbone *An. 641.*
Coſs. duo Metelli fratres eodem die al-
terum ex † Thracia, ex Sardinia alterum *† Africa.*
triumphum egerunt. Nunciatumq́ue
Romæ eſt, Cimbros è Gallia in Italiam
tranſiſſe.

P.Scipione Naſica, & L. Calphurnio *An. 643.*
Beſtia Coſs. Iugurthæ Numidarum re-
gi bellum illatum eſt, quòd Adherbalẽ
& Hiempſalem, Micipſæ filios, fratres
ſuos, reges, & P. R. amicos interemiſſet.
miſſus aduerſus eum Cos. Calphurnius
Beſtia, corruptus regis pecunia, pacem
cum eo flagitioſiſsimam fecit, quæ à Se
natu improbata eſt. Poſtea contra eun- *An. 644.*
dem inſequenti anno Sp. Albinus Po-
ſthumius profectus eſt. Is quoq; per fra-
trem ignominioſe contra Numidas pu-
gnauit. Tertio miſſus Q. Cæcilius Me- *An. 645.*
tellus conſul, exercitum ingenti ſeueri-
tate & mõderatione correctum, cum ni-
hil in quenquam cruentum faceret, ad
diſciplinam Romanam reduxit. Iugur-
tham uarijs prælijs uicit: elephantos e-
ius occidit, uel cæpit. Et cum iam
bello finem poſiturus eſſet, ſucceſſum *An. 647.*
eſt ei à C. Mario. Is Iugurtham, &

 Bocchum

Bocchum Mauritaniæ regem, qui auxilium Iugurthæ ferre cœperat, pariter ſuperauit.

Aliquãta & ipſe oppida Numidiæ cæpit, belloq́; terminum poſuit: capto Iugurtha per quęſtorem ſuum Cornelium Syllam, ingentem uirum: tradente Boccho Iugurtham, qui pro eo antè pugnauerat.

An. 645. A M. Iunio Syllano, collega Q. Metelli, Cimbri in † Gallia, & à M. Minutio Rufo in Macedonia Scordiſci & Triballi, & à Seruilio Cæpione in Hiſpania Luſitani † uicti ſunt: & duo triumphi de Iugurtha, primus per Metellum, ſecundus per Marium acti ſunt: ante currũ tamen Marij Iugurtha cum duobus filijs ductus eſt cathenatus; † & mox iuſſu conſulis in carcere ſtrangulatus. 20

† Italia uicti ſunt.

† ſubacti

† Hæc in altero exẽplari omnia omiſſa ſunt.

EVTROPII LIber V.

An. 649. DVm bellum in Numidia contra Iugurtham geritur, Romani conſu- 1
648. les M. Manlius & Q. Cępio à Cimbris & Teútonib. & Tigurinis & Ambronibus 2
quæ erãt Germanorũ & Gallorũ gentes,

uicti

uicti ſunt iuxta flumẽ Rhodanũ: & ingẽti internecione attriti, etiam caſtra ſua & magnam partem exercitus perdiderunt. Timor Romæ grandis fuit, quantũ uix Hannibalis tempore Punicis bellis, ne iterum Galli Romam uenirent. Ergo Marius poſt uictoriam Iugurthinã ſecundò Cos. eſt factus, bellumq; ei contra Cimbros & Teutones decretum eſt. Tertiò quoque ei & quartò delatus eſt conſulatus: quia bellum Cimbricũ protrahebatur. ſed in quarto conſulatu collegam habuit Q. Luctatium Catulum. cum Cimbris itaque conflixit, & duobus prælijs CC millĩa hoſtium cæcidit, 3 LXXX millia cæpit, & ducem eorũ Theutobodum. propter quod meritũ abſens quintò Cos. eſt factus. *An. 650.* *An. 651. 652.*

Interea Cimbri & Teutones, quorum copia adhuc infinita erat, ad Italiam tranſierunt. Iterum à C. Mario & Q. Catulo contra eos dimicatum eſt: ſed à Catuli parte felicius. nam eo prælio quod ſimul ambo geſſerunt, CXL millia aut in pugna, aut in fuga cæſa ſunt; 4 LX millia capta. Romani milites ex utroque exercitu † trecenti perierunt. *An. 653.*

+ al. CCC. al. III. id eſt, ter mille: quod eſt ueri ſimilius.

Tria & triginta ſigna Cimbris ſublata ſunt. ex his exercitus Marij duo reportauit, Catuli exercitus xxx & unum. Is belli finis fuit: triumphus utrique decretus eſt.

An.663. Sex. Iulio Cæſare, & L. Marcio Philippo Coſs. ſexcenteſimo † quinquageſimo nono ab urbe condita, cum propè alia omnia bella ceſſarent, in Italia grauiſsimum bellum Picentes, Marſi, Pelignîq; mouerunt: qui cum annis numeroſis iam Pop. Romano obedirent, tum libertatẽ ſibi æquam aſſerere cœperunt. Pernicioſum admodum hoc bellũ fuit. P. Rutilius conſul in eo occiſus eſt: Q. Cæpio nobilis iuuenis, & L. Porcius Cato alius Coſ. Duces autẽ aduerſus Romanos Picentibus & Marſis fuerunt, T. Vietius, Hierus Aſinius, T. † Herennius, A. Cluentius. A Romanis bene contra eos pugnatum eſt, à C. Mario, qui ſexies conſul fuerat: & à Cn. Pompeio: maximè tamen à L. Cornelio Sylla, qui inter alia facta egregia, ita Cluentium hoſtium ducem cum magnis copijs fudit, ut ex ſuis nec unum amitteret. Quadriennio, cum graui tamen calamitate, hoc

Marginalia: † L X al. L. — 5
Sociale bellum.
6
† *Legennius.* — 7

hoc bellum tractum eſt. Quinto demum
anno finem accepit, per L. Cornelium
Syllam Cos. cum antea in eodem bello
ipſe multa ſtrennuè prætor geſsiſſet.

8 Anno urbis conditæ DCLXII primum *An.665.*
Romæ bellum ciuile commotum eſt: eo
dem anno etiam Mithridaticum. Cau-
ſam bello ciuili C. Marius ſexies Cos.
dedit.

Nam cum Sylla conſul contra Mi- 666.
thridatem geſturus bellum, qui Aſiam
& Achaiam occupauerat, mitteretur:
isque exercitum in Campania pauli-
ſper teneret, ut belli Socialis (de quo
diximus) quòd intra Italiam geſtum
fuerat, reliquiæ tollerentur, Marius af-
fectauit, ut ipſe ad bellum Mithridati-
cum mitteretur. Quare Sylla commo-
tus, cum exercitu ad urbem uenit. illic
contra Marium & Sulpitium dimica-
uit. Primus urbē Romam ingreſſus eſt,
Sulpitium interfecit, Marium fugauit:
atque ita Coſs. ordinatis in futurum an-
num, Cn. Octauio, & L. Cornelio Cin- 667.
na, ad Aſiam profectus eſt. Mithri- *Mithridati-*
dates enim, qui Ponti rex erat, atque *cum bellum.*
Armeniam minorem, & totum Pon-
ticum

ticum mare in circuitu cũ Boſphoro te nebat, primò Nicomedem amicum Po. Romani Bithynia uoluit expellere: Senatuiq́ue mandauit, bellũ ſe ei propter iniurias quas paſſus fuerat, illaturum. à Senatu reſponſum eſt Mithridati, ſi id faceret, quòd & ipſe bellum à Romanis pateretur. Qua re iratus, Cappadociam ſtatim occupauit, & ex ea Ariobarſanem regem & amicum populi Romani fugauit. Mox etiam Bithyniam inuaſit, & Paphlagoniam, pulſis ex ea regibus, amicis Populi Rom. Pylæmene & Nicomede. inde Epheſum contendit: & per omnem Aſiam literas miſit, ut ubicunque inuenti eſſent ciues Romani, uno die occiderentur. Interea etiam Athenæ ciuitas Achaiæ ab Ariſtone Athenienſi Mithridati tradita eſt. Miſerat enim iam ad Achaiam Mithridates Archelaum ducem ſuum, cum cxx millibus equitum ac peditum: per quem etiam reliqua Græcia occupata eſt. Sylla Archelaum apud Pirẹeum non longè ab Athenis obſedit, 9
ipſamq́ue urbem cæpit. poſtea commiſſo prælio contra Archelaũ, ita eũ uicit, ut ex cxx millibus uix decem ſupereſſent

Arche-

10 Archelao,& ex Syllæ exercitu xiiii tã-
tum homines interficerentur. Hac pu-
gna Mithridates cognita, lxx millia le-
ctiſsima ex Aſia Archelao miſit. contra
quem Sylla iterum commiſit. Primo prę
lio uiginti millia hoſtiũ interfecta ſunt,
filiusq; Archelai Diogenes: ſecundo om
nes Mithridatis copię extinctę ſunt. Ar-
chelaus ipſe triduò nudus in paludibus
11 latuit. Hac re audita, Mithridates cum
Sylla de pace agere cœpit.

Interim eo tempore Sylla etiam Dardanos, Scordiſcos, Dalmatas & Mœſos partim uicit, alios in fidem accepit. Sed cum legati à rege Mithridate, qui pacem petebant, ueniſſent, non aliter ſe daturũ Sylla eſſe reſpondit, niſi rex relictis his quæ occupauerat, ad regnum ſuum redijſſet. Poſtea tamen ad colloquium ambo uenerunt. pax inter eos ordinata eſt, ut Sylla ad bellum ciuile feſtinans, à tergo periculum nõ haberet. Nam dum Sylla in Achaia atque Aſia Mithridatem uicit, Marius qui fugatus erat, & Cornelius Cinna unus ex conſulibus, bellum in Italia repararũt: & ingreſsi urbem Romã, nobiliſsimos ex Senatu & Conſula-

res

res uiros interfecerunt, multos proſcri-
pſerunt: ipſius Syllæ domo euerſa, filios
& uxorem in fugam compulerunt. uni-
uerſus reliquus Senatus ex urbe fugiẽs,
ad Syllam in Gręciam uenit, orans ut pa
An. 671. triæ ſubueniret. Ille in Italiam traiecit,
bellum ciuile geſturus aduerſus Norba-
num & Scipionem Coſs. & primo præ-
lio contra Norbanũ dimicauit, non lon-
ge à Capua. tum VII millia eius cæcidit,
VI millia cæpit. CXXIIII ſuorum amiſit.
Inde etiam ſe ad Scipionem conuertit,
& ante pręlium totum eius exercitum ſi
An. 672. ne ſanguine in deditionem accepit. Sed
cum Romæ mutati conſules eſſent, &
Marius Marij filius, ac Cn. Papyrius Car
bo, conſulatum accepiſſent, Sylla contra
Marium iuniorem dimicauit: & XV mil-
† IIII millia. libus eius occiſis, † CCCC de ſuis perdi- 12
dit. Mox etiam urbem ingreſſus eſt. Ma-
rium, Marij filium, Preneſte perſecutus,
obſedit, & ad mortem compulit. Rur-
ſus pugnam grauiſsimam habuit contra
Lamponium & Carinatem, duces partis
† LXX. Marianæ, ad portam Collinã. † LXX mil
lia hoſtium in eo prælio contra Syllam
fuiſſe dicuntur. XII millia ſe Syllæ dedi-

derunt:cæteri in acie,in caſtris, in fuga,
inſatiabili ira uictoris conſumpti ſunt.
Cn. quoque Carbo Cos.alter,ab Arimi-
no ad Siciliam fugit,& ibi per Cn. Pom-
peium interfectus eſt: quem adoleſcen-
tem Sylla annos unum & xx natum,co-
gnita eius induſtria,traditis exercitibus
13 præfecerat, ut ſecundus à Sylla habere-
tur. Occiſo ergo Carbone, Pompeius
Siciliã recepit. Tranſgreſſus inde ad Afri
cam,Domitium Marianæ partis ducem,
14 & Hiarbam regem Mauritaniæ,qui Do-
mitio auxiliũ ferebat,occidit. Poſt hęc
Sylla de Mithridate ingẽti gloria trium-
phauit.Cn.etiam Pompeius,quod nulli
Romanorum tributum erat, quartum
15 & xx annum agens, de Africa triumpha
uit. Hunc finem habuerunt duo bella
funeſtiſsima: Italicum, quod eſt Socia-
le dictum, & Ciuile: quæ ambo + tra-
cta ſunt per annos decem. conſumpſe-
runt ultra c l millia hominum, uiros
conſulares xxiiii, prætorios
16 vii, ædilitios lx,ſenato-
res ferè ccc.

EVTRO-

EVTROPII LIber VI.

An.676. M. Aemilio Lepido, Q. Catulo Coſ. cũ Sylla Remp. compoſuiſſet, bella noua exarſerunt: unum in Hiſpania, aliud in Pamphylia & † Cilicia, tertium in Macedonia, quartum in Dalmatia. *† Sicilia* *I. in Hiſpania.* Nam Sertorius, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam eorum qui interempti erant, ad bellum cõmouit Hiſpanias. Miſsi ſunt contra eum duces, Q. Cæcilius Metellus, filius eius qui Iugurtham uicit: & L. Domitius prętor. A' Sertorij duce † Hirtuleio Domiti⁹ occiſus eſt. *† Herculeo.* Metellus uario ſucceſſu contra Sertorium dimicauit. Poſtea cum impar pugnæ ſolus Metellus putaretur, Cn. Pompeius ad Hiſpanias miſſus eſt. ita duobus ducibus † aduerſis, Sertorius fortuna uaria ſæpe pugnauit. *† aduerſus Sertorium.* Octauo † demum anno à ſuis occiſus eſt. & finis ei bello datus eſt per Cn. Pompeium adoleſcentem, & Q. Metellum Pium: atque omnes propè Hiſpaniæ in deditionem Po.Ro. redactæ ſunt. *† decimo*

II. Macedonicum. Ad Macedoniam miſſus eſt Ap. Claudius poſt Conſulatum. Leuia prælia habuit,

buit,contra uarias gentes, quæ † Rhodopam prouinciam incolebant: atq; ibi *An.675.* *† Verodopã.*
2 morbo mortuus eſt. Miſſus ei ſucceſſor Cn. Scribonius Curio poſt conſulatum. is Dardanos uicit, & uſq; ad Danubium penetrauit, triumphumq; meruit, & intra triennium finem bello dedit.

Ad Ciliciam & Pamphyliam miſſus *III. Ciliciũ ac Pamphylicum.*
3 eſt P. Seruilius exconſule uir ſtrenuus. Is Ciliciam ſubegit, Lyciæ urbes clariſſimas oppugnauit, & cæpit. In his Pha
4 ſelidem, Olympum, Dorycum Ciliciæ. Iſauros quoque aggreſſus, in deditionẽ † coegit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romano- *† redegit.*
5 rum in † Iſauriam iter fecit. Reuertens triumphum accepit, & nomen Iſaurici meruit. *† Tauro*

6 Ad Illyricum miſſus eſt Cn. Coſconius † proconſule, multam partem Dalmatiæ ſubegit, Salonas cæpit: & compoſito bello, Romam poſt biennium redijt. *IIII. Dalmaticum.* *† proconſul.*

Iiſdem temporibus, conſul M. Aemilius Lepidus, Catuli collega, bellum ciuile uoluit commouere: intra tamen unam ęſtatem † motus eius oppreſſus eſt. *† nixus.*
Ita uno tempore multi ſimul triumphi

 fuerunt:

fuerũt: Metelli, ex Hiſpania: Pompeij ſe
cundus, ex Hiſpania: Curionis, ex Mace
donia: Seruilij, ex Iſauria.

An.680. *+DCLXXVIII.*

Anno urbis conditæ + DCLXXVI, L. 7
Licinio Lucullo, & M. Aurelio Cotta
Coſs. mortuus Nicomedes rex Bithy-
niæ, ex teſtamento populum Romanũ
fecit hæredem. Mithridates pace rupta,
Bithyniam & Aſiam rurſus uoluit inua-
dere. Aduerſus eum ambo conſules miſ-
ſi, uariam habuere fortunam. Cotta a- 8
pud Chalcedonem uictus ab eo acie, etiã
intra oppidum çoactus eſt, & obſeſſus.
Sed cum ſe inde Mithridates Cyzicum
trãſtuliſſet, ut Cyzico capto totã Aſiã in 9
uaderet, Lucullus ei alter conſul occur-
rit: ac dum Mithridates in obſidione Cy
zici commoratur, ipſe eum à tergo obſe-
dit, fameq; conſumpſit, & multis præ-
lijs uicit. Poſtremò Byzantium (quę nũc
Conſtantinopolis eſt) fugauit. nauali
quoque prælio duces eius Lucullus op-
preſsit. Ita una hyeme & æſtate, à Lucul
lo centum ferè millia hominum ex par-
te regis extincta ſunt.

An.681.

Anno urbis Romæ DCLXXVIII, Mace
doniam prouinciã M. Licinius Lucullus
accepit,

accepit, conſobrinus eius qui contra Mithridatem bellum gerebat. Et in Italia nouum bellum ſubitò commotũ eſt. 682.

10 LXX enim & quatuor gladiatores, ducibus Sparthaco, Chryſo, & † Oenomanno, effracto Capuæ ludo effugerunt: & per Italiam uagantes, penè nõ leuius bellum in ea quàm Hãnibal mouerũt. nam multis ducibus, & duobus ſimul Romanorũ cõſulib. uictis, ſexaginta ferè milliũ armatorũ exercitũ cõgregauerũt: uictiq; ſunt in Apulia à M. Licino Craſſo † proconſule. & poſt multas calamitates Italię tertio anno, bello huic finis imponitur.

† *Oenomao.*

† *pratore.*

11 Sexcenteſimo octogeſimoprimo urbis conditæ anno, P. Cornelio Lentulo, & Cn. Aufidio Oreſte Coſs. duo tantum grauia bella in imperio Romano erant, Mithridaticum & Macedonicum: hæc duo Luculli agebant, L. Lucullus & M. Lucullus. L. ergo Lucullus poſt pugnã Cyzicenam, qua uicerat Mithridatem: & naualem, qua duces eius oppreſſerat, perſecutus eſt eum: & recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam regnum e-

An.683.

Luculli duo

12 ius inuaſit. Sinopen & * Amiſum, ciuitates Ponti † nobiliſsimas, cępit. Secũdo

* *Amylon*

† *bellicoſiſsimas.*

 prælio

prælio apud Cabira ciuitatem, quò ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum xxx millia lectiſsima regis, à quinque Romanorum millibus uaſtata eſſent, Mithridates fugatus, & caſtra eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidẽ ſublata eſt. ſuſceptus tamen eſt Mithridates poſt fugam à Tigrane Armeniæ rege, qui tum ingenti gloria imperabat, Perſas ſæpe uicerat, Meſopotamiam occupauerat, & Syriam, & Phœnices partem. Ergo Lucullus repetens hoſtem fugatum, etiam regnum Tigranis, qui † Armenis imperabat, ingreſſus eſt. Tigranocertam, ciuitatem Armeniæ nobiliſsimam, cæpit. Ipſum regem cum ſexcẽtis millibus clibanariorum, & centum millibus ſagittariorum & armatorum uenientem, octodecim millia militum habens, ita uicit, ut magnam partem Armeniorum deleuerit. Inde Niſibin profectus, eam quoque ciuitatem cum regis fratre cæpit. Sed hi quos in Ponto Lucullus reliquerat cum exercitus parte, ut * Legiones uictas etiã † Rom. tuerentur, negligenter ſe & auarè agentes, occaſionem iterum Mithridati

13

† *Armenijs.*

14

* *regiones.*
† *Romanorum.*

dati in Pontum irrumpendi dederunt: atq; ita bellum renouatum eſt. Lucullo paranti, capta Niſibi, contra Perſas expeditionem, ſucceſſor eſt miſſus. Alter *M. Luculli geſta.* Lucull⁹, qui Macedoniã adminiſtrabàt, Beſsis Romanorum primus intulit bellum, atque eos ingenti prælio in Hæmo monte ſuperauit. oppidũ Vſcudamam, quod Beſsi habitabant, eodem die quò aggreſſus eſt, uicit: Cabylen cæpit, uſq;
15 ad Danubium penetrauit. Inde multas ſuper Pontũ poſitas ciuitates aggreſſus eſt. Illic Apolloniam euertit, Calatim,
16 Parthenopolim, Tomos, Hiſtrum, Buziam omnem cępit: belloq; confecto, Romam redijt. ambo tamen triumphauerunt: † Lucullus, qui contra Mithridatem pugnauerat, maiori gloria, cum tantorum regnorum uictor redijſſet. *† Lucius.*

Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod recedente Lucullo, rex collectis auxilijs reparauerat, bellũ Creticum ortum eſt. ad id miſſus Cæcilius Metellus, ingentibus prælijs intra triennium omnem prouinciam cæpit, appellatusq; eſt Creticus, atque ex inſula triumphauit. Quo tempore Libya *An. 687.*

quoque Romano imperio per teſtamentum Appionis, qui rex eius fuerat, acceſſit: in qua inclytæ ciuitates erant, Berenice, Ptolemais, & Cyrene.

Eodem 687. Dum hæc geruntur, piratę omnia maria infeſtabant, ita ut nauigatio Romanis toto orbe uictoribus, ſola tuta non eſſet. Quare id bellum Cn. Pompeio decretum eſt: quod intra paucos menſes ingenti fœlicitate & celeritate confecit. Mox ei delatum bellum etiam contra regem Mithridatem † & Tigranem: quo ſuſcepto, Mithridatem in Armenia minore, nocturno prælio uicit, caſtra diripuit: quadraginta millibus eius occiſis, † uiginti tantum de exercitu ſuo perdidit, & duos centuriones. Mithridates cũ uxore fugit, duobus comitibus. Neq; multo pòſt, cum in ſuos ſæuiret, Pharnacis filii ſui † ſeditione apud milites, ad mortem coactus, uenenũ hauſit. Hunc finem habuit Mithridates. perijt autem apud Boſphorum, uir ingentis induſtrię conſilijque. Regnauit annis † ſexaginta: uixit ſeptuaginta duob. * contra Romanos bellum habuit annos quadraginta.

† regem: quo

† triginta.

† inſtinctu, militum ſeditione ad mor.

† quadraginta.

** Aliterum exemplar hoc non habebat.*

Tigrani

Tigrani deinde Pompeius bellum in *An.688.*
tulit. ille ſe ei dedidit, & in caſtra Pom-
peij ſextodecimo milliario ab Artaxata
uenit: ac diadema ſuũ, cum procubuiſ-
ſet ad genua Pompeij, in † manibus eius † *manus*
collocauit. quod ei Pompeius repoſuit:
honorificeq; eum habitum, regni tamen
parte mulctauit, & grãdi pecunia. Adem
pta eſt ei & Syria, Phœnice, Sophene: ſex
millia præterea talentorum argenti, quę
populo Romano daret, quia bellum ſi-
ne cauſa Romanis commouiſſet.

Pompeius mox etiam Albanis bellũ
17 intulit, & eorum regem Orodem † ter † *prudenter.*
uicit: poſtremò per epiſtolas & munera
rogatus, ueniam ei ac pacem dedit. Ibe-
riæ quoque regem Arthacen uicit acie,
& in deditionem accepit. Armeniam mi
norem Deiotaro Galatiæ regi donauit,
quia ſocius belli Mithridatici fuerat. At-
talo & Pylæmeni Paphlagoniam † red- † *dedit.*
didit. Ariſtarchum Colchis regem impo *An.689.*
ſuit, mox Ituræos & Arabes uicit. &
cum ueniſſet in Syriam, Seleuciam ui-
cinam Antiochiæ ciuitatem liberta-
te donauit, eo quòd regem Tigranem
non recepiſſet. Antiochenſibus obſides

 reddi-

reddidit:aliquantũ agrorum Daphnen-
+ *locus.* ſibus dedit,quo + lucus ibi ſpacioſior fi- 18
eret,delectatus amœnitate loci,& aqua-
An.690. rum abundantia.Inde ad Iudæam tranſ-
greſſus,Hieroſolymam caput gentis ter
tio menſe cæpit:duodecim millibus Iu-
dæorum occiſis, cæteris in fidem acce-
ptis.His geſtis,in Aſiam ſe recepit, & fi-
nem antiquiſsimo bello dedit.

An.691. M.Tul. Cicerone oratore,C.Antonio
Coſs.anno ab urbe condita DCLXXXIX, 19
L.Sergius Catilina, nobiliſsimi generis
uir,ſed ingenij prauiſsimi,ad delendam
patriam coniurauit,cum quibuſdam cla
ris quidẽ,ſed audacibus uiris. A Cicero-
ne urbe expulſus eſt. Socij eius depre-
henſi,in carcere ſtrangulati ſunt. Ab An
tonio,altero conſule,Catilina ipſe præ-
lio uictus eſt,& interfectus.

An.692. Sexcẽteſimo nonageſimo anno ab ur
be condita,D.Iunio Syllano,& L. Mure 20
na Coſs. Metellus de Creta triumpha-
uit,Pompeius de bello piratico & Mi-
thridatico.Nulla unquam pompa trium
phi ſimilis fuit.Ducti ſunt ante eius cur-
+ *filij.* rum + filius Mithridatis, + filius Tigra-
nis,Ariſtobulus rex Iudæorum.prælata
eſt in-

eſt ingens pecunia, auri atque argenti infinitum pondus. Hoc tempore nullum per orbem terrarum graue bellum erat.

21 Anno urbis conditæ DCXCIII. C. Iulius Cæſar, qui poſtea imperauit, cum L. Bibulo conſul eſt factus. decreta eſt ei Gallia, & Illyricum, cum legionibus decem. Is primò uicit Heluetios, qui nunc Sequani appellantur. deinde uincendo per bella grauiſsima, uſque ad Oceanum Britannicum + proceſsit. Domuit autẽ annis ferè IX omnem Galliam, quæ inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenum & Oceanum eſt, & circuitu patet ad bis tricies centena millia paſſuum. Britannis mox bellum intulit, quibus ante eũ ne nomen quidẽ Romanorum cognitum erat. & eos quoque uictos, obſidibus acceptis, ſtipendiarios fecit. Galliæ autem tributi nomine annuũ imperauit ſeſtertium quadringẽties: Germanosq́; trans Rhenum aggreſſus, immaniſsimis prælijs uicit. Inter tot ſucceſſus ter malè pugnauit: apud Aruernos ſemel præſens, & abſens in Germania bis. nã legati eius

22 duo, Titurius & Arunculeus, per inſidias cæſi ſunt.

An. 695. 696.

+ acceſſit.

An. 699.

Circa eadem tempora, anno urbis con 23
✝ DCXC ditę ✝DCXCVII,M.Licinius Craſſus,col
IX. lega Cn. Pompeij Magni, in conſulatu
ſecundo, contra Parthos miſſus eſt: &
cum circa Carras contra omina & auſpi-
cia dimicaſſet,à Surena Orodis regis du- 24
ce uictus, ad poſtremùm interfectus eſt,
cum filio,clariſſimo & pręſtantiſsimo iu
uene.Reliquię exercitus per C.Caſsium 25
quæſtorem ſeruatæ ſunt: qui ſingulari
animo perditas res tanta uirtute reſti-
tuit,ut Perſas,rediens trans Euphraten,
crebris prælijs uinceret.

An.705. Hinc iam bellum ciuile ſucceſsit, exe crandum & lachrymabile, quo præter calamitates,quæ prælijs acciderunt, etiam Romani nominis fortuna mutata eſt. Cæſar.n.rediens è Gallia uictor, cœpit depoſcere alterum conſulatum: atque cum ſine dubietate aliqua deferretur,contradictum eſt à Marcello Cos. à Bibulo,à Pompeio,à Catone: iuſſusq́ue dimiſsis exercitibus, ad urbem redire. propter quam iniuriam,ab Arimino,ubi milites congregatos habebat, aduerſum patriam cum exercitu uenit. Coſs. cum Pompeio, Senatusq; omnis, atque uniuerſa

uerſa nobilitas ex urbe fugit, & in Græciam tranſiuit: apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, contra Cæſarem bellum parauit. Cęſar uacuam
26 urbem ingreſſus, Dictatorem ſe fecit. inde Hiſpanias petijt: ibi Pompeij exercitus ualidiſsimos & fortiſsimos, cum tribus ducibus L. Afranio, M. Petreio, M. *An. 706.*
Varrone, ſuperauit. inde regreſſus, in Græciam tranſijt, aduerſum Pompeium dimicauit. primo prælio uictus eſt, & fugatus. euaſit tamen: quia nocte interueniente, Pompeius ſequi noluit. dixitq; Cæſar, nec Pompeium ſcire uincere, & illo tantum die ſe potuiſſe ſuperari. De
27 inde in Theſſalia apud † Palæopharſalum, productis utrinque ingentibus copijs dimicauerunt. Pompeij acies habuit XL millia peditum, equitũ in ſiniſtro cornu VII millia, in dextro D. Pręterea totiꝰ Orientis auxilia, totamq; nobilitatem, innumeros Senatores, Prætorios, Conſulares, & qui magnorũ iam populorum uictores fuiſſent. Cæſar in acie ſua habuit peditum non integra XXX millia, equites mille. Nunquam adhuc Romanæ copię in unum neque maiores, neq; meli-

† Pharſaliā

C. IVLIVS Cæſ. I. Imp.

melioribus ducibus conuenerant: totum terrarum orbem facilè ſubacturæ, ſi contra Barbaros ducerentur. pugnatum tamen eſt ingenti contentione: uictusq; ad poſtremùm Pompeius, & caſtra eius direpta ſunt. Ipſe fugatus, Alexandriam petijt, ut à rege Aegypti, cui tutor à Senatu datus fuerat, propter iuuenilem eius ætatem acciperet auxilia. qui fortunam magis quàm amicitiam ſecutus, occidit Pompeium: caput eius & annulum Cęſari miſit. quo conſpecto, Cęſar etiam lachrymas fudiſſe dicitur, tanti uiri intuẽs caput, & generi quondam ſui.

Mox Cæſar Alexandriam uenit. ipſi quoque Ptolemæus parare uoluit inſidias: qua cauſa regi bellum illatum eſt. uictus in Nilo perijt, inuentumq; eſt corpus eius cum lorica aurea. Cæſar Ale-
An. 707. xandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, Ptolemæi ſorori, cum qua conſuetudinem ſtupri habuerat: quę poſtea regio comitatu urbem ingreſſa eſt. Rediens inde Cæſar, Pharnacem Mithridatis magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Theſſaliam fuerat, rebellantem in Ponto, & multas Populi Ro. prouincias occu-

occupantem, uicit acie: poſtea ad mor-
tem coegit. inde Romam regreſſus, ter-
tiò ſe conſulem fecit cum M. Aemilio *An.708.*
Lepido, qui † ei magiſter equitum dicta *+ &*
tori ante annum fuerat. Inde in Africam
profectus eſt, ubi infinita nobilitas cum
Iuba Mauritaniæ rege bellum reparaue-
28 rat. duces autem Romani erant, P. Cor-
nelius Scipio, ex genere antiquiſsimo
29 Scipionis Africani: (hic etiam ſocer ma-
30 gni Pompeij fuerat) M. Petreius, + Q. *M.Varro.*
Varus, M. Porcius Cato, L. Cornelius
Fauſtus, Syllæ quondam dictatoris fi-
lius. Contra hos commiſſo prælio, poſt
multas dimicationes uictor fuit Cæſar.
Cato, Scipio, Petreius, Iuba, ipſi ſe occi-
derunt. Fauſtus Syllæ quondam Dicta
toris filius, Pompeij gener, à Cæſare in-
terfectus eſt. Poſt annum Cæſar Ro-
mam regreſſus, quartò ſe cõſulem fecit:
& ſtatim ad Hiſpanias eſt profectus, ubi *An.709.*
Pompeij filij Cn. & Sex. ingens bellum
reparauerant. multa prælia fuerunt. ulti
mum prælium apud Mundam ciuita-
tem: in quo adeò Cæſar penè uictus eſt,
ut fugientibus ſuis, ſe uoluerit occidere:
ne poſt tantam rei militaris gloriam, in
poteſta-

poteſtatem adoleſcentium, natus annos ſex & quinquaginta, ueniret. denique reparatis ſuis, uicit: & Cn. Pompeij filius 31
maior occiſus eſt, minor fugit. Inde Cæſar bellis ciuilibus toto orbe compoſitis, Romam redijt: agere inſolentius cœpit, & contra conſuetudinem Romanæ libertatis. Cũ ergo & honores ex ſua uoluntate præſtaret, qui à populo antea deferebantur, nec Senatui ad ſe uenienti aſſurgeret, aliaq; regia ac penè tyrannica faceret, coniuratum eſt in eum à LX, uel amplius, Senatoribus, equitibusq; Romanis. Præcipui fuerunt inter coniuratos, duo Bruti, ex eo genere Bruti qui 32
primus Romæ conſul fuerat, & reges expulerat: C. Caſsius, & Seruilius Caſca. Ergo Cæſar, cum Senatus die quadam inter cæteros ueniſſet ad curiam, tribus & uiginti uulneribus confoſſus eſt.

EVTROPII LIber VII.

An. 710. ANno urbis DCC ferè ac nono, interfecto Cæſare, bella ciuilia reparata 1
ſunt. percuſſoribus enim Cæſaris Senatus fauebat. Antonius conſul partium Cæſa-

Cę ſaris, ciuili bello opprimere eos cona
batur. Ergo turbata Rep. multa Anto
nius ſcelera committens, à Senatu ho-
ſtis iudicatus eſt. miſsi ad eũ perſequen-
2 dũ duo Coſs. Panſa & Hircius, & † O- *An.711.*
ctauianus adoleſcẽs annos XVIII natus, *C. OCTAVIVS Au*
Cæſaris nepos: quem ille teſtamento hę *guſtus II.*
redem reliquerat, & nomen ſuum ferre *Imp.*
iuſſerat. hic eſt, qui poſtea Auguſtus eſt
dictus, & rerũ potitus. Quare profecti cõ
tra Antonium tres duces, uicerunt eum.
euenit tamẽ, ut uictores Coſs. ambo mo
rerentur. Quare tres exercitus uni Cæſa
ri paruerunt. fugatus Antonius, amiſſo *Bellum Mu*
exercitu, cõfugit ad Lepidum, qui Cæſa *tinenſe, L*
ri magiſter equitum fuerat, & tum co-
pias militum grandes habebat. à quo ſu
ſceptus eſt. Mox Lepido operam dante,
Cæſar cum Antonio pacẽ fecit: & quaſi
uindicaturus patris ſui mortem, à quo
per teſtamentum fuerat adoptatus, Ro-
mam cum exercitu profectus eſt: extor-
ſitq́; ut ſibi XX anno conſulatus daretur.
Senatum proſcripſit cũ Antonio & Lepi
do, & Remp. armis tenere cœpit. Per hos
etiam Cicero orator occiſus eſt, multiq́; *An.712.*
alij nobiles.

Inte-

Bellum Philippenſe. I I. Interea Brutus & Caſsius, interfectores Cæſaris, ingens bellum mouerunt. erant enim per Macedoniam & Orientem multi exercitus, quos occupauerũt. Profecti igitur contra eos, Cæſar Octauianus Auguſtus, & M. Antonius, (remanſerat enim ad defendendam Italiam Lepidus) apud Philippos, Macedoniæ urbem, contra eos pugnauerunt. primo prælio uicti ſunt Antonius & Cæſar: perijt tamen dux nobilitatis Caſsius. ſecundo † Brutus, & infinita nobilitas quæ cũ illis bellũ geſſerat: ac ſic inter eos diuiſa eſt Reſp. ut Auguſtus Hiſpanias, Gallias, Italiam teneret: Antonius Aſiam, Pontum, Orientem. Sed intra Italiam L. Antonius Cos. bellum ciuile commouit, frater eius qui cum Cæſare contra Brutum & Caſsium dimicauerat. Is apud Peruſium Thuſciæ ciuitatem uictus & captus eſt, neque occiſus. 4

† M. Brutũ & infinitam nobilitatem, &c. interfecerunt, ac ſic, &c. An. 713.

III bellum Peruſinum.

IIII. bellũ Siculum. Interim à Sex. Pompeio, Cn. Pompeij filio, ingens bellum in Sicilia commotum eſt, his qui ſuperfuerant ex partibus Bruti Caſsijq́; ad eum confluentibus. bellatum per Cæſarem Auguſtum Octauianum, & M. Antonium, aduerſus

Sex.

Sex. Pompeium: pax poſtremò cõuenit.
Eo tempore M. Agrippa in Aquita-
5 nia rem proſperè geſsit: & L. Ventidius
Baſſus irrumpentes in Syriam Perſas tri
bus prælijs uicit. † Pacorum regis Oro- † *Parthorũ.*
dis filium interfecit eo ipſo die, quo o-
lim Orodes Perſarum rex per ducem Su
renam Craſſum occiderat. Hic primus
de Parthis iuſtiſsimum triumphum Ro-
mæ egit.

Interim Pompeius pacem rupit: & nauali prælio uictus, fugiens ad Aſiam, interfectus eſt. Antonius, qui Aſiá & Oriẽtem tenebat, repudiata ſorore Cæſaris Auguſti Octauiani, Cleopatram, reginam Aegypti, duxit uxorem. Contra Perſas ipſe etiam pugnauit: primis eos prælijs uicit. regrediens tamen, fame & peſtilentia laborauit. & cum inſtarent Parthi fugienti, ipſe † pro uictoria ceſsit.

V. bellum Actiacum.

† *pro uictore.*

Hic quoque ingens bellum ciuile cõmouit, cogente uxore Cleopatra, regina Aegypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in urbe regnare. uictus eſt ab Auguſto, nauali pugna clara & illuſtri, apud Actium, qui locus in Epiro eſt: ex

qua fugit in Aegyptum . & deſperatis re bus,cum omnes ad Auguſtũ tranſirent, ipſe ſe interemit. Cleopatra ſibi aſpidem admiſit,& ueneno eius extincta eſt . Aegyptus per Octauianum Auguſtum imperio Romano adiecta eſt : præpoſitusq; Cn. Cornelius Gallus. hunc primum Aegyptus Romanum iudicem habuit. Ita bellis toto orbe confectis , Octauianus

An. 723. Auguſtus Romam redijt, XII anno poſtquã cõſul fuerat. ex eo Remp. per XLIIII annos ſolus obtinuit. antè enim XII annis cũ Antonio & Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius, uſque ad finem, LVI anni fuere. 6

+ extinctus morte communi. An. 751. + maiori.

+ Obijt autem LXXVI anno, morte cõ muni, in oppido Campaniæ Atella: Romæ in campo Martio ſepelitur: uir qui non immeritò ex + maxima parte Deo ſimilis eſt putatus. neque enim facilè ullus eo aut in bellis felicior fuit, aut in pa ce moderatior. XLIIII annis, quibus ſolus geſsit imperiũ, ciuiliſsimè uixit, in cunctos liberaliſsimus, in amicos fidiſsi mus: quos tantis euexit honoribus, ut penè æquaret faſtigio ſuo. Nullo tempo re * ante eum res Romana magis floruit. 7

* ante eum, non eſt in altero cod.

nam

nam exceptis ciuilib. bellis, in quibus
inuictus fuit, Romano adiecit imperio
Aegyptum, Cantabriam: Dalmatiā ſæpe
antè uictam, ſed penitus tunc ſubactam:
Pannoniam, Aquitaniam, Illyricū, Rhæ-
8 tiam, Vindelicos, & Salaſſos in Alpibus,
omnes Ponti maritimas ciuitates. in his
nobiliſsimas, Boſporum, & † Pantica- *+ Pontica-*
pæon. Vicit autem prælijs Dacos, Ger- *pen.*
manorum ingentes copias cęcîdit: ipſos
quoq; trans Albim fluuium ſubmouit,
qui in Barbarico longè ultra Rhenū eſt:
hoc tamen bellum per Druſum priui-
gnum ſuum adminiſtrauit (ſicut per pri
uignum Tiberium alterum Pannoni-
cum) quo bello + cccc millia captiuo- *+ XL.*
rum ex Germania tranſtulit, & ſupra ri-
pam Rheni in Gallia collocauit. Arme-
niā à Parthis recepit: obſides, quod nul-
li antea, Perſæ ei dederunt: reddiderunt
etiam ſigna Romana, quæ Craſſo uicto
ademerant. Scythæ & Indi, quibus an
tea Romanorum nomen incognitum fu
erat, munera & legatos ad eum miſe-
runt. Galatia quoque ſub hoc prouincia
facta eſt, cum antea regnum fuiſſet: pri-
musque eam M. Lollius pro Prætore

adminiſtrauit. Tanto autem amore etiã
apud Barbaros fuit, ut reges, Populi Ro.
amici, in honorem eius conderent ciui-
tates, quas Cæſareas nominarent. ſicut
in Mauritania à rege Iuba, & in Palæſti-
na, quæ nunc eſt urbs clariſsima. Mul-
ti autem reges ex regnis ſuis uenerũt, ut
ei obſequerentur: & habitu Romano, to
+ currum. gati ſcilicet, ad uehiculum uel † equum
ipſius cucurrerunt. Moriens Diuus ap-
pellatus eſt. Rempub. beatiſsimam Tibe
rio ſucceſſori reliquit: qui priuignus e- 9
ius, mox gener, poſtremò adoptione fi-
lius fuerat.

An. Chriſti 17. V. C. 767. III Imp. Tiberius.

Tiberius ingenti ſocordia imperium
geſsit, graui crudelitate, ſceleſta auari-
cia, turpi libidine. nã nuſquã ipſe pugna
uit, bella per legatos ſuos geſsit. quoſdã
reges ad ſe per blanditias euocatos, nun-
quã remiſit, in quibus Archelaum Cap-
padocem: cuius etiam regnũ in prouin-
ciæ formam redegit, & maximam ciui-
tatem appellari ſuo nomine iuſsit, quæ
nunc Cæſarea dicitur, cũ Mazaca antea
uocaretur. Hic tertio & uigeſimo im-
† LXXIX. perij anno, ætatis † LXXVIII, ingenti om
nium gaudio mortuus eſt in Campania.

Succeſ-

Succeſsit ei C. Cæſar cognomento *An. Chriſti 40. V.C.*
Caligula, Druſi priuigni Auguſti, & ip- *790. IIII*
ſius Tiberij nepos, ſceleratiſsimus ac fu- *Imp. Caligula.*
neſtiſsimus, & qui etiam Tiberij dedecora purgauerit. Bellū contra Germanos ſuſcepit: & ingreſſus Sueuiam, nihil ſtrenuè fecit. ſtupra ſororibus intulit, ex una etiam natam filiam cognouit. Cum aduerſum cunctos ingenti auaricia, libidine, crudelitate ſæuiret, interfectus in palatio eſt anno ętatis ſuę † xxxix. imperij *† XXIX.*
III. menſe x. dieq; VIII.

Poſt hunc Claudius fuit, patruus Ca- *An. Dom.*
10 ligulæ, Druſi (qui apud † Mogonciacum *44. V. Imp. Claud. Cæ-*
11 monumentum habet) * filius: cuius & *ſar.*
Caligula nepos erat. Hic † mediè impe- *† Magonciam.*
rauit, multa gerens trāquillè atq; mode ** frater.*
ratè, quædam crudeliter atque inſulſe. *† medius.*
Britanniæ intulit bellum, quos nullus Romanorum poſt Iulium Cæſarem attigerat: eaque deuicta per Cn. Sentium & A. Plautiū, illuſtres & nobiles uiros, triumphum celebrem egit. Quaſdam inſulās etiam ultra † Britanniam in Oceano *† Britānias.*
poſitas, Romano imperio addidit, quæ appellantur Orcades: filioque ſuo Britannici nomen impoſuit. Tā ciuilis autem

circa quoſdam amicos extitit, ut etiam Plautium, nobilem uirum, qui in expe-
† egregiè ditione Britannica multa † ac egregia fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur, & conſcendenti Capitolium læuus incederet. Is uixit annos LXIIII, imperauit XIIII. poſt mortem cōſecratus eſt,
An. Chriſti 57. Diuusq; appellatus. Succeſsit huic Ne 12
VI. Imp. Nero. ro, nepos Caij Caligulæ, auunculo ſuo ſimillimus: qui imperium Romanum & deformauit, & diminuit: inuſitatæ luxuriæ, ſumptuumq;, ut qui exemplo C. Caligulæ, calidis & frigidis lauaret unguentis, retibus aureis piſcaretur, quæ 13
blatteis funibus extrahebat. Infinitam partem Senatus interfecit, bonis omnibus hoſtis fuit. ad poſtremũ ſe tanto dedecore proſtituit, ut ſaltaret & cantaret in ſcena citharœdico habitu & Tragico. parricidia multa commiſit: fratre, uxore, matre, interfectis. urbem Romam incendit, ut eius ſpectaculi imaginem cerneret, quali olim Troia capta arſerat. In re militari nihil omnino auſus, Britanniam penè amiſit. Nam duo ſub hoc nobiliſsima oppida capta illic, atque euerſa ſunt: Armeniam Parthi ſuſtulerunt,

legi-

legionesque Romanas ſub iugum miſerunt. duæ tamen prouinciæ ſub eo factæ ſunt: Pontus Polæmoniacus, concedente rege Polæmone: & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto. Propter hęc ✝ Romanæ urbi execrabilis, ab omnib. ſimul deſtitutus, & à Senatu hoſtis iudicatus, quum quæreretur ad pœnam (quæ pœna erat talis, ut nudus per publicum ductus, furca capiti eius inſerta, uirgis uſq; ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de ſaxo) è palatio fugit: & in ſuburbano † ſe liberti ſui, quod eſt inter Salariam & * Numentanā uiam, ad quartum urbis milliarum, ✝ interfecit. Is ædificauit Romæ thermas, quæ antè Neronianæ dictæ, nunc Alexandrinæ appellantur. Obijt trigeſimo & altero ætatis anno, imperij XIIII. atq; in eo omnis familia Auguſti conſumpta eſt.

✝ *Romano orbi.*
† *ſe, non eſt in al. cod.*
* *Nomentanam.*
✝ *interfectus eſt.*

14 Huic Sergius Galba ſucceſsit, antiquiſsimæ nobilitatis Senator. cū LXXIII annum ageret ætatis, ab Hiſpanis & Gallis imperator electus, mox ab uniuerſo exercitu libenter acceptus eſt. Nā priuata eius uita inſignis fuerat militarib. & ciuilib. rebus ✝ ſępe cōſul, ſępe * pro Cōſule,

An. Christi 71.
VII. Imp. Galba.
✝ *Semel coſ.*
* *proconſul.*

ſule, frequenter dux in grauiſsimis bellis. Huius breue imperiũ fuit: & quod bona haberet exordia, niſi ad ſeueritatẽ propenſior uideretur, inſidijs tamen Othonis occiſus eſt, imperij menſe ſeptimo, iugulatus in foro Romæ, ſepultusq́; in hortis ſuis qui ſunt Aurelia uia, non longè ab urbe Roma.

An. Chriſti 71. VIII Imp. Otho. Otho, occiſo Galba, inuaſit imperiũ: materno genere nobilior quàm paterno, neutro tamen obſcuro: in priuata uita mollis, & Neroni familiaris. In Imperio documentum ſui non potuit oſtendere. nam cum ijſdẽ temporib. quibus Otho Galbam occiderat, etiã Vitellius factus eſſet à Germanicianis exercitib. Imperator, bello contra eum ſuſcepto, cũ apud Bebriacum in Italia leui prælio uictus eſſet, ingentes tamen copias haberet, ſponte ſemetipſe occidit, petentibus militibus, ne tam citò de belli deſperaret euentu: cum tanti ſe non eſſe dixiſſet, ut propter eũ ciuile bellũ † cõmoueretur, uolũtaria morte obijt, xxx & octauo ętatis anno, nonageſimo & quinto Imperij die.

† oriretur

An. eodem, IX Imp. Vitellius. Dein Vitellius imperio potitus eſt, familia honorata magis quàm nobili. Nã pater

pater eius non admodũ clarè natus, tres tamen ordinarios geſſerat Conſulatus. hic cum multo dedecore imperauit, & graui ſæuitia notabilis, præcipuè ingluuie & uoracitate. quippe cum de die ſæpe quartò uel quintò feratur epulatus. Notiſsima certè cœna memoriæ manda ta eſt, quam ei Vitellius frater exhibuit: in qua, ſuper cæteros ſumptus, duo millia piſcium, ſeptem auium millia appoſi ta traduntur. Hic cum Neroni ſimilis eſſe uellet, atque id adeò præ ſe ferret, ut
15 etiam exequias Neronis, quæ humiliter ſepultæ fuerant, honoraret, à Veſpaſiani ducibus occiſus eſt: interfecto prius Sabino, Veſpaſiani imperatoris fratre, quẽ cum Capitolio incendit. Interfectus autem, & cum magno dedecore tractus per
16 urbem Romam publicè, nudus, erecta coma & capite, ſubiecto ad mentum gla dio, ſtercore in uultũ & pectus ab omnibus obuijs appetitus: poſtremò iugulatus, & in Tiberim deiectus, etiã commu ni caruit ſepultura. Perijt autem ætatis anno ſeptimo & quinquageſimo: imperij menſe VIII, & die uno.

X°. Imp. Veſpaſianus, An. Christi 72.

Veſpaſianus huic ſucceſsit, factus apud

Palæſtinā imperator: princeps quidē obſcurè natus, ſed optimis comparandus. priuata uita illuſtris, ut qui à Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam miſſus, tricies & bis cum hoſte conflixerit: duas ualidiſsimas gentes, xx oppida, in- 17
ſulam Vectam Britanniæ proximā imperio Romano adiecerit. Romæ ſe in imperio moderatiſsimè geſsit: pecuniæ tamē auidior fuit, ita ut eam nulli iniuſtè auferret: quam cum omni diligentiæ prouiſione colligeret, tamē ſtudioſiſsimè largiebatur, præcipuè indigentibus. Nec facile ante eum cuiuſquam principis uel maior eſt liberalitas cōperta, uel iuſtior; placidiſsimæ † bonitatis, ut qui maieſtatis quoq; contra ſe reos non facilè puniret ultra exilij pœnam. Sub hoc Iudæa Romano acceſsit imperio: & Hieroſolyma, quæ fuit urbs clariſsima Palæſtinæ. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantiū, Samū, quæ liberæ ante hoc tempus fuerant: item Thraciam, Ciliciam Thracheam, Commagenen, quæ ſub regibus 18
amicis erant, in prouinciarum formam redegit. Offenſarum & inimicitiarū immemor fuit: conuicia à cauſidicis & philoſophis

† lenitatis.

loſophis in ſe dicta, leniter tulit. diligens tamen coercitor diſciplinę militaris. Hic cum Tito filio de Hieroſolymis triumphauit. Per hæc cum Senatui & populo, poſtremò cunctis amabilis ac iucundus eſſet, profluuio uentris extinctus eſt in uilla propria, circa Sabinos, annum ætatis agens LXIX. imperij nonũ, & diem ſeptimum. atque inter diuos relatus eſt. Genituram filiorum ita cognitam habuit, ut cum multæ contra eum coniurationes fierent, quas patefactas ingenti diſsimulatione contempſit, in Senatu dixerit, aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem.

Huic Titus filius ſucceſsit, qui & ipſe Veſpaſianus eſt dictus: uir omnium uirtutum genere mirabilis, adeò ut amor & deliciæ humani generis diceretur: facundiſsimus, bellicoſiſsimus, moderatiſsimus. cauſas latinè egit, poemata & tragœdias græcè compoſuit. In oppugnatione Hieroſolymorũ ſub patre militans, XII propugnatores XII ſagittarum ictibus confixit. Romæ tantæ ciuilitatis in imperio fuit, ut nullũ omnino puniret: conuictos aduerſum ſe coniuratio- *Tit. Veſpaſianus XI. Imp.* *An Chriſti 82.*

nis

nis ita dimiſit,ut in eadem familiaritate, qua antea,habuerit. Facilitatis tãtæ fuit, & liberalitatis,ut nulli quicquam negaret. & cum ab amicis reprehenderetur, reſpondit: Nullum triſtem debere ab Imperatore diſcedere. Propterea cum quadam die in cœna recordatus fuiſſet, nihil ſe illo die cuiquam præſtitiſſe, dixit: O' amici,hodie diẽ perdidi. Hic Romæ amphitheatrũ ædificauit,& quinq; millia ferarũ in dedicatione eius occidit.

Per hęc inuſitato fauore dilectus,morbo perijt in ea,qua pater,uilla, poſt biennium & menſes octo,dies xx,quàm imperator erat factus,ætatis anno altero & xl. Tãtus luctus eo mortuo publicus fuit,ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus obitu ipſius circa ueſperam nunciato ,nocte irrupit in curiã: & tantas ei mortuo gratias laudesq́; congeſsit,quantas nec uiuo unquã egerat,nec præſenti. Inter diuos relatus eſt.

XII Imp. Domitianus. An. Christi 84. Domitianus mox accepit imperiũ,frater ipſius iunior: Neroni, aut Caligulæ, aut Tiberio ſimilior,quàm patri uel fratri ſuo. primis tamen annis moderatus in imperio fuit: mox ad ingẽtia uitia progreſſus,

greſſus, libidinis, iracũdiæ, crudelitatis, auariciæ, tantũ in ſe odium cõcitauit, ut merita & patris & fratris aboleret. Interfecit nobiliſsimos ex Senatu. Dominũ ſe & Deũ primus appellari iuſsit. nullã ſibi, niſi aureã & argenteã, ſtatuam in Capitolio poni paſſus eſt. conſobrinos ſuos interfecit: ſuperbia quoq; in eo execrabilis fuit. expeditiones quatuor habuit: unã aduerſus Sarmatas, alterã aduerſus Cattos, duas aduerſum Dacos. de Dacis Cattisq; † duplicẽ quidem triumphũ egit, de Sarmatis ſolã lauream uſurpauit. multas quidẽ calamitates iiſdẽ bellis paſſus eſt. nã in Sarmatia † legiones eius cũ duce interfectæ: & à Dacis App. Sabinus cõſularis, & Cornelius Fuſcus prefectus pretorio, cum magnis exercitibus occiſi

† publicè quidem.

† legio, &c. interfecta eſt.

19 ſunt. Romæ quoq; multa opera fecit. in his Capitoliũ, & forũ tranſitoriũ, Odeũ, porticus Iſium, ac Serapiũ, ac Stadiũ. Verùm cum ob ſcelera uniuerſis exoſus eſſe cœpiſſet, interfectus eſt ſuorum coniuratione in palatio, anno ætatis XLV, imperij quintodecimo. funus eius cũ ingenti dedecore per ueſpillones exportatum, & ignobiliter eſt ſepultum.

EVTRO-

EVTROPII LIber VIII.

An. V. C. 849. Chriſti 99. ANno octir gentesimo & quinquageſimo ab urbe condita, Vetere & *XIII.* Valente conſulib. Reſpub. ad proſperri- *Imp. Nerua.* mum ſtatum redijt, bonis principibus ingenti fœlicitate commiſſa. Domitiano enim, exitiali tyranno Nerua ſucceſsit, uir in priuata uita moderatus & ſtrennuus, nobilitatis mediæ: qui ſenex admodum, operam dante Petronio Secundo præfecto prætorij, item Parthenio interfectore Domitiani, imperator factus, ęquiſsimum ſe & ciuiliſsimum prębuit. Reipub. diuina prouiſione cõſuluit, Traianum adoptando. mortuus eſt Romæ, poſt annum & quatuor menſes imperij ſui, ac dies octo: ætatis LXX & altero anno. atque inter diuos relatus eſt.

Vlp. Traianus An. Chriſti 101. Succeſsit ei Vlpius Traianus Crinitus, natus Italicæ in Hiſpania, familia antiqua magis quàm clara. (nam pater eius *+ primus.* + primùm Cos. fuit) imperator autem apud Agrippinam ciuitatem in Gallis factus eſt. Remp. ita adminiſtrauit, ut omnibus principibus meritò præferatur. inuſitatæ ciuilitatis & fortitudinis fuit.

Roma-

Romani imperij (quod poſt Auguſtum defenſum magis fuerat, quàm nobiliter ampliatum) fines longè lateque diffudit: urbes trans Rhenum in Germania
2 reparauit: Daciam Decibalo uicto ſubegit, prouincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Thaiphali, nunc Victophali & Theruingi habent. Ea prouincia decies centena millia in circuitu tenet. Armeniam, quam occupauerant
3 Parthi, recepit, † Pharnace Syro occiſo, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Iberorum regem, & Sauromatarum, & Boſphoranorum, & Arabum, & Oſdroenorum, & Colchorum, in fidẽ accepit. † *Sarmata rege occiſo.*
4 Adiabenos, † Marchomedos occupauit: & Antemuſium, magnam Perſidis regionem, Seleuciam & Cteſiphontem, Babylonem & Edeſsios uicit, ac tenuit: uſque ad Indię fines & mare rubrum acceſſit, atque ibi tres prouincias fecit, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiã, cũ his gẽtibus quæ Madenam attingunt. Arabiã poſtea in prouincię formã redegit. in mari rubro claſſem inſtituit, ut per eã Indiæ fines uaſtaret. Gloriã tamẽ militarẽ ciuilitate & moderatione ſuperauit, Romæ & † *Marchomodes.*

& per prouincias æqualem ſe omnibus exhibens: amicos ſalutãdi cauſa frequentans, uel ægrotantes, uel cum feſtos dies habuiſſent: conuiuia cũ iiſdem indiſcreta uiciſsim habens, ſæpe in uehiculis eorũ ſedens, nullum ſenatorum lædens, nihil iniuſtum ad augendum fiſcum agens, liberalis in cũctos fuit, publicè priuatimq; ditans omnes, & honorib. augens, quos † mediocri familiaritate cognouiſſet: orbem terrarum ædificans, multas immunitates ciuitatibus tribuens, nihil non tranquillum & placidum agens: adeò ut omni eius ætate unus tántum Senator damnatus ſit: at is tamen per Senatum, ignorante Traiano. ob hoc per orbẽ terrarũ Deo proximus, nihil nõ ueneratio nis meruit, & uiuus & mortuus. Inter alia dicta hoc illius fertur egregium. amicis enim culpantibus, quòd nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit: Talem ſe Imperatorem eſſe priuatis, quales eſſe ſibi Imperatores priuatus optaſſet. Poſt ingentem igitur gloriam belli domique quæſitam, è Perſide rediens, apud Seleuciam Iſauriæ, profluuio uétris extinctus eſt. Obijt autem ætatis anno LXII, menſe nono,

† mediocritate cog.

ſe nono, & die quarto: † Imperij anno xix, menſe vi, die xv. Inter Diuos relatus
6 eſt, ſolusq; omniũ intra Vrbẽ ſepultꝰ. Oſſa eius † collocata in urna aurea, in foro quod ædificauit, ſub columna ſita ſunt:
7 cuius altitudo † CXLIIII pedes habet. Huius tantum memoriæ delatum eſt, ut uſque ad noſtram ætatem non aliter in Senatu principibus acclametur, niſi FELICIOR AVGVSTO, MELIOR TRAIANO. adeò in eo gloria bonitatis obtinuit, ut uel aſſentantibus, uel uerè laudantibus, occaſionem magnificentiſsimi præſtet exempli.

† Hæc in alt. cod. deſiderantur.

† collata in urnam auream.

† CXL.

Defuncto Traiano, Aelius Hadrianus creatus eſt princeps, ſine aliqua quidem uoluntate Traiani, ſed operam dante Plotina Traiani uxore. nam cum Traianus, quanquam conſobrinæ filium, uiuens noluerat adoptare. Natus & ipſe Italicæ, in Hiſpania: qui Traiani gloriæ inuidens, ſtatim prouinciaſtres reliquit, quas Traianus addiderat: † & de Aſſyria, Meſopotamia, & Armenia, reuocauit exercitus, ac finem imperij eſſe uoluit Euphratem. Idem de Dacia facere cõnatum, amici deterruerunt, ne multi

Ael. Hadrianus.

An. Chriſti 120.

† Al. id eſt, Aſſyriam, Meſopotamiam, & Armeniã.

ciues Romani Barbaris traderentur:propterea quòd Traianus,uicta Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eò copias hominũ tranſtulerat,ad agros & urbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decibali,uiris fuerat exhauſta: pacem tamen omni tempore imperij ſui habuit. Semel tantum per præſidem dimicauit, orbem Romanum circumiuit,& multa ædificauit:facundiſsimus Latino ſermone, Gręco eruditiſsimus fuit. non magnam clementiæ gloriam:diligentiſsimus tamen circa ærarium,& militum diſciplinam. Obijt in Campania, maior ſexagenario, imperij anno xxi, menſe x, die xxix. Senatus ei tribuere noluit diuinos honores:tamen cum ſucceſſor ipſius T. Aurelius Fuluius Antoninus hoc uehemẽter exigeret,& uniuerſi ſenatores palàm reſiſterent,tandem obtinuit.

T.Ful. Antoninus Pius. An. Christi 141.

Ergo Adriano ſucceſsit T.Antonnius
Fuluius Boionius,idem etiam Pius no- 8
minatus,genere claro, ſed non admodũ
uetere: uir inſignis, & qui meritò Numæ Pompilio conferatur, ita ut Romulo † Traianus æquetur. uixit ingenti honeſtate,priuatus: maiori, in imperio.

† & Traiano.

nulli

nulli acerbus,cunctis benignus:in re mi litari moderata gloria, defendere magis prouincias quàm amplificare ſtudens, uiros iuſtiſsimos ad adminiſtrandã Rem pub.quærens, bonis honorem habens, improbos ſine aliqua acerbitate deteſtãs, regibus amicis uenerabilis non minus quàm terribilis: adeò utBarbarorum plu rimæ nationes,depoſitis armis, ad eum controuerſias ſuas liteſq̃ue deferrent, ſententiæq̃ue eius parerent. Hic ante imperium ditiſsimus, opes quidem ſuas ſtipendijs militum, & circa amicos liberalitatibus minuit, uerùm ærarium opulentum reliquit. Pius propter clementiam dictus eſt. Obijt apud + Lorium, uillam ſuam, milliario ab urbe XII :uitæ anno + LXXIII, imperij XXIII. atque inter Diuos relatus eſt, & meritò conſecratus. *+ Lorios* *+ LXXVI.*

Poſt hunc imperauit M. Antoninus Verus,haud dubiè nobiliſsimus:quippe cum eius origo paterna à Numa Pompilio, materna à Salentino rege penderet: & cum eo L. † Annius Antoninus Verus. tumq̃ue primùm Romana Reſp.duobus æquo iure imperiũ adminiſtrantib. *M. Ant. philoſophus. L. Aelius Antoninus. An. Chriſti 163.* *+ Aelius.*

 paruit,

paruit,cum uſque ad eum ſingulos ſem-
per habuiſſet Auguſtos. Hi & genere in- 9
te ſe coniuncti fuerunt,& affinitate. nam
Verus Annius Antonius,M. Antonini fi
liam in matrimonium habuit. M. autem
Antoninus gener Antonini Pij fuit, per
† *Valeriam.* uxorem † Galeriam Fauſtinam, iuniorẽ 10
conſobrinam ſuam. Hi bellum contra
Parthos geſſerunt, qui poſt uictoriã Tra
iani tum primùm rebellauerant. Verus
Antoninus ad id profectus eſt:qui Antio
chiæ & circa Armeniam agẽs, multa per
duces & ingentia patrauit: Seleuciam
Aſſyriæ urbem nobiliſsimã cum CCCCC
millibus hominum cæpit: Parthicum
triumphum reuexit,cum fratre eodem-
que ſocero triumphauit. Obijt tamen
in Venetia,cum à Concordia ciuitate Al
tinum proficiſceretur, & cum fratre in
uehiculo ſederet, ſubito ſanguine ictus, 11
caſu morbi quem Græci ἀπόπληξιν uocãt:
uir ingenij parum ciuilis, reuerentia ta-
men fratris nihil unquam atrox auſus.
Cum obijſſet XI imperij anno, inter Di
uos relatus eſt.

M. Antoninus ſolus. Poſt eum M. Antoninus ſolus Remp.
An. Chriſti 173. tenuit, uir quem mirari facilius quis,
quàm

12 quàm laudare poſsit. A' principio uitæ tranquilliſsimus, adeò ut in infantia quoque uultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaret. Philoſophiæ deditus Stoicæ ipſe etiam, non ſolum uitæ mori bus, ſed etiam eruditione philoſophus. tantæ admirationis adhuc iuuenis, ut eum ſucceſſorẽ parauerit Adrianus relinquere. adoptato tamẽ Antonino † Pio *† Pium.* generum eſſe ei idcirco uoluerit, ut hoc ordine ad imperium perueniret. Inſtitutus eſt ad philoſophiam, per Apollonium Chalcedoniũ: ad ſcientiam Grę-
13 carum literarũ per Sex. Chæronenſem, Plutarchi nepotem. Latinas autem literas eum Fronto orator nobiliſsimus docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo iure egit, ad nullam inſolentiam elatus imperij † faſtu: liberalitatis promptiſsimę, *† faſtigio.* prouincias ingenti benignitate & moderatione tractauit. Contra Germanos eo principe res fœliciter geſtę ſunt. Bellũ ipſe unũ geſsit Marcomannicũ, ſed quantũ nulla memoria fuit, adeò ut Punicis conferatur. nã eo grauius eſt factũ, quòd uniuerſi exercitus perierant. Sub hoc enim tantus caſus peſtilentię fuit, ut

poſt uictoriam Perſicam, Romæ ac per
Italiam, prouinciasque, maxima homi-
num pars, militũ omnes ferè copiæ lan-
guore defecerint. Ingenti ergo labore &
moderatione, cum apud Carnũtum iugi 14
triennio perſeueraſſet, bellũ Marcoman-
nicum confecit, quòd cum his Quadi,
Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis
Barbaria commouerat: multa hominum
millia interfecit: ac Pannonijs ſeruitio li-
beratis, Romæ rurſus cum Commodo
Antonino filio ſuo, quem iam Cæſarem
fecerat, triumphauit. Ad huius belli
† *uſum.* † ſumptũ ęrario exhauſto, cũ largitiones
nullas haberet, neque indicere prouin-
cialibus aut ſenatui aliquid uellet, inſtru
menta regij cultus, facta in foro diui Tra
iani ſectione, diſtraxit: uaſa aurea, po-
cula cryſtallina & murrhina, uxoriam 15
ac ſuam ſericam, ac auream ueſtem, mul-
ta ornamenta gemmarum: ac per duos
continuos menſes uenditio habita eſt,
multumque auri redactum. Poſt uicto
riam tamen emptoribus precia reſtituit,
qui reddere comparata uoluerunt. mo-
leſtus nulli fuit, qui maluit ſemel empta
retinere. Hic permiſit uiris clarioribus,
ut con-

ut conuiuia eodem cultu quo ipſe,& mi
niſtris ſimilibus exhiberent.In editione
munerum poſt uictoriam adeò magni-
ficus fuit, ut centum ſimul leones exhi-
14 buiſſe tradatur.Cum igitur fortunatam
Remp.& uirtute & manſuetudine reddi
diſſet, obijt xviii imperij anno, uitæ
†lxi. & omnibus certatim adnitenti- †LIX.
bus,inter Diuos relatus eſt.

Huius ſucceſſor L. Antoninus Com- *Commodus. An. Chriſti 182.*
modus, nihil paternũ habuit, niſi quòd
contra Germanos fœliciter & ipſe pu-
gnauit. Septembrem menſem ad nomẽ
ſuum tranſferre conatus eſt,ut Commo
dus diceretur:ſed luxuria & obſcœnita-
te deprauatus,gladiatorijs armis ſæpiſsi
mè in ludo,deinde etiam in amphithea-
tro cum huiuſmodi hominibus dimica-
uit.obijt morte ſubita,adeò ut ſtrangula
15 tus, uel ueneno interfectus putaretur,
cum annis † xii poſt patrem, & viii †XIII.
menſibus imperaſſet, tanta execratione
omnium,ut hoſtis humani generis etiã
mortuus iudicaretur.

16 Huic ſucceſsit Pertinax, grandæuus *Pertinax. An. Chriſti 195.*
iam,ut qui ſeptuagenariam attigiſſet æ-
tatem, præfecturã † urbi tum agens, ex *† urbis.*

S.C.imperare iuſſus.Octogeſimo impe- 17
rij die prætorianorum militum ſeditio- 18
ne,& Iuliani ſcelere occiſus eſt.

Didius Iulianus.
An. eodem.

Poſt eum Saluius Iulianus Remp. inuaſit, uir nobilis, & iuris peritiſsimus, nepos Saluij Iuliani,qui ſub diuo Hadriano perpetuum conpoſuit edictum. Victus eſt à Seuero apud Miluiũ pontem, interfectus in palatio.uixit menſibus ſeptem,poſtquam cœperat imperare.

Seuerus.
An.Chriſti 196.

Hinc imperij Romani adminiſtrationem Septimius Seuerus accepit, oriundus ex Africa prouincia Tripolitana,oppido Lepti.ſolus omni memoria & ante & poſtea ex Africa imperator fuit.hic primùm Fiſci aduocatus,mox militaris tribunus,per multa deinde & uaria officia atque honores uſq; ad adminiſtrationẽ totius Reip.peruenit. Pertinacem ſe appellari uoluit,in honorem eius Pertinacis qui à Iuliano fuerat occiſus. Parcus admodum fuit,natura ſæuus,bella multa & fœliciter geſsit.Peſcennium Nigrũ, qui in Aegypto & Syria rebellauerat, a-
pud Cyzicũ interfecit: Parthos uicit, & 19
Arabas interiores, & Adiabenas.Arabas 20
eò uſq; ſuperauit,ut etiam prouinciã ibi

faceret:

17 faceret: idcirco Parthicus, Arabicus &
18 Adiabenicus dictus eſt. multa toto Ro-
mano orbe reparauit. Sub eo etiam Clo-
dius Albinus, qui in occidendo Pertina-
ce ſocius fuerat Iuliano, Cæſarem ſe in
Gallia fecit: uictuſque apud Lugdunum
eſt, & interfectus. Seuerus autem, pręter
bellicam gloriam, etiã ciuilibus ſtudijs
clarus fuit, & literis doctus, philoſophię
ſcientiam ad plenum adeptus. Nouiſ-
ſimum bellum in Britannia habuit: ut-
que receptas prouincias omni ſecuritate
21 muniret, uallum per †xxxii millia paſ- + XXX. V.
ſuum à mari ad mare deduxit. Deceſsit
Eboraci admodum ſenex, imperij anno
xviii, menſe iiii. & Diuus appellatus
eſt. nam filios †ſuos ſucceſſores reliquit, + duos
Baſsianum & Getam: ſed Baſsiano An-
tonini nomen † à Senatu uoluit impo- + Senatus.
ni. itaque dictus eſt M. Aurelius Antoni
nus Baſsianus: patrique ſucceſsit. Nam
Geta hoſtis publicus iudicatus, confe-
ſtim perijt.

M. igitur Aurelius Antoninus Baſsi- *Baßianus Caracalla.*
anus, idemq; Caracalla, morum ferè pa- *An. Chriſti 214.*
ternorum fuit, paulò aſperior, & minax.
22 opus Romæ egregium fecit lauacri, quę

Antoninianæ appellãtur: nihil præterea memorabile. Impatiens libidinis: ut qui nouercam ſuam Iuliam, uxorem duxerit. Defunctus eſt in Oſdroene, apud E- 23
deſſam, moliens aduerſum Parthos expeditionem, anno imperij VI, menſe II. uix egreſſus ætatis XLIII annum. funere publico elatus eſt.

Opilius Macrinus, cum Diadumeno. An. Chriſti 220.

Opilius deinde Macrinus, qui præfectus prætorio erat, cum filio Diadumeno facti imperatores, nihil memorabile ex temporis breuitate geſſerunt. nam imperium eorum duûm menſium, & unius anni fuit. ſeditione militari ambo pariter occiſi ſunt.

Heliogabalus. An. Chriſti 221.

Creatus eſt poſt hos M. Aurelius Antoninus. hic Antonini Carcallæ filius putabatur: ſacerdos autẽ Heliogabali templi erat. Is cum Romam ingenti & militum & Senatus expectàtione ueniſſet, probris ſe omnib. contaminauit. Impudiciſsimè & obſcœniſsimè uixit: bienniōq; poſt & VIII menſib. tumultu inter 24
fectus eſt militari, & cum eo mater Semia Syra.

Alexander Mammeæ F. An. Chriſti 225.

Succeſsit huic Aurelius Alexander, 25
ab exercitu Cæſar, à Senatu Auguſtus 26
nomi-

nominatus, iuuenis admodum. ſuſce-
27 ptoque aduerſus Perſas bello, Xerxem + eorum regem glorioſiſsimè uicit. militaré diſciplinâ ſeueriſsimè rexit. quaſdam + tumultuarias legiones integras exautorauit. Aſſeſſorem habuit, uel ſcrinij magiſtrum, Vlpianum, iuris conditorem. Romæ quoque fauorabilis fuit. Perijt in Gallia, militari tumultu, XIII imperij anno, & die VIII. in matrem ſuam Mammæam unicè pius.

+ Xerenorum.

+ tumultuãtes.

EVTROPII LIber IX.

Iul. Maximinus cum F. An. Chriſti 238.

POſt hunc Maximin⁹ ex corpore militari primus ad imperium acceſsit, ſola militum uoluntate, cum nulla Senatus interceſsiſſet auctoritas, neq; ipſe ſenator eſſet. Is bello aduerſus Germanos fœliciter geſto, cum à militibus eſſet Im
1 perator appellatus, à Pupieno Aquileiæ occiſus eſt, deſerentibus eum militibus ſuis, cum filio adhuc puero, cum quo imperauerat triennio & paucis diebus.

Pupienus Balbinus, & Gordianus. An. Chriſti 240.

Poſtea tres ſimul Auguſti fuerunt, Pupienus, Balbinus, & Gordianus. duo ſuperio-

ſuperiores obſcuriſsimo genere, Gordianus nobilis: quippe cuius †pater ſenior Gordianus conſenſu militum, cum pro conſulatum Africæ gereret, Maximino imperante princeps fuiſſet electus. Itaq; cum Romam ueniſſent Balbinus & Pupienus, in palatio interfecti ſunt, ſoli Gordiano †imperium reſeruatum.

† auus. al. frater.

† imperio reſeruato.

2 Gordianus admodũ puer, cum †Tranquillinam Romæ duxiſſet uxorem, Ianum Geminum aperuit: & ad Orientem profectus, Parthis bellũ intulit, qui iam moliebantur erumpere. quod quidem mox feliciter geſsit, prælijsque ingentibus Perſas afflixit. Rediens, haud longè à Romanis finibus interfectus eſt, fraude Philippi, qui poſt eum imperauit. Miles ei tumulũ xx milliario à Circeſſo, quod caſtrum nũc Romanorum eſt, Euphrati imminens, ędificauit: exequias Romam reuexit, ipſum Diuum appellauit. 3

Gordianus nepos. An. Chriſti 241.

† Tranquillam.

Philippi duo, filius & pater, Gordiano occiſo, imperium inuaſerunt: atq; exercitu incolumi reducto, ad Italiã è Syria profecti ſunt. His imperantibus, milleſimus annus Romæ urbis ingenti ludorum apparatu ſpectaculorumque celebra- 4

Philippi II. An. Chriſti 247.

tus eſt.ambo inde ab exercitu interfecti ſunt:ſenior Philippus Veronæ, Romæ iunior. Annis v imperauerunt.inter Diuos tamen relati ſunt.

Poſt hos Decius è Pannonia inferiore, Bubaliæ natus, imperium ſumpſit:bellum ciuile quod in Gallia motum fuerat, oppreſsit. filium ſuũ Cæſarem fecit, Romæ lauacrum ædificauit. Cum biennio ipſe & filius eius imperaſſent,uterq; in Barbarico interfecti ſunt, †& inter diuos relati. *Decij II. An. 251.* *† ſenior meruit inter diuos referri.*

Mox imperatores creati ſunt, Gallus Hoſtilianus, & Galli filius Voluſianus. Sub his Aemilianus in Mœſia res nouas molitus eſt:ad quem opprimendũ, cum ambo profecti eſſent,Interamnæ interfecti ſunt,nõ completo biennio.nihil omnino clarum geſſerunt: ſola peſtilentia & morbis atq; ægritudinibus notus eorum principatus fuit. *Gall. Hoſtil. An. 254.*

Aemilianus obſcuriſsimè natus, obſcurius imperauit,ac tertio menſe extinctus eſt. *Aemilianus.*

Hinc Licinius Valerianus in Rhætia & Norico agens,ab exercitu Imperator, & mox Auguſtus eſt factus. Gallienus *Licin. Valerianus. An. 256.*

quo-

quoque Romæ à Senatu Cæſar eſt appellatus. Horum imperium Romano nomini perincioſum, & penè exitiabile fuit: ita ut uel infœlicitate principum, uel ignauia, Germani Rauennam uſque uenirent. Valerianus in Meſopotamia bellum gerens, à Sapore Perſarum rege ſuperatus eſt. mox etiam captus, apud Parthos ignobili ſeruitute conſenuit. nā quandiu uixit rex eiuſdem prouinciæ, incuruato eo, pedem eius ceruicibus imponens, ſolitus erat equum conſcendere.

Gallienus ſolus. An. Christi 268. Gallienus, cum adoleſcens factus eſſet Auguſtus, imperium primùm fœliciter, mox commodè, ad ultimum perniciosè geſsit. Nam iuuenis in Gallia & Illyrico multa ſtrenuè fecit, occiſo apud Murſiam Ingenuo, qui purpuram 6 ſumpſerat: & Trebelliano. diu placidus & quietus: mox in omnem laſciuiam diſſolutus, tenendæ Reip. habenas probroſa ignauia & deſperatione laxauit. Alemanni uaſtatis Gallijs in Italiam irruperunt. Dacia, quæ à Traiano ultra Danubium fuerat adiecta, amiſſa eſt. Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia, uaſtata per

ta per Gothos: Pannonia à Sarmatis Quadisque populata eſt. Germani uſque ad Hiſpanias penetrauerunt, & ciuitatem nobilem Tarraconem expugnauerunt. Parthi Meſopotamia occupata, Syriam ſibi cœperant uindicare: cum iam deſperatis rebus, & deleto penè imperio Romano, Poſthumus in Gallia obſcuriſsimè natus purpuram ſumpſit. & per annos decem ita imperauit, ut cõſumptas penè prouincias ingenti uirtute & moderatione reparauerit. qui ſeditione militum interfectus eſt, quòd Moguncia-cum, quæ aduerſum eum rebellauerat, Lolliano res nouas moliente, diripiendam militibus tradere noluiſſet. Poſt eum Marius, uiliſsimus opifex, purpu- *Poſthumus.* *Marius.*

7 ram accepit: & ſecundo die interfectus eſt. Victorinus poſtea Galliarum accepit imperium, uir ſtrennuiſsimus: ſed cum nimiæ libidinis eſſet, & matrimonia aliena corrumperet, Agrippinæ oc- *Victorinus.*

8 ciſus eſt, + Acturio quodam machinante dolum, imperij ſui anno ſecundo. Huic ſucceſsit Tetricus ſenator, qui Aquitaniam honore præſidis adminiſtrans, abſens à militibus Imperator electus *+ actuaria.* *Tetricus.*

electus eſt,& apud Burdegalam purpu-
ram ſumpſit: ſeditiones multas militum
pertulit. Sed dum hæc in Gallia gerun
Odenatus. tur,in Oriente per Odenatũ Perſæ uicti
ſunt, defenſa Syria, recepta Meſopota-
mia. uſque ad Cteſiphontem Odenatus
penetrauit.Ita Gallieno Remp. deſeren-
te,Romanũ imperium in Occidente per
Poſthumium,per Odenatum in Oriente
ſeruatum eſt. Gallienus interea fraude
Aureoli ducis ſui, Mediolani cum fratre
Valeriano occiſus eſt, imperij anno no-
Claudius. no:Claudiusq; ei ſucceſsit, à militibus
An. Christi 271. electus,à Senatu appellatus Auguſtus.
Hic Gothos, Illyricum Macedoniamq;
uaſtãtes, ingenti prętio uicit:parcus uir,
ac modeſtus,& iuſti tenax,atq; Reip. ge
rendæ idoneus, qui tamen intra bien-
nium imperij, morbo interijt,& Diuus
appellatus eſt. Senatus ingenti eum ho-
nore decorauit, ſcilicet ut in curia cly-
peus ipſi aureus, item in Capitolio ſta-
tua aurea poneretur.

Quintilius. Quintilius poſt eum, Claudij frater, 9
cõſenſu militum Imperator electus eſt:
uir unicæ moderationis & ciuilitatis,æ-
quandus fratri,uel præponendus: con-
ſenſu

ſenſu Senatus appellatus Auguſtus. ſeptimo decimo die imperij occiſus eſt.

Poſt eum Aurelianus ſuſcepit imperium, Dacia Ripenſi oriundus: uir in bello potens, animi tamẽ immodici, & ad crudelitatem propenſioris, quique Gothos ſtrenuiſsimè uicit. Romanam ditionem ad fines priſtinos, uaria bellorum fœlicitate reuocauit. ſuperauit in Gallia Tetricum, qui à militibus Imperator electus, apud Catalaunos, ipſo Tetrico prodente exercitum ſuum, cuius aſsiduas ſeditiones ferre non poterat: quinetiam per literas occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia uerſu Virgili

Aurelianus. An. Christi 273.

10 ano uteretur, Eripe me his inuicte malis. Zenobiam quoque occiſo marito Odenato, qui Orientem tenebat, haud longè ab Antiochia, non ſine graui prælio cæpit: ingreſſusque Romam, nobilem triumphum quaſi receptor Orientis Occidentisque egit, currum præcedentibus Tetrico & Zenobia: qui quidem Tetricus etiam corrector Lucaniæ poſtea fuit, ac priuatus diutiſsimè uixit. Zenobia autem, poſteros, qui adhuc manent Romæ, reliquit. Hoc imperan-

Zenobia.

te, etiam monetarij in urbe rebellaue- 11
rūt, uiciatis pecunijs, & Fœlicisſimo Rationali interfecto. quos Aurelianus uictos, ultima crudelitate compeſcuit: plurimos nobiles capite damnauit, ſęuus & ſanguinarius, ac neceſsarius magis in quibuſdam, quàm in ullo amabilis Imperator: trux omni tempore, etiam filij ſororis interfector, diſciplinæ tamen militaris & morum diſſolutorū magna ex parte corrector. Vrbem Romam muris
firmioribus cinxit, templum Soli ædi- 12
ficauit, in quo infinitū auri gemmarūq; conſtituit. Prouinciam Daciam, quam Traianus ultra Danubiū fecerat, intermiſit, uaſtato omni Illyrico & Mœſia, deſperans eam poſſe retineri: abductosque Romanos ex urbibus & agris Daciæ, in
† Ea eſt. media Mœſia collocauit. † & eſt in dextera Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in læua. Occiditur ſerui ſui fraude, qui ad quoſdam militares uiros, amicos ipſius, nomina † protulit annotata: falsò manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipſos pararet occidere. itaque ut præueniretur ab ijſdem, interfectus eſt in itineris medio, quod inter

† pertulit.

Con-

Conſtantinopolim & † Heracleam eſt, ſtratæ ueteris: locus * Cænophrurium appellatur. mors tamen eius inulta non fuit. meruit quoque inter diuos referri. imperauit annos v, menſes vi. *† Heracliū. * Zenophrurium.*

Tacitus poſt hunc ſuſcepit imperium, uir egregiè moratus, & Reip. gerendæ idoneus: nihil tamen clarum potuit oſtẽdere, intra vi menſem imperij morte præuentus. *Tacitus. An. Chriſti 278.*

Florianus, qui Tacito ſucceſſerat, duobus menſibus, & diebus xx, in imperio fuit, neque quicquam dignum memoria egit. *Florianus. eod. An.*

Poſt hunc Probus, uir illuſtris gloria militari, ad adminiſtrationem Reipub. acceſsit. Gallias à barbaris occupatas, ingenti præliorum fœlicitate reſtituit. Quoſdam imperium uſurpare conatos, ſcilicet Saturninum in Oriente, Proculum & Bonoſum Agrippinæ, certaminibus oppreſsit: uineas Gallos & Pannonios habere permiſit. opere militari Al-
13 mum montem apud Sirmium, & Aureũ apud Mœſiam ſuperiorem, uineis conſeuit, & prouincialib. colendos dedit. Hic cũ bella innumera geſsiſſet, pace parta, *Probus. An. 279.*

dixit breui milites neceſſarios non futu-
ros. uir acer ac ſtrenuus, iuſtus, & qui Au
relianum æquaret gloria militari, morũ
tamen ciuilitate ſuperaret. Interfectus
autem eſt Sirmij tumultu militari, in tur
re ferrata. imperauit annos VI, men-
ſes IIII.

Carus cum filijs. An. 285.

Poſt hunc Carus eſt factus Auguſtus,
Narbonæ natus in Gallia: qui confeſtim
Carinum & Numerianum filios Cæſa-
res fecit, cum quibus regnauit duobus
annis. ſed dum bellum aduerſum Sarma
tas gerit, nunciato Perſarum tumultu,
ad Orientem profectus, res contra Perſas
nobiles geſsit: ipſos prælio fudit: † Se-
leuciam & Cteſiphontem urbes nobiliſ-
ſimas cæpit: & cum caſtra ſupra Tigridẽ
haberet, ictu diuini fulminis perijt. Nu-
merianus quoque filius eius, quẽ ſecum
ad Perſas duxerat, adoleſcens egregiæ in
dolis, cum oculorum dolore correptus,
lecticula ueheretur, impulſore Apro, qui 14
ſocer eius erat, per inſidias occiſus eſt. &
cũ dolo occultaretur ipſius mors †(quo
uſque Aper inuadere poſſet imperium)
fœtore cadaueris prodita eſt. milites e-
nim qui eum ſequebantur, fœtore com-
moti,

† Corchen

Numerianus.

† Parentheſi incluſa in altero cod. deſiderantur.

15 moti, diductis lecticulæ pallijs, poſt aliquot dies mortem eius notā habere potuerunt. Interea Carinus, quem Cæſarem in Parthos proficiſcens Carus, in Illyrico, Gallia, Italia reliquerat, omnibus ſe ſceleribus coinquinauit: plurimos innoxios, fictis criminibus, occidit: matrimonia nobilia corrupit: condiſcipulis quoque, qui eum in auditorio uel leui fatigatione taxauerant, perniciosus fuit. Ob quæ omnibus † hominibus inuiſus, non multo pòſt pœnas dedit. Nam de Perſide † uicta exercitus rediens, cum Carum Auguſtum fulmine, Numerianum Cæſarem inſidijs perdidiſſet, Diocletianum Imperatorem creauit, Dalmatia oriundum, uirum obſcuriſsimè natum: adeò ut à pleriſque ſcribæ filius, à nonnullis Anulini ſenatoris libertinus fuiſſe credatur.

Carinus.

† bonis.

† victor.

Diocletianus et Maximianus.

An. Chriſti 287.

Is prima militum concione iurauit, Numerianum nullo ſuo dolo interfectū. & cum iuxta eum Aper, qui Numeriano inſidias fecerat, conſtitiſſet, in conſpectu exercitus manu Diocletiani gladio percuſſus eſt. Poſtea Carinum omni odio & deteſtatione uiuentem, apud Mur

gum ingenti prælio uicit, proditum ab
exercitu ſuo, quem fortiorem habebat:
certè deſertum, inter Viminatium atque
Aureum montem. Ita rerum Romanarũ
potitus, cum tumultum ruſticani in Gal
† *Baucadarum.* lia concitaſſent, & factioni ſuæ † Bagau- 16
darum nomen imponerent, duces au-
tem haberent Amandum & Aelianum,
ad ſubigendos eos Maximianum Hercu
lium Cæſarem miſit, qui leuibus prælijs
agreſtes domuit, & partem Galliæ re-
formauit.

Carauſius. Poſt hæc tempora etiam Carauſius,
† *ſerena* qui uiliſsimè natus, in † ſtrenuo mili-
tiæ ordine fàmam egregiam fuerat con-
ſecutus, cum apud Bononiam per tra- 17
ctum Belgicæ & Armoricæ pacandum
mare accepiſſet, quod Franci & Saxones
infeſtabant, multis barbaris ſæpe captis,
nec præda integra, aut prouincialibus
reddita, aut imperatoribus miſſa, cum ſu
ſpicio eſſe cœpiſſet, conſultò ab eo admit
ti Barbaros, ut tranſeuntes cum præda
exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret:
à Maximiano iuſſus occidi, purpuram
ſumpſit, & Britannias occupauit. Ita
cum per omnem orbem terrarũ res tur-
batæ

batæ eſſent, Carauſius in Britannijs rebellaret, Achilleus in † Aegypto; Africã Quinquegentiani infeſtarent, Norſeus Orienti bellum inferret, Diocletianus Maximianũ Herculiũ ex Cęſare fecit Auguſtum, Conſtantium & Maximianum Cæſares: quorum Conſtantius per filiam nepos Claudij traditur. Maximianus Gallerius in Dacia, haud longè à Sar
18 dica, natus. atque ut eos etiam affinitate coniungeret, Conſtantius priuignam Herculij Theodoram accepit, ex qua poſtea ſex liberos Conſtantini fratres habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam. ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulſi. Cum Carauſio tamen cum bella fruſtra tentata eſſent, contra uirum rei militaris peritiſsimum, ad poſtremum pax conuenit. eum poſt ſeptennium Allectus ſocius eius occidit, atque ipſe poſt eum Britannias triennio tenuit: qui ductu Aſclepiodoti præfecti prætorio eſt oppreſſus. Ita Britanniæ decimo anno receptæ. Per idẽ tempus à Conſtantio Cæſare in Gallia pugnatum eſt, circa Lingonas. Die una aduerſam & ſecundam fortunam

† Oriente.

expertus eſt. nam cum repentè Barbaris ingruentibus, intra ciuitatem eſſet coactus, tã præcipiti neceſsitate, ut clauſis portis in murum funibus tolleretur, uix quinque horis medijs aduentante exercitu, LX ferè millia Alemannorum cæcidit.

Herculius.

Maximianus quoque Auguſtus bellum in Africa profligauit, domitis Quinquegentianis, & ad pacem redactis. Diocletianus obſeſſum Alexandriæ Achilleum, VIII ferè menſe ſuperauit, eumq; interfecit. uictoria acerbè uſus eſt. totam Aegyptum grauibus proſcriptionibus, cædibusq; fœdauit. Ea tamen occaſione ordinauit prouidè multa, & diſpoſuit

Armentarij Cæſ.res. + primũ aduerſ. Narſeũ prælium, & ſecundum.

quæ ad noſtram ætatem manent. Gale 19
rius Maximianus+ primo aduerſum prę
lium, exin ſecundum habuit, inter Cal- 20
linicum Carrasq; congreſſus, cum incõſultè magis quàm ignauè dimicaſſet. admodum enim parua manu cum copioſiſsimo hoſte commiſit. Pulſus igitur, & ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere ocurriſſet, tanta inſolentia fertur à Diocletiano exceptus, ut per aliquot paſſuum millia purpuratus tradatur ad ue-

hiculum

hiculum cucurriſſe. mox tamen per Illyricum Mœſiamque contractis copijs, rurſus cũ Narſeo Ormiſdæ & Saporis auo, in Armenia maiori pugnauit ſucceſſu ingenti, nec minore conſilio, ſimulque fortitudine: quippe qui etiam ſpeculatoris munus cum altero ac tertio equite ſuſceperit. pulſo Narſeo, caſtra eius diripuit: uxores, ſorores, liberos cæpit: infinitã extrinſecus Perſarum nobilitatem, gazam Perſicam copioſiſsimam. ipſum in ultimas regni ſolitu dines †coegit. quare à Diocletiano, in Meſopotamia cum pręſidijs tum morante, ouans regreſſus, ingenti honore ſuſceptus eſt. Varia deinceps & ſimul & uiritim bella geſſerunt, Carpis & Baſternis ſubactis, Sarmatis uictis, quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt. Diocletianus moratus callidè fuit: ſagax præterea, & admodũ ſubtilis ingenio, & qui ſeueritatem ſuam aliena inuidia uellet explere: diligentiſsimus tamẽ & ſolertiſsimus princeps, & qui in imperio Romano primus regiæ cõſuetudinis formã magis quàm Romanæ libertatis inuexit, adorarique

† egit.

Diocletiani mores.

ſe iuſsit: cum ante eũ cũcti ſalutarentur. ornamenta gemmarum ueſtibus calceamentisq́ue indidit. Nam prius imperij inſigne in chalamyde purpurea tantum erat: reliqua communia. Herculius autem propalàm ferus & inciuilis ingenij, aſperitatem ſuam etiam uultus horrore ſignificans. hic naturæ ſuæ indulgens, Diocletiano in omnibus eſt † ſeuerioribus conſilijs obſecutus. Cum autem ingraueſcente æuo, parũ ſe idoneum Diocletianus moderando imperio eſſe ſentiret, autor Herculio fuit, ut in priuatam uitam concederent, & ſtationem tuendæ Reip. uiridioribus iunioribusq́ue mandarent: cui ægrè collega obtemperauit. tamen uterque una die priuato habitu, imperij inſigne mutauit, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani, poſt triumphũ inclytum, quem Romę ex numeroſis gentibus egerat, pompa ferculorũ illuſtri, qua Narſei cõiuges ſororesq; & liberi ante currũ ducti ſunt. Conceſſerunt tum † Salonas unus, alter in Lucaniam. Diocletianus priuatus in uilla, quæ haud procul à Salonis eſt, præclaro ocio ſenuit, inuſitata uirtute uſus: ut ſolus

Maximiani mores.

† ſanioribus.

† Salonam

ut ſolus omnium poſt conditum Romanum imperium, ex tanto faſtigio ſponte ad priuatæ uitæ ſtatum ciuilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli poſt natos homines, ut cum priuatus obiſſet, inter diuos tamen referretur.

EVTROPII LIber X.

HIs igitur abeuntibus, in adminiſtrationem Reip. Conſtantius & Galerius Auguſti creati ſunt: diuiſusq; inter eos Romanus orbis, ut Galliã, Italiam, Africam, Conſtantius: Illyricum, Aſiam, Orientem Galerius obtineret, ſumptis duobus Cæſaribus. Conſtantius tamen cõtentus dignitate Auguſti, Italiæ atque Africæ adminiſtrandæ ſolicitudinem recuſauit: uir egregius, & præſtantiſsimæ ciuilitatis, diuitijs prouincialium ac priuatorum ſtudens, fiſci commoda nõ admodũ affectans: † ducensq; Melius publicas opes à priuatis haberi, quàm intra unum clauſtrum reſeruari: adeò aũt cultus modici, ut feriatis diebus, ſi cum amicis numeroſioribus eſſet epulandum, priuatorũ eis argento oſtiatim petito triclinia ſternerentur. Hic nõ mo-

Conſtantius Chlorus, Max. Galerius. An. Chriſti 309.

† *dicensq;*

modò amabilis, ſed etiam uenerabilis Gallis fuit: præcipuè quòd Diocletiani ſuſpectam prudentiã, & Maximiani ſanguinariam temeritatẽ imperio eius euaſerant. Obijt in Britannia, Eboraci, prin 2
cipatus anno tertiodecimo, atque inter diuos relatus eſt.

Galerius Arm. Galerius uir & probè moratus, & egregius in re militari, cum Italiam quoque ſinente Conſtantio adminiſtrationi ſuæ acceſsiſſe ſentiret, Cæſares duos creauit. Verùm Conſtantio mortuo, *Conſtantinus An. Chriſti 311.* Conſtantinus ex obſcuriori matrimonio eius filius, in Britannia creatus eſt imperator, & in locum patris exoptatiſsimus moderator acceſsit. Romę interea prętoriani excitato tumultu, *Maxentius.* Maxentium Herculij filium, qui haud procul ab urbe in uia publica morabatur, Auguſtum nuncupauerunt. quo nuncio Maximianus Herculius ad ſpem erectus reſumẽdi faſtigij, quod inuitus amiſerat, Romam aduolauit è Lucania, quam ſedem priuatus elegerat, in agris amœniſsimis conſeneſcens: Diocletianumque etiam per literas adhortatus eſt, ut depoſitam reſumeret poteſtatem: quas ille irritas habuit.

habuit.ſed aduerſum motum prætoria- *Seuerus Caſ.*
norum atque Maxentij, Seuerus Cæſar
Romam miſſus à Galerio, cum exercitu
uenit:obſidensque urbem, militum ſuo
rum ſcelere deſertus eſt. auctę Maxentio
opes, confirmatumque imperium. Seue
rus fugiens, Rauennæ interfectus eſt.
Herculius tamen Maximianus, poſt hęc
in concione + exercitus filium Maxen- *+ exercituũ.*
tium denudare conatus; ſeditionem &
conuicia militum tulit. Inde ad Gallias
profectus eſt, dolo compoſito, tanquam
à filio eſſet expulſus, ut Conſtantino ge
nero iungeretur. moliens tamen Con- *Conſtantini*
ſtantinum reperta occaſione interficere; *res geſtæ.*
qui in Gallijs, & militum & prouincia-
lium ingenti iam fauore regnabat, cæſis
Francis atque Alemannis, captisq́; eorũ
regibus: quos etiam beſtijs, cum magni-
ficum ſpectaculum muneris paraſſet, ob
iecit. Detectis igitur inſidijs per Fauſtã
filiam, quę dolũ uiro nunciauerat, profu
git Herculius Maſsiliã, ibiq́; oppreſſus
(ex ea etenim nauigare ad filiũ præpara-
bat) pœnas dedit iuſtiſsimo exitu: uir ad
omnẽ aſperitatẽ ſęuitiáq́; procliuus, infi
dus, incõmod⁹, ciuilitatis penit⁹ expers.
Per

Licinius imp. Per hoc tempus Licinius à Galerio imperator eſt factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua cõſuetudine: & in bello quod aduerſus Narſeum geſſerat, ſtrenuis laboribus & officijs acceptus. mors Galerij confeſtim ſecuta eſt. Reſp. tum ab his quatuor imperatoribus tenebatur, Conſtantino & Maxentio, filijs Auguſtorũ: Licinio & Maximino, nouis hominib. Quinto tamen Conſtantinus imperij ſui anno, bellum aduerſum Maxentium ciuile commouit, copias eius multis prę lijs fudit: ipſum poſtremò Romæ aduerſus nobiles omnibus exitijs ſæuientem, 3 apud pontem Miluium uicit: Italiaq; eſt potitus. *Maximini exitus.* Non multo pòſt deinceps in Oriente quoq; aduerſus Licinium Maximinus res nouas molitus, uicinum exitium fortuita apud Tarſum morte præuenit. *† magnus.* Conſtantinus tamen uir † ingés, & omnia efficere nitens quæ animo præ paraſſet, ſimul principatum totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quamuis neceſsitudo illi & affinitas cum eo eſſet. nam ſoror eius Conſtantia, nupta Licinio erat. Ac primò eum in Pannonia, ſecundò ingenti apparatu bellum

apud

apud Cibalas inſtruentem, repentinus oppreſsit: omniq; Dardania, Mœſia, Macedonia potitus, numeroſas prouincias occupauit: uaria deinceps inter eos bella, & pax reconciliata, ruptaque eſt. Poſtremò Licinius nauali & terreſtri prælio uictus, apud Nicomediam ſe dedidit, & contra religionem ſacramenti Theſſalonicæ priuatus occiſus eſt. Eo tempore res Romana ſub uno Auguſto & tribus Cæſaribus (quod nunquam aliàs) fuit: cum liberi Conſtantini Galliæ, Orienti, Italiæque præeſſent. Verùm inſolentia rerum ſecundarum aliquantuum Conſtantinum ex illa † fauorabili animi docilitate mutauit. Primùm neceſsitudines perſecutus, egregium uirum, & ſororis filium, cõmodæ indolis iuuenem
4 interfecit, mox uxorem, pòſt numeroſos amicos. Vir primo imperij tempore optimis principibus, ultimo medijs cõparandus. Innumeræ in eo animi corporisque uirtutes claruerunt: militaris gloriæ appetentiſsimus, fortuna in bellis proſpera fuit: uerùm ita, ut non ſuperaret induſtriam. Nam etiam Gothos poſt ciuile bellũ uariè profligauit. pace

† fauorabilis.

his ad

his ad poſtremũ data. ingentemq; apud
barbaras gentes memoriam gratiæ col-
locauit: ciuilibus artibus & liberalibus
† iuſtitiæ & amoris. ſtudijs deditus, affectator † iuſti amoris,
quem omnino ſibi & liberalitate & doci
litate quęſiuit. ſicut in nõnullos amicos
dubius, ita in reliquos egregius: nihil oc
caſionum prætermittens, quo opulenti
ores eos clarioresque præſtaret. mul-
tas leges rogauit, quaſdam ex bono & æ
† pluresq;. quo, † plerasque ſuperfluas, nonnullas
ſeueras. primusque urbem nominis ſui 5
ad tantum faſtigiũ euehere molitus eſt,
ut Romæ æmulam faceret. Bellum ad-
uerſum Parthos moliens, qui iam Meſo-
potamiam fatigabant, uno & trigeſimo
anno imperij, ætatis ſexto & ſexageſi-
mo, Nicomediæ in uilla publica obijt.
denunciata mors eius etiam per crinitã
ſtellam, quæ inuſitatæ magnitudinis ali
quandiu fulſit (eam Græci κομήτην uo-
cant) atque inter diuos meruit referri.

M. Conſtantini tres filij. An. Chriſti 341. Dalmatius. Succeſſores filios tres reliquit: atque
unum fratris filium. Verùm Dalmatius
Cæſar proſperrima indole, neq; patruo
abſimilis, haud multo pòſt oppreſſus eſt
factione militari, & Conſtantio patruele 6
ſuo

ſuo ſinente potius quàm iubente. Con- *Conſtantinus.*
ſtantinum porrò fratri bellum inferentem, & apud Aquileiam incõſultius prælium aggreſſum, Conſtantis duces interemerunt. ita Reſpub. ad duos Auguſtos redacta eſt. Conſtantis imperium ſtre- *Conſtans.*
nuum aliquandiu, & iuſtum fuit. mox cum & ualetudine improſpera, & amicis prauioribus uteretur, ad grauia uicia conuerſus, cum intolerabilis prouincialibu, s militibus iniucundus eſſet, factione Magnentij occiſus eſt. Obijt haud longè ab Hiſpanijs, in + caſtro cui Helenæ *+ caſtris.*
7 nomen eſt, anno imperij xvii, ætatis trigeſimo: rebus tamen plurimis ſtrenuè in militia geſtis, exercituique per omne uitæ tempus ſine graui crudelitate terribilis. Diuerſa Conſtantij fortuna *Conſtantius.*
fuit. à Perſis enim multa & grauia perpeſſus, ſæpe captis oppidis, obſeſsis urbibus, cæſis exercitibus. nullumque ei contra Saporem proſperum prælium fuit, niſi quòd apud Singaram, haud dubiam uictoriam ferocia militum amiſit: qui pugnam ſeditioſè & ſtolidè contra rationem belli, die iam pręcipiti popoſcerunt. Poſt Cõſtantis necem, Magnentio

Italiam, Africam, Gallias obtinente, etiã

Veteranio. Illyricũ res nouas habuit, Veteranione ad imperium conſenſu militum electo: quem grandæuum iam, & cunctis amabilem, diuturnitate & felicitate militiæ, ad tuendum Illyricum † principem creauerunt: uirum probum, & morum ueterum, ac iucundæ ciuilitatis: ſed omnium liberalium artium expertem, adeò ut ne elementa quidẽ prima literarũ niſi grandæuus, & iam imperator, acceperit. Sed à Conſtantio, qui ad ultionem fraternæ necis bellum ciuile commouerat, abrogatum eſt Veteranioni imperium: qui nouo inuſitatoque more, conſenſu militum deponere inſigne compulſus eſt. Romæ quoque tumultus

Nepotianus. fuit: Nepotiano, Conſtantini ſororis filio, per gladiatoriam manum imperium † inuadente: qui ſæuis exordijs dignum exitum nactus eſt. uigeſimo enim atque octauo die à Magnentianis ducibus oppreſſus, pœnas dedit: caputque eius pilo per urbem circumlatum eſt. grauiſsimæ proſcriptiones & nobilium cædes fuerunt.

† principes creauerant.

† uendicante.

Magnentius uictus. Non multo pòſt Magnentius apud

Murſam

Murſam profligatus acie eſt, ac penè captus. ingentes Romani imperij uires ea dimicatione conſumptæ ſunt, ad quælibet bella externa idoneæ, quæ multum triumphorum poſſent ſecuritatisq; conferre. Orienti mox à Conſtantio Cæſar eſt datus, patrui filius Gallus. Magnẽtiusq; diuerſis prælijs uictus, uim uitæ ſuæ apud Lugdunum attulit, imperij anno tertio, menſe ſeptimo: frater quoque eius Senonis, quem ad tuendas Gallias Cæſarem miſerat. *Gallus Caſ.* *Decentius*

Per hæc tempora etiam à Conſtantio multis inciuilibus geſtis, Gallus Cæſar occiſus eſt: uir natura+ ferus, & ad tyrannidem pronior, ſi ſuo iure imperare licuiſſet. *+ferox.*

Syluanus quoque in Gallia res nouas molitus, ante diem trigeſimum extinctus eſt. Solus in imperio Romano eo tempore Conſtantius princeps & Auguſtus fuit. Mox Iulianum Cæſarem ad Gallias miſit, patruelem ſuum, Galli fratrem: tradita ei in matrimonium ſorore. Cum multa oppida Barbari expugnaſſent, alia obſiderent, ubique fœda uaſtitas eſſet, Romanumque imperium non *Syluanus.* *Iulianus Caſ.*

dubia iam calamitate nutaret:ab hoc mo dicis copijs apud Argentoratū, Galliȩ ur bem,ingentes Alemannorū copiȩ extin ctæ ſunt,rex nobiliſsimus captus, Galliæ reſtitutæ.multa poſtea per eundē Iu
† egregia. lianū †egregiè aduerſum Barbaros geſta ſunt: ſubmotiq; ultra Rhenū Germani, &finib.ſuis Romanū imperiū reſtitutū.
Neq; multo pòſt,cū Germanici iā exerci 8
tus à Galliarū præſidio tollerentur,conſenſu militum Iulianus factus Auguſtus eſt:interiectoq; anno,ad Illyricū obtinē dum profectus eſt,Conſtantio Parthicis bellis occupato.quib.rebus cognitis,ad bellū ciuile conuerſus, in itinere obijt, inter Ciliciā Cappadociáq;: anno imperij
† uiceſimo. octauo,& † trigeſimo, ætatis quinto 9
& quadrageſimo. meruitq; inter diuos referri:uir egregiæ tranquillitatis,placidus,nimis amicis & familiarib.credens, mox etiam uxoribus deditior: qui tamen primis imperij annis ingenti ſe modeſtia egerit,familiarum etiam locupletator:neque inhonoros ſinens, quorum laborioſa expertus fuiſſet officia. ad ſe ueritatem tamen propenſior, ſi ſuſpicio imperij moueretur.mitis aliàs, & cuius

in ci-

in ciuilibus magis quàm in externis bellis ſit laudanda fortuna.

Hinc Iulianus rerum potitus eſt: ingentique apparatu Parthis intulit bellum. cui expeditioni ego quoque interfui. Aliquot oppida & caſtella Perſarum in deditionem accepit, uel ui oppugnauit. Aſsyriamque populatus, caſtra apud Cteſiphontem ſtatiua aliquandiu habuit. remeansque uictor, dum ſe inconſultius prælijs inſerit, hoſtili manu interfectus eſt, ſexto Kal. Iulias, imperij anno ſeptimo, ętatis altero & trigeſimo. atq; inter diuos relatus eſt: uir egregius, & Remp. inſigniter moderaturus, ſi per fata licuiſſet. liberalib. diſciplinis apprimè eruditus, Gręcis doctior, atque adeò, ut Latina eruditione nequaquam cum Græca ſcientia conueniret. facundia ingenti & prompta, memoriæ tenaciſsimæ. in quibuſdam philoſopho propior. in amicos liberalis: ſed minus diligens quàm tantũ principem decuit. fuerunt enim nonnulli, qui uulnera gloriæ eius inferrẽt. in prouinciales iuſtiſsimus: & tributorũ, quaten⁹ ferri poſſet, † oppreſſor. ciuilis in cunctos, mediocrẽ habens

Iulianus.
An. Chriſti 363.
Eutropius de ſe.
+ repreſſor.

ærarij curam. gloriæ auidus, ac per eam animi plerunque immodici. Nimius religionis Chriſtianę inſectator: perinde tamen, ut cruore abſtineret. Marco Antonino non abſimilis: quem etiam æmulari ſtudebat.

Iouianus.
An. Chriſti 365.
† modeſtius.

Eadem ſcribit Dionyſius *ſub finem libri* 4. *Cæterùm* Liuius *initio libri ſecundi ab* V. C. *non dubitat,* Brutum *peßimo publico facturum fuiſſe, ſi libertatis immaturæ cupidine priorũ regum alicui regnum extorſiſſet.* Nam *priores reges ita regnarunt, ut haud immeritò deinceps omnes conditores partium urbis, quas nouas ipſi ſedes ab ſe auctæ multitudini addiderunt, numerarentur.* Poteſt. ſimilem.) *æqualem.* Ciuiles.) *modeſti.* Priuatos.) *in nullo magiſtratu.*

Fuerunt igitur anno I. expulſis regibus, Conſules.)

Conſules à conſulendo dicti uidentur, quòd conſulerent populum ac Senatum. Plutarchus *ac* Dionyſius *Græcè* συμβούλους *uocatos, aut* προβούλους, *putãt: quòd* Romani *cõſilia uocẽt, quæ* Græci προβούλας. *ad quã appellationem uidetur alluſiſſe* Cicero *in* Piſonem, *cum inquit:* Animo *cõſulem eſſe oportet, conſilio, fide, grauitate, uigilãtia, cura, toto deniq; munere cõſulatus, omni officio.* Anno primo.) Ab V.C. 245. Iun. Brutus.) Ex *Tarquinia Superbi ſorore genitus, ut* Liuius: *ut* Dionyſius, *à Priſci filio.* Egerat.) *in cauſa fuerat.* L. Tarquinius.) *Egerij filius, ut* Liuius: *Egerij nepos, ut* Dionyſius.

Sed Tarquinio Collatino.) *Bruti collegæ.* Dionyſius *refert cauſam, quòd ſororis filios duos* Aquilios *conatus ſit defendere contra* Brutum, *qui proprijs liberis non pepercerat.* Atque *hæc uidetur probabilior*

cauſa, quàm hæc Eutropij, quam ex Liuio habuit: quid enim nomẽ nocuiſſe poterat? Placuerat enim.) *Hæc eſt Liuij, ſed friuola cauſa. meliorem tradit Dionyſius.*

Qui accepto omni.)

Brutus curauit, ut populus Romanus Collatino ex ærario daret 20. talenta: id eſt, 12000 coronat. & ipſe addidit de ſuo V. talenta: id eſt, 3000 coron. Abſtulit igitur ſecum dono 15000 coronatorum. Qui.) *aliàs, Ergo.* Ex urbe migrauit.) *Lauinium, ueterem Latinorum primam metropolim, ubi conſenuit. Dionyſius.*

P. Valerius Publicola Coſ.

P. Valerius, ab uno Sabinorum, qui cum Tatio Romam uenerant, oriundus, uir prudens & induſtrius, ut inquit Dionyſius in 4. qui etiam iuuerat eijcere reges.

Et collectis multis gentibus.) *Maximè Hetruſcis, Tarquinijs, Veientibus, & uoluntarijs Latinorum. Primùm enim tentauit Latinos, ſed illi renuebant publicè mittere: habuit tamẽ multos uoluntarios, qui Mamilium Tuſculanũ ducem, Tarquinij generum, ſequuti ſunt. Porrò Tarquinienſes ac Veientes commouit, qui pro eo pugnantes uenerunt. in ea pugna perierunt Brutus ac Aruns, ſingulari congreſſi certamine.*

Romani tamen ex ea pugna.

Vox è ſylua audita refertur, iubens Romanos bono animo eſſe, quia uictores. uno enim plus Hetruſcorum cecidiſſe in acie: Valerium ſequenti die hoſtium cepiſſe caſtra, ac Romam triumphantem rediſſe. Victores.) *quia uno ſuperiores, & quia caſtra hoſtium cæpere.* Pudicitiæ.) *quæ propriè eſt coniugij.*

Per

Per annum luxerunt.)

Hoc anno funebres orationes initium cæpere, de quibus multa diſputat Dionyſius. *Ea primùm dicebantur de ijs ſolis, qui bello cecidiſſent: ſed poſtea etiam alijs datæ ſunt.*

Valerius Publicola.)

Valerius poſt mortem Bruti, quòd non continuò collegam ſubrogauerat, & quòd in Velia loco alto ædificabat, in ſuſpicionem affectati regni peruenit. quæ res cum eum malè haberet, conuocato populo, oratione inuidiam diſcuſſit. Facto etiam purgauit ſe. nam ſecures faſcibus dempſit, ac domum infra Veliam deferri iuſſit, loco colli ſubiecto.

Lucretium Tricip. coll. ſibi fecit.)

Liuius, primo urbis liberæ anno tribuit Capitolij quoq; dedicationem, quã Dionyſius *tertio anno, & poſt Porſenæ obitum factam ſcribit. quod eſt ueriſimilius. Idem Liuius, Porſenam ſecundo liberatæ urbis anno Romam oppugnatum ueniſſe ait, cum Dionyſius anno tertio hoc factum aſſerat. Secũdo anno ait cenſum actum, ac tributorum ordinationem, ex Tullij regis inſtituto à Superbo omiſſam. Cenſa ciuiũ* CXXX M. *Loca munita aduerſus Latinos ac Hernicos. Hic uerò author ſequutus eſt Liuium.* Morbo mortuo.) *& ſenio. ait enim Liuius: Magno natu, non ſufficientibus uiribus, &c.* Quinque conſules.) *Brutum, Collatinum, P. Valerium, Sp. Lucretium, Horatium Puluillum.*

Coß. I. An.	Brutus, Collatinus, P. Valerius, Sp. Lucretius, M. Horatius	Coß. II An.	P. Valerius Publicola II. T. Lucretius Tricipitinus.
		Coß. III An.	P. Valerius Publicola III. M. Horatius Puluillus II.

Cum Tarquinius.) *Collatinus*. Propter nō men.) *ſecundum Liuium.* Iterum Tarquinius.) *Superbus rex.* Thuſciæ.) *Cluſinorum rege.*

Tertio anno.) *quo Dionyſius refert factam obſidionem. Liuius pro M. Horatio iterum ponit P. Lucretium, ſuſpectum nomen. Et Coß. An. 4. Sp. Largiū, T. Herminium omittit: iniuria, ut puto, temporum. Hoc tertio demum anno Porſenam Romam oppugnatum ueniſſe, Dionyſius ſcribit, ac primo impetu cepiſſe Ianiculum. Deinde Romanos pro ponte ſublicio ſtantes inuaſiſſe, ac in urbem compuliſſe. in ponte uerò conſertos, mireq́; afflictos, ut ea die pene urbs caperetur, tres uiri in ultimo agmine Rempub. conſeruarunt, Sp. Largius, T. Herminius è ſenioribus, P. Horatius Cocles è iunioribus. Hic ita appellatus, quaſi Cyclops (unum enim oculum amiſerat) rem auſus eſt plus famæ habituram ad poſteros, quàm fidei, ut inquit Liuius. Cum enim cum Largio & Herminio ciues defenderet, ut incolumes urbem per pontem ingrederentur, iußis duobus in tutum cedere, ac pontem reſcindere, unus*

nus ingenti gradu hoſtes arcet: increpans eos, ſeruitia regum ſuperborum, ſuæ libertatis immemores alienam oppugnatum uenire. Sed cum pudor uniuerſos teneret, coniectis in unum telis, fragor pontis rupti effecit, ut ille Tiberim inſiliret: ac uulneratus, incolumis tamen ad ſuos tranauit. Fuit item alter in hac obſidione inſignis uir C. Mutius, qui cũ in maxima annonæ anguſtia uideret aut urbem dedendam Porſenæ, aut moriendum, uenia antè à Senatu petita, in Porſenæ caſtra conceſſit, linguam Tuſcam à nutrice edoctus. Verùm cum nec ſcribam inſigni ueſte pro tribunali ſedentem cognoſceret, ratus regem eſſe: nec inquirere auderet, ne proderetur, ſcribam pro rege obtruncat. Porrò rex territus tam audaci facinore, cum rogaſſet eum quis eſſet, quid ſibi hac cæde uoluerit: ingenuè profeſſus, & ſe Romanum eſſe, & uoluiſſe regem occidere: nec deprecari mortem, ſed contumelias. Quod ſi à rege, fide data, acceperit, ſe indicaturum ei promiſit, quod ad ſalutem eius in primis pertineat. Hoc uaframento cum regem audiendi cupidum feciſſet, fide data: CCC, inquit, iuuentutis Romanæ patricij iurauimus, ut in te hac uia graſſaremur: mea prima ſors fuit. Cæteri utcunque ceciderit, primi, quo te opportuna fortuna dederit, ſuo quiſque tempore aderunt. Rex inito cum amicis conſilio, ex filij potiſſimum motus ſententia, obſidionem ſoluit, cum Romanis fœdus icit: & liberalitate proſecutus, Tarquinijs iuſſis alibi quærere ſubſidium, regreſſus eſt domum. Tuſculum.) *Manilij generi ſedem. Idem dicit Liuius. Sed ibi manſit uſque ad pugnam ad Regillum lacum. Inde ſe, ait, Cumas contulit, atq; ibi-*

dem mortuus eſt poſt annum. Ciuitas.) *oppidum potius.* Per quatuordecim annos.) *uſque ad pugnam ad* Regillum *lacum, quæ fuit anno quartodecimo ab liberata urbe.* Cum uxore.) *minore* Tullia. Conſenuit.) *paulo pòſt mortuus Cumis.*

Quarto anno poſt reges.)

Hoc quarto anno Liuius *omittit Conſules. ſed fuere* Sp. Largius, T. Herminius: *quo anno* Romani *prorſus quieuere, inquit* Dionyſius. *Hoc loco clarum euadit, tempore* Eutropij, Liuij *exemplar, quod quarti anni Coſſ.* Sp. Largium *ac* T. Herminium *omittit, corruptum fuiſſe.* Nam *bellum* Sabinum *fuit quinto anno urbis liberatæ.* Quo *anno* M. Valerius Sabinos *uicit.* De*inde biennio uicti, quarto demum anno domiti ſunt.*

Quinto anno Valerius.) *Septimo, ſecũdum* Dionyſium. *Deceptus eſt autem hoc loco librarius, quòd putaret annos fore continuos, ut hactenus: cum mox ſequatur annus nonus. Cæterùm* Liuius, *anno ſexto urbis liberæ, ait eum mortuum: ſed deeſt ei annus quartus, per iniuriam temporũ.* Eſt *enim ſeptimo anno mortuus, nõ quinto urbis liberæ, ut hic errat author.*

IIII Coſ.) *qui ſexto urbis liberæ anno quartùm Conſul fuit.* Collatis à populo.) De *publico elatus eſt, inquit* Liuius. Sumptũ habuerit ſepulturę.) *copijs familiaribus adeò exiguis, ut funeri ſumptus deeſſet.* Luxerunt.) *depoſito auro ac purpura.*

Nono anno poſt reges.) *ab urbe liberata.* Nono *quidem anno gliſcebat* Latinum *bellum.* Decimo Fidenæ *obſeſſæ, & proditio in urbe tentata ab* Tarquinio: *ſed oppreſſa feliciter.* Vndecimo *durauit adhuc* Fi-

denarum

denarum obſidio. Duodecimo captæ Fidenæ, & omne Latinum in Romanos coniurauit. Et Dictator primus creatus T. Largius. Ceterùm Eutropius ſequitur Liuium, qui nono anno V. liberatæ urbis Dictatorem primum creatum, quem Dionyſius anno XII urb. lib. creatum aſſerit. Gener Tarq.) *Mamilius.* Eodem anno.) *nono, ſecundum Liu. ſed XII, iuxta Dionyſ.*

Noua Romæ dignitas.)

Cum anno primo liberatæ urbis P. Valerius Publicola de regni affectatione in ſuſpicionem ueniſſet, legē de prouocatione ad Coſ. ad populum tulit. Porrò cum anno XII ab eadem liberata urbe gliſcens bellum à Latinis immineret, ac delectus haberetur, pauperes ac ære alieno oppreſſi, quorum magnus erat numerus, nomina dare abnuebant, quos cogere non poterant: Senatus nouam dignitatem excogitauit, à qua non eſſet prouocatio, Dictaturam nomine, reuera tyrannidem temporariam, ſed occultam. Qui dictator erat, poteſtatem habebat uitæ ac necis in omneis ciueis. Illi omnes magiſtratus ſubiecti erant. Ea poteſtas durabat ad VI menſes: qua depoſita, cogebatur qui eam geſſiſſet, rationem omnium actorum dare populo. Et ueteres quidem Romani rarò ultra aliquot menſes, imò ſæpe in aliquot dies tenuerunt, nec unquam ea abuſi ſunt: uſque ad Cornelij Syllæ tempora, qui eum honorem inuidioſum fecit, nec id abſque cauſa. nam is honor paulo pòſt ſub Iulio Cæſare, qui perpetuum ſe dictatorem fecerat, Romanum euertit imperium. poſt cuius mortem Dictatura in perpetuum abrogata, reliquit ueram imperatorum tyrannidem. Tranquillitas ueſtra.) For

tè Noſtra legendum: uel Veſtra, hoc eſt, Valentiniani & Valentis Imperatorum.

Magiſter equitum factus eſt.)

Romæ nunquam factus eſt Dictator abſque Magiſtro equitum, inquit Dionyſius ad quinti libri finem. Quãquam in Liuij codicibus aliquãdo hoc eſt neglectũ. Obſequeretur.) audiens eſſet.

Maximè cum Auguſtus quoq;.)

Gratianus fuit quidam ex Pannonia, ut inquit Sextus Aurelius, Funerius dictus, quòd uenalitium funem portanti, quinq; milites nequirent extorquere. eo merito aſcitus in militiam, uſque ad præturæ prætorianæ potentiam conſcendit. Hic Gratianus duos habuit filios, Valentinianum & Valentem. Valentiniano patris gratia conciliauit imperium. Sed mox fratrem Valentem accepit in imperium ſocium, ac anno inde tertio filium Gratianum in Auguſtum, cum uix in Cæſarem creare debuiſſet. Hoc nunc Eutropius ſuboſcurè innuit: erat enim olim Imperator ac Cæſar, ut hodie apud Germanos Der Römiſch Keiſer / vnd der Römiſch Künig. Octauianus.) Octauius. Poſtea.) in Cæſarum ordine. C.Cæſar.) Iulius. Sub dictaturæ no.) ſummæ poteſtatis prætextu, cum eſſent ueri oppreſſores Reipublicæ.

Primus fuit Largius magiſt. eq.)

T.Largius dictator creatus ob timorem belli Latini, non tamen geſſit bellum. Nam cum ipſe anno 12 ab Vrbe libera creatus eſſet, decimotertio induciæ fuere. At decimoquarto congreſſi Latini cum Romanis, ducibus duobus Tarquinijs Sexto ac Tito, ac Octauio Manlio,

Romani

Romani A. Poſthumium dictatorem nouum crearunt, qui ad Regillum *lacum cum* Latinis *conflixit. In qua pugna periere ſex, Tarquinius & Octauius, Manilius, uulneratus & Titus, à Romanorum parte, T. Ebutius Magiſter equitum uulneratus: occiſi tres* Valerij, *Marcus & duo Publicolæ filij: item T. Herminius.*

Sextodecimo anno pòſt.) *Dionyſ. lib. 6. hunc annum facit ab* V.C. 260. *Anno decimo urbis liberæ cœperat ſeditio, ſed oppreſſa erat fœliciter per Seruium Sulpitium Camerinum.* XII *rurſus prorumpebat, ſuſpenſa autem debitorum iudicia continuerunt plebem. Decimoquarto anno fuit pugna ad* Regillum *lacum contra* Latinos, *poſtquam proximo anno nexi commouerunt urbem.*

Tum & ipſe ſibi Tribunos.)

In multis urbibus hodie eſt iſta poteſtas: ut Baſileæ, *Coſſ. nouus & uetus: & duo Tribuni, nouus & uetus. Coloniæ autem* Agrippinæ, *ferè magiſtratus hodie ſunt ut* Romæ *olim.*

Seditionem populus Ro. fecit.)

Scribendum potius erat, plebs Romæ *fecit, cōtra* Pa*tricios uidelicet. Cæterùm lege* XII *Tabularum & ante eas* Romæ *latas ius erat, qui creditori non eſſet ſoluendo, ut eius corpus in temporaneam creditori ſeruitutem addiceretur. Sed cum uſuræ tam magnæ eſſent, ut nemo ſi ſemel caperetur, illis ſe extricare poſſet, ac multi necterētur, tū qui nexi eſſent, indigna liberis hominib. paterentur, res in rabiē uertit. Nam anno* XV *ab lib. urbe, magno natu quidam cum omnium maiorū inſignib. ſe in forum proiecit, ac poſt multum plebeiorum collo-*

quium, quo omnibus modis patricijs ac ſenatoribus inuidiam mouit, ita ut tota urbe diſcurreretur: nexi ſe undique in publicum proripiunt, implorantq́; Quiritum fidem. Commota itaque plebe, *ut uix conſulum maieſtas arceret iras hominum, frequenti* Senatu, *apud quos tum non modò inter* Patres, *ſed ne inter* Conſules *quidem ipſos ſatis conueniebat: tandem ad placandam plebem miſſus eſt* Seruilius *Coſ. qui eam mitigauit hoc edicto:* Ne quis ciuem Romanum *uinctũ aut clauſum teneret: neu quis militis, donec in caſtris eſſet, bona poſſideret, aut uenderet, liberos nepotes ue moraretur.* Hoc *propoſito edicto, nexi nomina dabant. magna ea manus fuit: neq; aliorum magis in* Volſco *bello uirtus atque opera enituit. Cum tribus populis, paucis admodum diebus* Cos. Seruilius *conflixit,* Volſcis, Sabinis *ac* Auruncis. Hæc *acta ſunt anno 15 ab urbe libera.* Porrò *16 maturauit ſeditiõ. cum plebs fœnore ſolui uellet,* Senatus *autem tergiuerſaretur, bellum* Sabinum *inſtabat, ac* Æqui *noui hoſtes: urbs ipſa ſecum diſsidebat.* Senatus *uarios quærens modos, tandem dictatorem* Appij *conſilio creauit,* L. Valerium. *cuius promiſsionem ſecuta plebs, egregiam bello nauauit operam.* Verùm *bello perfecto, cum* Senatus *promiſſa non præſtaret, &* Valerius *oratione ad populum habita, luculenter oſtendiſſet, per eum non ſtare: maturata eſt ſeditio, cum Coſs. rurſus educerent exercitum, rati milites uetere iuramento detineri. at illi à* Sicinio *quodam* Belluto *perſuaſi, ſublatis ſignis in montem* Sacrum *ſeceſſerunt. ibi legationibus hinc inde miſsis, &* Agrippa Menenio Æſopico *apologo plebem reducente, eò uentum eſt, ut*

Senatus

Senatus concederet plebi ſuos magiſtratus ſacroſanctos, qui Tribuni uocarẽtur, ac plebi aduerſus Senatũ auxilio adeſſent. Primi quidem V fuerunt, L. Iunius Brutus, C. Sicinius, C. ac P. Licinij, & C. Icilius Ruga. De nexis S. C. factum: qui ſoluendo non eſſent, ijs æs alienum omne remiſſum, corpora omnia libera facta. Tempus ſeceßionis poſt æquinoctium autumnale ceptum, durauit uſque ad Idus ferè Decembris, trium menſium ſpacio.

Sequẽti anno.) X V I I *urbis liberatæ, nẽpe Coß. Caßio & Poſthumio, ſedata eſt & compoſita inter plebem ac Senatum diſſenſio. Eo quoq; anno magna Romanorum uictoria de Volſcis fuit: & Coriolis oppugnatis, magnam ex eo bello gloriam tulit Cn. Martius, Coriolanus inde dictus. Eodem anno etiã Agrippa Menenius eſt mortuus, adeò pauper, ut ſumptus funeri deferendo non eſſet. Extulit eum plebs, ſextantibus in capita collatis, inquit Liuius.* Victi & capti.) *à Poſthumio Conſule. Al. & uicti acie, etiam Cor.* Corio los.) *quaſi caput Volſcorum.*

Expulſus ex urbe Cn. Martius.)

Cũ anno X V I I *à libera urbe ſedata eſſet grauis illa ſeditio, quam ſeceßionem nominabant, ac Patricij coacti eſſent plebi ſuos permittere magiſtratus, eo adhuc anno ſtrenuè pugnatum eſt in Volſcos, & capti Corioli, præcipuè Cn. Martij uiri patricij opera, unde & Coriolani nomen ei datum. Proximo inde anno, nempe decimooctauo, magna fames inuaſit urbem, quòd ſementis priore anno neglecta erat ſeceßione illa, quæ toto autumno durauerat, quando potißimum fit ſatio. Mißi frumentatores in diuerſas nationes, malè accepti*

à uicis

quium, quo omnibus modis patricijs ac ſenatoribus inuidiam mouit, ita ut tota urbe diſcurreretur: nexi ſe undique in publicum proripiunt, implorantq; Quiritum fidem. Commota itaque plebe, *ut uix conſulum maieſtas arceret iras hominum, frequenti* Senatu, *apud quos tum non modò inter* Patres, *ſed ne inter* Conſules *quidem ipſos ſatis conueniebat: tandem ad placandam plebem miſſus eſt* Seruilius *Coſ. qui eam mitigauit hoc edicto:* Ne quis ciuem Romanum *uinctū aut clauſum teneret: neu quis militis, donec in caſtris eſſet, bona poſſideret, aut uenderet, liberos nepotes ue moraretur.* Hoc *propoſito edicto, nexi nomina dabant. magna ea manus fuit: neq; aliorum magis in* Volſco *bello uirtus atque opera enituit. Cum tribus populis, paucis admodum diebus* Cos. Seruilius *conflixit,* Volſcis, Sabinis *ac* Auruncis. Hæc *acta ſunt anno 15 ab urbe libera.* Porrò *16 maturauit ſeditiō. cum plebs fœnore ſolui uellet,* Senatus *autem tergiuerſaretur, bellum* Sabinum *inſtabat, ac* Æqui *noui hoſtes: urbs ipſa ſecum diſsidebat.* Senatus *uarios quærens modos, tandem dictatorem* Appij *conſilio creauit,* L. Valerium. *cuius promiſsionem ſecuta plebs, egregiam bello nauauit operam.* Verùm *bello perfecto, cum* Senatus *promiſſa non præſtaret, &* Valerius *oratione ad populum habita, luculenter oſtendiſſet, per eum non ſtare: maturata eſt ſeditio, cum* Coſſ. *rurſus educerent exercitum, rati milites uetere iuramento detineri. at illi à* Sicinio *quodam* Belluto *perſuaſi, ſublatis ſignis in montem* Sacrum *ſeceſſerunt. ibi legationibus hinc inde miſsis, &* Agrippa Menenio Æſopico *apologo plebem reducente, eò uentum eſt, ut*

Senatus concederet plebi ſuos magiſtratus ſacroſanctos, qui Tribuni uocarẽtur, ac plebi aduerſus Senatũ auxilio adeſſent. Primi quidem V fuerunt, L. *Iunius Brutus,* C. *Sicinius,* C. *ac* P. *Licinij, & C. Icilius Ruga. De nexis* S. C. *factum: qui ſoluendo non eſſent, iis æs alienum omne remiſſum, corpora omnia libera facta. Tempus ſeceßionis poſt æquinoctium autumnale ceptum, durauit uſque ad Idus ferè Decembris, trium menſium ſpacio.*

Sequẽti anno.) X V I I *urbis liberatæ, nẽpe Coß. Caßio & Poſthumio, ſedata eſt & compoſita inter plebem ac Senatum diſſenſio. Eo quoq; anno magna Romanorum uictoria de Volſcis fuit: & Coriolis oppugnatis, magnam ex eo bello gloriam tulit Cn. Martius, Coriolanus inde dictus. Eodem anno etiã Agrippa Menenius eſt mortuus, adeò pauper, ut ſumptus funeri deferendo non eſſet. Extulit eum plebs, ſextantibus in capita collatis, inquit Liuius.* Victi & capti.) *à Poſthumio Conſule. Al. & uicti acie, etiam Cor.* Coriolos.) *quaſi caput Volſcorum.*

Expulſus ex urbe Cn. Martius.)

Cũ anno X V I I *à libera urbe ſedata eſſet grauis illa ſeditio, quam ſeceßionem nominabant, ac Patricij coacti eſſent plebi ſuos permittere magiſtratus, eo adhuc anno ſtrenuè pugnatum eſt in Volſcos, & capti Corioli, præcipuè Cn. Martij uiri patricij opera, unde & Coriolani nomen ei datum. Proximo inde anno, nempe decimooctauo, magna fames inuaſit urbem, quòd ſementis priore anno neglecta erat ſeceßione illa, quæ toto autumno durauerat, quando potißimum fit ſatio. Mißi frumentatores in diuerſas nationes, malè accepti*

à uicinis: tandem anno decimonono ex Sicilia multum frumenti allatum eſt. Ibi Patricij, & in primis Coriolanus, hoſtis Tribunitiæ poteſtatis, ueniſſe tempus putabant premendæ plebis, recuperandiq; iura, quæ extorta ſeceßione ac ui patribus eſſent. Ipſe Coriolanus oratione in Senatu habita, de premenda plebe, tribunis occaſionem dedit accuſandi eum tyrannidis, quaſi depeculatores publicorum bonorum. Dies igitur ei dicta eſt à Tribunis, ut ſe apud populum excuſaret, aut in exilium iret. Die dicta, cum non adeſſet, damnatus in Volſcos exulatum profectus eſt, minitans patriæ, hoſtileſq; iam tũ ſpiritus gerens: ut inquit Liuius. Cæterùm Eutropius in annis cum Liuij codice errat. Decimooctauo enim anno cœpit ſeditio cum Coriolano: decimonono ſolum uertit: deinde biennio poſt ipſe bellum cœpit aduerſus patriam. Deniq; uiceſimoſecũdo anno ab urbe liberata, finitum eſt cum eo bellum, quo anno & ipſum periiſſe perhibent. Poſtremò, ut deprauatè hoc loco Q. Martius legebatur: ita et in Græco Dionyſ. codice Caius pro Cneius malè legitur. Iratus.) *patriæ Romæ ira ſcẽs.* Romanosq; uicit.) *Romanorũ oppida capit, ſed nũquã cum eis cõflixit.* Legatis.) *Minutio miſſo V. C. deinde & ſacerdotũ turba.* Cæſone Fabio.) *Hic maiores annorũ ſaltus facit author, ac maiores adhuc in ſequẽtibus, multa omittẽs. Cæterùm anno 23 liberatæ urbis, qui proximus fuit poſt Coriolani mortẽ, Hernici uicti ſunt: ac Volſci proximo deinde anno, qui erat ab urbe condita 268. Lex agraria à Sp. Caßio ter Cos. lata eſt in plebis gratiam. Ager enim publicus ſanguine omnium ciuium acquiſitus, poßidebatur à priuatis hominibus,*

minibus, maximè à patricijs, per iniuriam plebis. Lex *nunquam deinde uſque ad* Auguſti *tempora ſine maximis rerum motibus agitata. Cui maxima ui reſtiterunt omnes ſenatores ac patricij, ut Caßium in crimen affectatæ tyrannidis productum interficerent.* Hæc lex Romanum *euertit imperium, quando* Gracchi *eam perferre, ac poſt eos* Marius, *conati, ciuile bellũ indixerũt.*

Trecenti nobiles homines.) Dionyſ. *lib. 9. ait, 4000 omnino fuiſſe, cõnumeratis cliẽtib. neceſſarijs ac amicis. Sed ipſorũ* Fabiorũ *306. Simile de* Leonida *Lacedæmoniorum rege refert* Herodotus *lib. 7.*

Ex Fab. familia.)

Anno ab urbe condita 271 ortum eſt Veiens *bellum, quod deinde ad 90 propemodum durauit annum, interiectis nonnunquam inducijs. Cum autem anno ab urbe condita 277, cum multis populis bellum eſſet populo* Romano, *cum* Veientibus *autem neque pax neque bellum, res proximè in formam latrocinij uenerat.* Legionibus Romanis *cedebant in urbem: ubi abductas ſenſerunt legiones, agros incurſabant, bellum quiete, quietem bello eludentes: ita neque omitti tota res, neq; perfici poterat. Tum* Fabia *gens* Senatum *adijt,* Veiens *bellum depoſcens: quod priuato ſumptu gerendum ſumpſerunt.* Veientes.) *quorũ urbem 18 milliario à* Roma, *id eſt, itinere quatuor horarum & $\frac{1}{2}$ diſtare, ſuprà in* Tullo Hoſtilio *dictũ eſt.* Omnes nobiles.) *Fabij.*

In prælio conciderunt.)

Fabij cum per duos annos rem ſtrenuè geßiſſent, tandem inſidijs Veientum *periere,* X V Kalendas Sextileis: *id eſt,* X V I I I Iulij, *quo die ad* Allium *flumen* Romani *aliquanto poſt cæſi à* Gallis *ſunt: unde diem illum*

Allienſem

Allienſem uocarunt, inſignem rei nulli publicè priua-timq́; agendæ: ut initio libri 6. ab urb. condita narrat Liuius.

Vnus omnino ſuperfuit.)

Vide hunc authorem in ſtolida opinione fuiſſe, à tre-centis illis uiris, præter unum, nullam prolem fuiſſe Ro-mæ relictam: in quo errore ſequitur cæcum Liuium: Quis enim credere poßit, CCCVI uiros, diuites & nobiles, nullos poſt ſe reliquiſſe proles, ſaltem impube-res? Eleganter refellit hanc Liuij rationem Dionyſius lib. 9. Poſt hæc cenſus.) *Anno XVIII poſt cæ-ſos Fabios, ab urbe cond. 295. meminit Liuius in 3. lib. qui ait, ciuiũ cenſa capita 132 millia, & CCCXIX.*
Sequenti anno.) *ſ. poſt cenſum factum, nẽpe an-no ab urb. cond. 296.* Ab urbe duod.) *itinere tri um horarum, poſt Tuſculum.* Obſideretur.) *ſub L. Minutio Cos.*

L. Quintius Cincinnatus.

L. Quintius Cincinnatus nobili familia filium habuit Cæſonem, in exilium actum, ob nimiam (ut Liuius in-quit) libertatem: ut Plinius de Viris illuſtribus, ob ni-miam arrogantiam: idq́; cum patris uoluntate. Sed Li uius id negat. Vtcunq; ſit, certè pater prõ decem uadi bus coactus eſt ſoluere triginta millia æris, id eſt 300 coronatos: unde eò reductus eſt, ut diuenditis omnibus bonis, aliquandiu trans Tiberim ueluti relegatus, deuio quodam in tugurio uiueret. Deinde Cos. factus, anno ab V. C. 294. P. Valerio in Capitolio Herdonij tumultu cæſo ſuffectus, ex agro uocatus, cum lachrymis prolo-quutus: Ergo (inquit) hoc anno agellus mihi non ſere

tur,

tur, & de uictu periclitabimur. Cæterùm cum poſt con*ſulatum bene adminiſtrata republica in agrum rediſſet, ac anno ab* V. C. 296 *ab Æquis* L. *Minutius Cos. cum exercitu* Romano *obſideretur, & opus eſſet dictatore, rurſus ad eum itum eſt.* Ibi *tum quoque queſtus, ut antea:* Periit, *inquit, huius quoque anni fructus, propter meas occupationes.* Porrò Dionyſius lib. 12 *mira de huius uiri cõtinentia prædicat.* Cum Senatus *ei ex præda parta multa offerret, ut ſuam leuaret paupertatem: tantum eorum uoluntate laudata, nihil eorum recipere uoluit, ſed in ſuum ſe recepit tuguriolum, operariamq́; uitam regiæ prætulit: magis ſibi paupertate placens, quàm alij homines diuitijs.* Qui agrum.) *quæ prata* Quintia *ſunt dicta.* Arans.) *ſeu foſſam fodiens bipalio innixus, ſeu cum araret: operi certè, id quod conſtat, agreſti intentus, inquit* Liuius. Sudore.) *& puluere.*

Anno CCC & altero ab V. C.)

Dionyſius Halicarnaſſeus *lib.* 10 *ab initio ſcribit,* Romanos *ad annum uſque* 293 *abſq; ſcriptis uixiſſe legibus: ſub regibus enim lites regum arbitrio dirimebantur.* Porrò *ad* Coſſ. *idem iuris reddendi munus deuenerat.* Vulgus *negociatorum ac agricolarum, talium rerum imperitum prorſus erat.* Hoc *igitur anno* C. Terentillus Arſa, *ut* Liuius *nominat in* 3. *legem tulit, ut* Quinqueuiri *crearentur legibus de imperio conſulari creandis: quod populus in ſe ius dederit, eo* Coſſ. *uſuros, non ipſos libidinem ac licentiam ſuam pro lege habituros.* Hæc *contentio durauit ad nonum annum, nempe* 301 *ab urbe cond. quando miſſi ſunt* Athenas *nuncij legibus*

Solonis

Solonis conſcribendis. ij redierunt anno 302, quo anno Decemuiri creati ſunt legibus ſcribendis, quibus populus Romanus in poſterum uteretur. tum omnibus alijs magiſtratibus abrogatis, facta poteſtas ſine prouocatione, magno Romanorum malo, ut poſtea patuit. Sanè trecenteſimo altero anno finito, deſijt conſulare imperium. At anno trecenteſimo tertio, cœpit Decemuirale imperium. Et altero.) *ſecundo finito.* Conſulare.) *quòd bini Conſules habuerant.* Pro duobus.) *anno 302, ad finē eius anni.* Haberent.) *ſcilicet anno ſequenti 303. Sed hi ad leges populo Rom. condendas præcipuè ſunt electi.*

Decemuiri nominati.)

Anno 302 creati Decemuiri, anno 303 magiſtratū inierunt. ac primò bene ſe geſſerunt, editis in publicum X tabulis in æs inciſis. ſed cum pluſculum iuris deeſſet, in alterum annum rurſus X creati, ut duas adderent tabulas. ſed ij finito eo anno conſpirarunt, ut perpetuò eſſent Domini imperij Romani. Tertio igitur anno, nō ſecundo, & Decemuiri C. Sicinium Dentatum occiderunt, & Appius Claudius ingenuam uirginem ſtuprare conatus eſt, ſubornato M. Claudio cliente ſuo, ut L. Virginij qui tum pedes ordinem in Algido ducebat, filiam Virginiam in ſeruitutē aſſereret. Id cum ſedulò factum eſſet, ac ante iudicem Appium notam fabulam ageret M. Claudius, per ſummam iniuriam adiudicata eſt ei puella. Porrò pater uirginis cum uideret puellam ad ſtuprum duci, impetrauit ut cum ea uerbum unum loqui poſſet: & cultro ab lanio arrepto, puellam transfigit: Hoc uno (inquiens) modo, quo poſſum, filia, in libertatem

bertatem te uindico: ac ſic ad exercitũ fugit, ubi auxi-lium inuenit. Bene egiſſent.) *decem editis tabulis.* Secundo unus.) *Secundo additæ duæ tabulæ, tertio in tyrannidem declinarunt. unus enim ex ijs Ap. Clau-dius, &c.* Virginij.) *Lucij, plebeij quidem, ſed probi uiri.* Suſtineret.) *pati cogeretur.* Dam nati ſunt.) *quidam in carcere ſibi mortẽ conſciuerũt.*

Anno CCCXV.) *Aliàs CCCXVII. Vide Liuium lib. 4. ab V. C.* Exactis Decemuiris, om nes ueteres magiſtratus reſtituti ſunt, Coſſ. Aediles ac Trib. plebis, cœptiq́; plebs bis iam uim experta ſuam, au dacius quàm unquam antea, contra Senatum inſurge-re. Itaque anno 310 Canuleius Trib. plebis legem no uam promulgauit, de promiſcuo connubio patrum ac plebis, quod diremerant in XII Tabulis Decemuiri: alij uero tribuni pleb. alteram ferre conabantur legem, de altero Coſ. ex plebe creando. Cum autem Canuleius uiciſſet, & Tribuni ſuam quoq; perferre nolebant. eò-que tandem acerrima contentione uentum eſt, ut tres Tribuni conſulari poteſtate crearẽtur promiſcuè, ex ple be & patribus: de Coſſ. creandis nihil mutaretur. An no igitur ſequenti, magiſtratum inierunt tres patricij Tribuni Coſ. poteſtate: at tertio menſe abiere magi-ſtratu, iuſſu augurum, qui eos uitio declararunt creatos. In quorum locum creati ſunt II Coſſ. L. Papirius, L. Sempronius: qui proximo inde anno, nempe 312, primi cenſores Romæ fuerunt. Qui magiſtratus per qui nq; du rans annos, morum diſciplinæq́; regimen habuit. penes eum erat Senatus equitumq́; decoris dedecorisq́; diſcri-men, publicorum ius, priuatorúmque locorum, uecti-

galia populi Romani ſub nutu atque arbitrio.

Auxilium præſtabant.)

Fidenæ colonia Rom. ad Tolumnium Veientũ regem defecit, cæſis Romanorũ legatis. Bellũ aduerſus utroſq; geßit Mamercus Æmylius, ac pugna egregia uicit. Cæſus Tolumnius, Fidenæ captæ poſt biennium. Mamercus cenſor cenſuræ ſpacium V annorum, in annum ac dimidium contraxit, poſt eum annũ uariè tum & Coß. & Tribuni Coſ. poteſtate creati ſunt. Fidenæ VII.) *Suprà in Tullo Hoſtilio, ſexto milliario abeſſe dixerat.*

Poſt XX inde annos Veientani.)

Bellum Fidenatium cæperat, ut paulo antè hic autor dixit, anno ab V. C. trecenteſimo decimoquinto. At bellum Veiens cæpit anno CCCL. Hic ergo legendũ, poſt XXXV annos, non XX annos. Cæterùm Veij obſideri cœpti anno ab V. C. 350, cum præcedente anno primum Romæ datum ex publico ſtipendium. Obſidio eius urbis in decimum durauit annum. Et tertio eius anno M. Furius Camillus in magiſtratum uenit. Quo anno primum hybernacula facere, ac ſub pellibus durare milites aſſueuere, magna Tribunorum ira. Sed Appij Claudij ratione egregiè diſcuſſa, multa Romani paſſi in ea obſidione, cladibus ſæpe illatis, ſæpe acceptis, decimo tandem anno Camillus dictator factus eam urbem cepit cuniculo. Vrbs miſerè direpta, libera corpora in ſeruitutem abducta, Camillus de ea triumphauit. Contentio mox incidit de Veios migrandi conſilio, cui magnates ſummè reſtiterunt. Vide Liu. li. 5. Diu obſidens.) *per decennium. nam 359 ab V. C. anno demũ Veij ſunt capti.*

Poſtea cæpit & Faliſcos.)

Valerij Thuſciæ oppidum, ſicut Veij, bello Veienti uicinis adſuerunt auxilio contra Romanos. Igitur Camillus eos obſidebat. ibi ludimagiſter conſueto ante obſidionem more, cum pueris ante urbem obambulans (credat, qui uelit) ſermonibus uarijs fallens eos, tandem in Romana caſtra perduxit: prodens ita ciuitatem, quantum in ipſo erat. ibi cum oratione facta pueros Camillo obtuliſſet, non magnificè acceptus, ſed denudatus, ac manibus poſt tergum illigatis, reducendus Valerios datus eſt pueris, cum uirgis, quibus proditorem agerent in urbem. Ad quod ſpectaculum commota ciuitas, Romanis ultrò ſe dedidit. Hæc facta anno ab V. C. 361. Camillus inuidia Tribunorum pleb. propter prædam Veientanã pulſus in exilium Ardeam eſt, magno paulo pòſt plebis ac urbis deſiderio. Poſtea.) *biennio proximè poſt Veios captos.* Faliſcos.) *Valerios, urbem Veientibus uicinam.* Ei.) *Camillo.* Quaſi prædam.) *Qui decimam partẽ Apollini dari uoluit, quod plebs ualde ægrè tulit.* Expulſus.) *Anno 364, Ardeam relegatus eſt in exilium.* Statim.) *proximo mox anno, nempe 365.*

Statim Galli Senones.)

Liuius lib. 5. ducentis annis antè quàm Galli urbem cœperint, eos in Italiam tranſiſſe ait, temporibus Tarquinij Priſci. D. Ægidius Scudus longè antea, quod eſt ueriſimilius, Sub Priſco bini Celtarum fœtus emiſſi in alias terras dicuntur: alter in Italiam, qui breui regionem omnem inter Padum & Alpes occuparunt, Mediolanum, Comum, Bryxiam, Tridentum, ac alia multa

oppida condiderunt, paulo pòſt etiam Thuſcos *ultra* Pa*dum habitantes pepulere.* Qui Thuſci *duce* Rhœto *neceſſitate coacti,* Alpium *iuga ſumma occuparunt, à quo duce* Rhœtiæ *nomẽ deſcendit.* Alter fœtus Celtarum in Hercinios *ſaltus uenit:* Tectoſages, *ut* Cæſar *lib.* 6. *ait. unde hodie nomẽ comitatui à* Teck *in ducatu* Vuirtenbergenſi. *Cæterùm* Galli, *qui regionem inter* Padum *ac* Alpes *occuparunt, in tantum creuerunt, ut omnibus gentibus, maximè uerò* Romanis, *horrori fuerint. ſubinde enim à tranſalpina* Gallia *noua plebs ſubmittebatur. ijdem ergo, noua aduentante manu* Senonum, Romam *inuaſerunt, ac combuſſerunt. ſequentibus inde ſeculis ſæpius cum* Romanis *conflixerunt. de quibus* Polybius *lib.* 2. *ait, apud* Romanos *nihil tetrius, nihil horribilius fuiſſe: quibus cum bellantes, ſæpius ita exercuerunt ſeſe, ut contra omneis alios populos inſurgere auſi fuerint.* Flu. Alliam.) Quod *è* Cruſtuminis *montibus* Tybrin *influit.* Defendi.) *ab incendio.* Capitolium.) *arx urbis.* Diu obſediſſent.) *menſes aliquot.* Nam Seru. *in* 8. Æneid. *octo menſes,* Florus *lib.* 5. *ſex,* Plutarch. *in* Camillo *ſeptem menſes duraſſe hanc obſidionem, ſcribunt.* Superuentum eſt.) Galli *inuaſi ſunt à* Camillo, *non* Romæ, *ſed* Ardeæ: *meminit* Liu. Sec. eos Camillus.) *iam dictator factus.* Vt & aurũ.) *mille pondo ſiue libras auri.* Datum fuerat.) *pro redemptione.* Signa.) Vnde Vergil. *lib.* 6. Æneid. Et *referentem ſigna Camillum.* Tertiò triumphans.) Quia *primò de* Veijs, *iterum de* Faliſcis, *ac tertiò de* Gallis. De Faliſcis *tamen dubito, & obſcurè innuit* Liuius. Appellatus.) *à militibus, pater patriæ, conditorq́ alter urbis dictus.*

Vt aurum quod his datum fuerat.)

Certum eſt, Gallos per dolum cæſos, ac in auri penſione deceptos, ac perfidè omnia Romanos egiſſe. Proximo hercle anno poſt Veios captos, non erat tantum auri in publico, ut octo talenta expedirentur. Hic uerò, ſi dijs placet, Capitolio incluſi mille pondo auri expediunt tam citò. Iuſtinus lib. 43 ait, Maßilienſes contribuiſſe ad hoc pondus, ut expediretur Gallis. Liuius, nihil ea de re, ſed ereptum Gallis ait: Suetonius in Tyberio, Druſum quendam multis ætatibus poſtea ex Gallia Romam hoc aurum retuliſſe ſcribit. Adeò nihil certi eſt in Romana hiſtoria. Et hic author planè uacillat. primùm enim ait Gallos obſediſſe Capitolium: deinde à Camillo Gallis ſuperuentum, grauißimeq́; uictos. Poſtea tamen, accepto etiam auro, ne Capitolium obſiderent, receßiſſe, ac demum à Camillo occidione occiſos. Sed non eſt neceſſe omnia hæc perſequi, quæ aliquo modo excuſari poſſunt.

IN EVTROPII LIBRVM II. H. Glareani Annotationes.

Anno CCCLXV.)

TRibuni militares Coſ. poteſtate ideo facti erant, (ut dictum eſt) quia plebs alterum Coſ. ex plebe habere uoluit. id ne fieret, patricij paßi ſunt promiſcuè creari Tribunos milit. Coſ. poteſtate. Qui tamen rarò ex plebeijs fiebant. Tandē feßi plebeij, rurſus redierunt ad rogationem illam, ut alter Coß. ex plebe fieret. quæ contentio durauit ad 389 annum, quando primum

mùm Coſ. ex plebe creatus eſt L. Sextius. *Cæterum hic in annis uehementer erratur: creati enim ſunt primi Tribuni anno 311, ut dictum eſt. at ſecundi, anno ab* V. C. 317. *tertij* 322, *et deinde alternis annis iam Coß. iam Tribuni mil. Coſ. poteſtate, ſæpius tamē Tribuni quàm Coß. uſq; ad annum ab* V. C. 389. *quando primus Coſ.* L. Sextius *(ut diximus) ex plebe creatus eſt.* Anno 365.) *imò* 366 *ab* V. C. Vide *Liu. lib. 6. non longè ab initio.* Dignitates mutatæ.) Id 49 *annis antea factum eſt.*

Camillus eo anno Volſcorum ciuitatem.)

Primum bellum Volſcis motum fuit ſub Tarquinio Superbo, in ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos, ut ipſe Liuius ait in 1. Poſtea urbe li. anno XV. At ab V. C. 259 rurſus illis bellum motum, ubi plures C ſunt anni in utroq; numero. Ex ipſo igitur Liuio error huius numeri conuincitur. Eutropius ſequitur Liuium, etiam in erroribus.* Aequorum.) *in* Latio. Sutrinorum.) *in* Hetruria. T. etiam Quintius.) *Decem annis poſt priora. Bellum hoc magnificè deſcribit Liuius lib. 6. ab* V. C. *Notandum autem, quòd anno* 370 *noua Romæ ſeditio fuit, hac de cauſa. Nam ante quinquennium cum Galli Capitolium obſiderent, nocte ſublustri tanto ſilentio in ſummum euaſere, ut non cuſtodes ſolum fallerent, ſed ne canes quidem, ſollicitum animal ad nocturnos ſtrepitus, excitarent. Anſeres nō fefellere, quorum ſtrepitu excitus M. Manlius, ſtrenuè eos deturbauit, cui pro præmio uniuerſi ſe libras farris & quartarios uini contulerunt, rem dictu paruam, ſed in tanta omnium*

omnium rerum inopia ingens charitatis argumentum. Hic inuidia in Camillum motus, cum apud Senatum nihil aduerſus Camillum poſſet, plebeijs adhæſit, alliciens malis artibus ciues, largiendo, promittendo, æs alienum ſoluendo, ut de affectatione regni iam ſuſpectus in carcerem conijceretur. è quo dimiſſus, ſpe emendationis, cum peior fieret, dies ei dicta ad populum eſt. ibi damnatus, de ſaxo Tarpeio deiectus eſt, an. V.C. 371. ſed mox magnum eius deſiderium ortum, cum nullum ab eo periculum eſſet. Prænestinos.) *ciuitatem in Latio.* Portas.) *Collinam portam, inquit Liuius.* Ad flu. Aliam.) *ubi prius Romani à Gallis fuerant uicti.* Et ciuitates.) *octo oppida Prænestinorum, & Velitras coloniam.* Ipſam Prænestinorum.) *belli caput, inquit Liuius.*

Verùm dignitas Tribunorum.)

Anno 379 ab V.C. incidit acris inter Tribunos pl. ac Senatum contentio ex leui admodum cauſa. M. Fabius Ambuſtus duas Fabias filias habuit. Maiorem Seruio Sulpitio patricio de ſuo genere locauit, qui tunc Tribunus mil. Coſ. poteſtate erat. Minorem C. Licinio Stoloni, illuſtri quidem uiro, tamen plebeio. Fortè ita incidit, ut minor Fabia apud maiorem in Sulpitij domo eſſet: & lictor Sulpitij, cum is de foro ſe domum reciperet, forem, ut mos eſt, uirga percuteret: minor, ut eius rei inſueta, expaueſceret, à Maiore Fabia irriſa eſt. at minor ad patrem Fabium cum triſtis ueniſſet, ac pater cauſam triſtitiæ tandem expiſcatus eſſet, conſolatus eam bono animo eſſet iubet, eoſdem propediem domi uiſuram honores. Inde inito cum genero ac L. Sextio conſilio, nouandarum

darum rerum occaſionem quærebant. Tandem *æs alienum, quo mirè plebs oppreſſa erat, uiſum eſt huic rei opportunum. Nam plebs ſpe leuandi fœnoris, quiduis factura uidebatur.* Itaq; C. Licinium ac L. Sextium *Tribunos pleb. crearunt, qui leges tres promulgarunt, omnes aduerſus opes patriciorum, et pro commodis plebis: unam, de ære alieno minuendo: alteram, de modo agrorum: tertiam, ut* Coſſ. *utiq; alter ex plebe fieret.* Cuncta *ingentia, & quæ ſine certamine maximo obtineri non poßent. atq; ita contentio exarſit, ut in quinquennium* Reſpub. *curulibus caruerit magiſtratibus.* Durauit *autem in decimum annũ uſq;, donec uictores* Tribuni pl. *peruicere, ut alter* Coſſ. *utiq; ex plebe ſumeretur.* Creatus *primus ex plebe* Cos. L. Sextius, *anno, ut dictum eſt, 389. Et durauit hic modus ad* Iuliũ *uſq;* Cæſarẽ. Non diu perd.) *Ab anno 311, uſq; ad 389: id eſt, per annos 78, promiſcui fuere tribuni &* Coſſ. Quadriennium.) *quinquennium, inquit* Liuius. Maiores.) *Curules, inquit* Liuius. Et triennio per ſe.) *quinquennio legendum.* Rurſus Coſſ. facti.) *perpetuò, nempe anno 389, uſq; ad* Iul. *Cæſarem.* L. Genutio.) *Anno 390. proximo anno poſt primum* Coſ. *ex plebe creatũ.*

Mortuus eſt Camillus.)

Camillus bis dictator fuit, propter tumultum Gallicum: *ſemel, cum urbs à Gallis eſſet capta: iterum, anno 388. Alioqui etiam ter, propter alias cauſas.* Honor ei ſecundus.) *ut pater patriæ, conditorq; alter nominaretur.*

T. Quintius Dictator.)

Anno 394 cœpit tumultus Gallicus, *quem ita nominabant*

nabant Romani, *quòd quando Gallos aduentare fama erat, quicquid arma ferre poterat, excitabatur in expeditionem.* His *aũt annis uehementer* Romani *à Gallis uexati ſunt, ita ut identidẽ* Dictatores *creare cogerentur.* Vt *hic* T. Quintius Pœnus, *cum Galli ad tertium lapidẽ Salaria uia trans pontem caſtra haberẽt, inquit* Liuius *in 7, obuiam iuit ingẽti exercitu. Ibi in uacuum pontem progreſſus* Gallus, *prouocauit* Romanũ *aliquem in ſingulare certamen. ibi permiſſu imperatoris* T. Manlius, L. *filius. progreſſus in medium,* Gallum *uicit: & à torque quem Gallo uicto detraxit,* Torquatus *dictus eſt.* Quarto mill.) *tertio, Liuius.* E' ſenatoribus.) *tribunis militum.*

T. Manlius.)

T. *Manlius,* L. *filius, ob ingenij & linguæ tarditatem à patre rus relegatus, cum audiſſet patri diem dictũ à* Pomponio *Tribuno pleb. nocte urbem petijt, ſecretum colloquium à Tribuno impetrauit: & gladio ſtricto, dimittere eum accuſationem terrore multo compulit.* Plin. *de* V. *illuſtr.*

E' ſenatoribus T. Man.)

Liuius lib. 7. non longè ab initio, quinquies uocat iuuenem, & ſemel adoleſcentem: eo anno tamen ait Tribunum mil. ad legiones factum, & ſecundum in ſex locis tenuiſſe, nullis domi militiæq; ad conciliandam gratiam meritis: ut qui rure, & procul cœtu hominum iuuentam egiſſet. ergo hic non fuit Senator. Valerius *etiam lib. 5. cap. 4. bis iuuenem, ſemel adoleſcentem nominat.* Prouocantem Gallum.) *Hic de nullo interprete facit mentionẽ Liuius, ſed paulo pòſt de Coruino.*

Mox per C.Sulpitium.) *Hic dictator quintus eſt, qui creatus eſt propter Gallicum tumultum. Camillus enim bis,* T. Quintius Pænus *an.* 394. Q. Seruilius Hala *an.*395. *& nũc* C. Sulpitius. *Cæterùm magna fuit huic cum Gallis pugna, qui & eis aurum eripuit, inquit* Liuius *lib.*7. *Et hic fuit annus* V.C.397. Non multo pòſt.) *An.* 399. A' C. Martio.) *dictatore nouo, quia primo ex lege.*]

V II millia captiuorum.)

In altero Eutropij *codice leguntur nouem millia, in* Liuij *autem codice mirè uariatur idem numerus.* Badij *codex habet* IIII *millia: alij* VIII *millia, ut* Frob. *&* Ald. Cenſus iterum.) *An.* 406. *Nihil uerò eſt in* Liuio *de cenſu, ſed de delectu habito.* Et cum Latini.) *Cum* Tyburtinis *ac* Praeneſtinis *bellatum eſt ante ſexennium, ſed non cum alijs* Latinis.

Milites præſtare nollent.)

Romani *abutebantur* Latinorum *opera. emolumentum enim ad* Romanos *ibat, labor ad* Latinos: *quod* Latini *amplius pati nolebant. & petentibus* Romanis *milites reſponderunt, abſiſterent imperare ijs, quorum auxilio egerent:* Latinos *pro ſua libertate potius, quàm pro alieno imperio laturos arma.* Ex Romanis tantum.) *Errat hic* Eutropius. *Vndiq; enim, & non ex urbana tantum, ſed etiam agreſti iuuentute,* X *legiones ſcriptæ ſunt.*

Qui modus XL uel amplius armatorum.)

Liuius *lib.*7. *Decem legiones ſcriptæ dicuntur, quaternûm milium & ducentûm peditum, equitumq; trecenorum*

norum. Ex his Liuij *uerbis ſatis euidenter conuincitur legendum eſſe quadraginta uel amplius armatorũ millia, non ſexaginta. Scriptorem ſeſellerunt numeri duo uicini* XL *&* LX. *Quod etiam in* Præſatione *quartæ* Decados *apud* Liuium *accidit, ut annotationibus noſtris indicauimus.* Vel amplius.) *quia* 2000 *amplius.* Paruis rebus.) *exiguis facultatibus.* Tanta tamen.) *erant enim omnes ad occidionem nati.* Profectæ eſſent.) VIII *cum eo, ſed duæ domi manſere.* Dice L.) *Furio Camillo. Pro Furio in altero exemplari erat Fuſco. Sed ex* Liuio *omnia ſatis clara ſunt.* Prouocauit.) *per interpretem, hoc loco inquit* Liuius, *ſed in* T. Manlio *nulla ſit interpretis mentio.*

M. Valerius.)

Anno ab V.C. 412 *cœpit bellum* Samniticum, *acerrimum & cruentiſſimum, quod ultra* 70 *annos durauit. id extrinſecus uenit, nõ inter ipſos ortum. Duæ* Campaniæ *urbes inter ſe ac* Samnitibus *uicinæ erant,* Sidicinũ *ac* Capua. Sidicinis *iniuſta arma, quòd plus poterãt, intulerant.* Samnites *itaq; ad* Campanos *confugerant.* Campani *magnum nomen, cæterùm in re admodum nihil, cum* Sidicinis *opem ferrent, bis pugna uicti, coacti ſunt* Romanorum *implorare auxilium. Sed cum* Romani *nollent auxilium ferre, quòd* Samnites *in fœdere cum* Romanis *eſſent, deditio facta eſt omnium rerum ad* Romanos. *Ibi* Romani *coacti ſunt dedititios ſuos defendere. Coſſ. erant* M. Valerius Coruinus, *ac* Aur. Cornelius Coſſus. *Prior* Valerius *ingenti pugna in ipſo* Samnio *ad* Gaurum *montem ipſos deuicit.* Cornelius *uerò cum ad* Satriculam *exercitum in ſaltum ab hoſtibus infenſum*

incautè duxiſſet, mira uirtute P. Decij Muris Tribuni *mil.ſeruatus eſt, qui author conſuli fuit inuadendi hoſtis ſecunda pugna, qua cæſa ſunt* 30000 *Samnitum. Tertia pugna ad Sueſſulam, rurſus à* Valerio *facta ingens, non minori hoſtium numero cæſo.* Harum rerum *fama commoti* Carthaginenſes, *auream coronam donum* Ioui Capitolino *miſerunt: fuit ea pondo* X X V. *Porrò milites in præſidium Campanis miſſi, conſilium adimendæ Capuæ inierunt, ac magnam ſeditionem mouerunt. Sed ea per* C. Martium ac M. Valerium *ſopita eſt.* Supra dext. brachium.) *in galea, inquit* Liuius. Alis.) *roſtro.* Verberauit.) *appetit,* Liuius. Ita à Trib.) *Al. ita ut, &c. dederit. Sed non placet.* Cos. eſt factus.) *à* T. *Manlio dictatore, æmulus decoris illius.*

Latini, qui noluerunt milites dare.)

Biennio *poſt tres inſignes clades,* Samnites *pacem à* Romanis *impetrarunt. Ipſi, ut antea, in* Sidicinos *mouerunt arma.* Sidicini *cum à* Romanis *non ſuſciperentur, ad* Latinos *properant, ac eis ſe dediderunt.* Latini *contra* Samnites *mouerunt arma.* Romani *fœderatos* Samnites *uix auſi defendere,* Latinos *tum ad ſe uocarunt. uerùm audax reſpõſum ab eis accepere:* Si eos *ſocios habere uelint, alterum* Coſ. *ex* Latio, *item dimidium Senatus ex* Latinis *habeant, urbs* Roma *tamen caput maneret.* Erat tunc Coſ. T. *Manlius Torquatus, cum* P. Decio Mure: *qui adeò non continuit iram, ut ſi* P. C. *ab* Setino *homine leges acciperent, quemcunq; Latinum in* Senatu *uidiſſet, ſe ſua manu interempturum minatus ſit.* Coſ. *exercitus ad* Veſerim *amnem ducunt, ibiq; pugna-*

tum

tum ſummis uiribus. Ibi P. Decius pro legionibus Romanis ſe deuouit. T. Manlius, cæſo etiam filio, quòd contra conſulare iuſſum extra ordinem pugnaſſet, ita Romanam aciem direxit, ut ingenti pugna Latinos uinceret. Biennio pòſt, totum Latium domitum eſt: et pro merito cuiuſq; uel ſtatutum præmium, uel pœna inflicta. Ingenti pugna.) *ad Veſerim fl. Cic. 3. Offic. Liu. lib. 8. ab V. C. Pugnatum eſt haud procul radicibus Veſuuij montis, qua uia ad Veſerim ferebat.* Perdomitis.) *biennio poſtea.* Statuæ.) *Mirum eſt, huius rei nullam fieri mentionem apud Liu. Factum id an. 415.* Eo anno.) *An. 416. In al. exemplari hæc omittuntur.*

Etiam Alexandria.)

Diodorus, anno V. Alexandri refert Alexandriam cõditam: & Curtius lib. 5. ſi rectè legeris eius librorũ diuiſionem, quæ uulgatis exemplaribus corrupta eſt. Alexandria.) *Ægypti urbs.* Iam Romani.) *Quaſi hic cæpiſſet primum bellum Samniticũ, hæc refert.* In centeſimo.) *itinere 32 horarum & ½.*

Picenum, Campaniam.)

Picenum regio ad Anconem eſt, inquit Strabo lib. 5. Picentini, autem ſiue Picentes, ad Silarim flu. pertinent, qui ab hoc agro ueterem ſeparat Campaniam. Author hic accipit Picenum, pro Picentibus.

L. Papyrius Curſor.)

Vide hanc hiſtoriam copioſè deſcriptam apud Liuium, lib. 8. ab V. C. In Samnio L. Papyrius Dictator à pullario monitus, ut auſpicia Romæ repeteret, Q. Fabio magiſtro equitum denunciauit, ut ſeſe loco teneret, nec abſente ſe cum hoſte manum cõſereret. At Fabius cum

per

Aquam Claudiam.)

Appij Claudij cenſura, nobilis inſita pertinacia eius familiæ (ſolus enim cenſuram geßit) inuidioſam Senatus lectionem fecit. Eodem authore, *Poticia gens, cuius ad aram maximam* Herculis *familiare ſacerdotium fuerat, ſeruos publicos, miniſterij delegandi cauſa, ſolennia eius ſacra docuerat.* Vnde tota Poticiorũ gens XII *familiæ, intra annum extincta cum ſtirpe: & Appius* Cæcus, *memori Deûm ira, inquit* Liuius. *Hæc hactenus ex lib. 9.* Liuij. Ex 10. *nullum uerbum huc poſuit* Eutropius. *proinde quæ ſequuntur, ſecunda* Liuij *Decade ſunt tractata.*

Samnites reparato bello.)

Hæc facta ſunt decimooctauo poſt Appij cenſuram: interea autem tria memorabilia bella fuere, Hetruſcũ, Samniticum, & Gallicũ. *in quorum ultimo filius* Decius *deuouit ſe pro Romanis legionibus, non minus ſtultus quàm pater.* Q. Fabium Max.) *Gurgitem, Rutiliani filium, An. 461.* Pater eius.) *Rutilianus. Al. ei.*

Poſtea cum pater.)

Meminit huius hiſtoriæ Valerius Maximus, *lib. 5. cap. 7, de parentum amore ac indulgentia.* Legatus datus.) *Florus ait, Senatum cogitaſſe de remouendo à filio exercitu, ac patrem ſe obtuliſſe legatum iturum: atque ita tum confirmatum eſſe, & uiciſſe.* Samnites uicit.) *capto eorum Imperatore, quem & ſecuri percußit.* Deinde.) *An. 463.*

P. Cornelius Rufinus.)

De hoc Cornelio Rufino uide Valerium lib. 2. ca. 4.

de

de Cenſoria nota: & de Curio lib. 4. cap. 3. apud eundem.

Tum bellum cum Samnitibus per annos.)

Hæc malè miſcet hic author. Liuius enim lib. 10. ab V. C. *hæc uerba habet Anno 458: cum bellum Samniticum cœpiſſet 412. Sed quæ de Fabijs patre ac filijs iam narrata ſunt, triennio poſt facta ſunt, ut ex numeris patet. Rebellarũt enim rurſus Samnites, ac ſæpius fœderibus ictis ſtatim reciderunt, uſq; ad primum bellum Punicum, annis circiter 78. Tamdiu reſtiterunt.* Magis fatigauerit.) *quàm Samnites.*

Iterum ſe Gallorum copiæ.)

Non ſemel Gallorum acies contra Romanos erant, ſed ſæpiuſculè, uſq; ad initium ſecundi belli Punici: ſed ne tum quidem quieti, ut patet ex primo lib. 3. Decados: & maximè tertio libro, quando Boij Coſ. Poſthumium occiderunt, annò 539. A` P. Cornelio.) *Al. à Cn. Cornelio.* Deletæ ſunt.) *An. 470, apud Vadimanis lacum, inquit in ſua Epitome Florus. Is uerò lacus in Tuſcia eſt, in agro Viterbienſi.* Eodem tempore.) *An. 471.* Tarentinis.) *in extremo Italiæ angulo, Lacedæmoniorum opus, aptiſſimo portu.* Iniuriam feciſſent.) *pro obſcœnam, turpemq; dictu contumeliam, inquit Florus.*

Legatis Romanorum iniuriam feciſſent.)

E` theatro enim, quod mari imminet, uiderãt Romanas naues: atq; hoſtẽrati, eas diripiunt, duce eorum occiſo. Romanos inde legatos de iniuria conqueſtos pulſarunt,

oppida condiderunt,paulo pòſt etiam Thuſcos ultra Padum habitantes pepulere. Qui Thuſci duce Rhœto *neceſsitate coacti, Alpium iuga ſumma occuparunt, à quo duce* Rhœtiæ *nomẽ deſcendit. Alter fœtus* Celtarum *in* Hercinios *ſaltus uenit:* Tectoſages, *ut Cæſar lib.6. ait. unde hodie nomẽ comitatui à* Teck *in ducatu* Vuirtenbergenſi. *Cæterùm* Galli, *qui regionem inter* Padum *ac* Alpes *occuparunt, in tantum creuerunt, ut omnibus gentibus, maximè uerò* Romanis, *horrori fuerint. ſubinde enim à tranſalpina* Gallia *noua plebs ſubmittebatur. ijdem ergo, noua aduentante manu* Senonum, Romam *inuaſerunt, ac combuſſerunt. ſequentibus inde ſeculis ſæpius cum* Romanis *conflixerunt. de quibus* Polybius *lib. 2. ait, apud* Romanos *nihil tetrius, nihil horribilius fuiſſe: quibus cum bellantes, ſæpius ita exercuerunt ſeſe, ut contra omneis alios populos inſurgere auſi fuerint.*
Flu. Alliam.) *Quod è* Cruſtuminis *montibus* Tybrin *influit.* Defendi.) *ab incendio.* Capitolium.) *arx urbis.* Diu obſediſſent.) *menſes aliquot. Nam* Seru. *in 8.* Æneid. *octo menſes,* Florus *lib. 5. ſex,* Plutarch. *in* Camillo *ſeptem menſes duraſſe hanc obſidionem, ſcribunt.* Superuentum eſt.) *Galli inuaſi ſunt à* Camillo, *non* Romæ, *ſed* Ardeæ: *meminit* Liu. Sec. eos Camillus.) *iam dictator factus.* Vt & aurũ.) *mille pondo ſiue libras auri.* Datum fuerat.) *pro redemptione.* Signa.) *Vnde* Vergil. *lib.6.* Æneid. *Et referentem ſigna Camillum.* Tertiò triumphans.) *Quia primò de* Veijs, *iterum de* Faliſcis, *ac tertiò de* Gallis. *De* Faliſcis *tamen dubito, & obſcurè innuit* Liuius.
Appellatus.) *à militibus, pater patriæ, conditorq́; alter urbis dictus.*

Vt

Vt aurum quod his datum fuerat.)

Certum eſt, Gallos per dolum cæſos, ac in auri penſione deceptos, ac perfidè omnia Romanos *egiſſe.* Proximo *hercle anno poſt* Veios *captos, non erat tantum auri in publico, ut octo talenta expedirentur.* Hic uerò, *ſi dijs placet,* Capitolio *incluſi mille pondo auri expediunt tam citò.* Iuſtinus *lib. 43 ait,* Maſſilienſes *contribuiſſe ad hoc pondus, ut expediretur* Gallis. Liuius, *nihil ea de re, ſed ereptum* Gallis *ait:* Suetonius *in* Tyberio, Druſum *quendam multis ætatibus poſtea ex* Gallia Romam *hoc aurum retuliſſe ſcribit.* Adeò *nihil certi eſt in* Romana *hiſtoria. Et hic author planè uacillat. primùm enim ait* Gallos *obſediſſe* Capitolium: *deinde à* Camillo Gallis *ſuperuentum, grauiſſimeq́; uictos.* Poſtea *tamen, accepto etiam auro, ne* Capitolium *obſiderent, receſſiſſe, ac demum à* Camillo *occidione occiſos. Sed non eſt neceſſe omnia hæc perſequi, quæ aliquo modo excuſari poſſunt.*

IN EVTROPII LIBRVM II. H. Glareani Annotationes.

Anno CCCLXV.)

Tribuni militares Coſ. poteſtate ideo facti erant, (ut dictum eſt) quia plebs alterum Coſ. ex plebe habere uoluit. id ne fieret, patricij paſſi ſunt promiſcuè creari Tribunos milit. Coſ. poteſtate. Qui *tamen rarò ex plebeijs fiebant.* Tandē *feſſi plebeij, rurſus redierunt ad rogationem illam, ut alter Coſſ. ex plebe fieret. quæ contentio durauit ad 389 annum, quando pri*

mum Coſ. ex plebe creatus eſt L. Sextius. *Cæterum hic in annis uehementer erratur: creati enim ſunt primi Tribuni anno* 311, *ut dictum eſt. at ſecundi, anno ab* V. C. 317. *tertij* 322, *et deinde alternis annis iam Coſſ. iam Tribuni mil. Coſ. poteſtate, ſæpius tamẽ Tribuni quàm Coſſ. uſq; ad annum ab* V. C. 389. *quando primus Coſ.* L. Sextius (*ut diximus*) *ex plebe creatus eſt.* Anno 365.) *imò* 366 *ab* V. C. Vide *Liu. lib.* 6. *non longè ab initio.* Dignitates mutatæ.) *Id* 49 *annis antea factum eſt.*

Camillus eo anno Volſcorum ciuitatem.)

Primum bellum Volſcis motum fuit ſub Tarquinio Superbo, in ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos, ut ipſe Liuius ait in 1. *Poſtea urbe li. anno* XV. *At ab* V. C. 259 *rurſus illis bellum motum, ubi plures* C *ſunt anni in utroq; numero. Ex ipſo igitur Liuio error huius numeri conuincitur. Eutropius ſequitur Liuium, etiam in erroribus.* Aequorum.) *in Latio.* Sutrinorum.) *in Hetruria.* T. etiam Quintius.) *Decem annis poſt priora. Bellum hoc magnificè deſcribit Liuius lib.* 6. *ab* V. C. *Notandum autem, quòd anno* 370 *noua Romæ ſeditio fuit, hac de cauſa. Nam ante quinquennium cum Galli Capitolium obſiderent, nocte ſubluſtri tanto ſilentio in ſummum euaſere, ut non cuſtodes ſolum fallerent, ſed ne canes quidem, ſollicitum animal ad nocturnos ſtrepitus, excitarent. Anſeres nõ fefellere, quorum ſtrepitu excitus M. Manlius, ſtrenuè eos deturbauit, cui pro præmio uniuerſi ſe libras farris & quartarios uini contulerunt, rem dictu paruam, ſed in tanta*

omnium

omnium rerum inopia ingens charitatis argumentum. Hic inuidia in Camillum motus, cum apud Senatum nihil aduerſus Camillum poſſet, plebeijs adhæſit, alliciens malis artibus ciues, largiendo, promittendo, æs alienum ſoluendo, ut de affectatione regni iam ſuſpectus in carcerem conijceretur. è quo dimiſſus, ſpe emendationis, cum peior fieret, dies ei dicta ad populum eſt. ibi damnatus, de ſaxo Tarpeio deiectus eſt, an. V.C. 371. ſed mox magnum eius deſiderium ortum, cum nullum ab eo periculum eſſet. Præneſtinos.) *ciuitatem in Latio.* Portas.) *Collinam portam, inquit Liuius.* Ad flu. Alliam.) *ubi prius Romani à Gallis fuerant uicti.* Et ciuitates.) *octo oppida Prænestinorum, & Velitras coloniam.* Ipſam Præneſtinorum.) *belli caput, inquit Liuius.*

Verùm dignitas Tribunorum.)

Anno 379 ab V.C. incidit acris inter Tribunos pl. ac Senatum contentio ex leui admodum cauſa. M. Fabius Ambuſtus duas Fabias filias habuit. Maiorem Seruio Sulpitio patricio de ſuo genere locauit, qui tunc Tribunus mil. Coſ. poteſtate erat. Minorem C. Licinio Stoloni, illuſtri quidem uiro, tamen plebeio. Fortè ita incidit, ut minor Fabia apud maiorem in Sulpitij domo eſſet: & lictor Sulpitij, cum is de foro ſe domum reciperet, forem, ut mos eſt, uirga percuteret: minor, ut eius rei inſueta, expaueſceret, à Maiore Fabia irriſa eſt. at minor ad patrem Fabium cum triſtis ueniſſet, ac pater cauſam triſtitiæ tandem expiſcatus eſſet, conſolatus eam bono animo eſſe iubet, eoſdem propediem domi uiſuram honores. Inde inito cum genero ac L. Sextio conſilio, nouandarum

darum rerum occaſionem quærebant. Tandem *æs alienum, quo mirè plebs oppreſſa erat, uiſum eſt huic rei opportunum. Nam plebs ſpe leuandi fœnoris, quiduis factura uidebatur.* Itaq; C. Licinium ac L. Sextium Tribunos *pleb. crearunt, qui leges tres promulgarunt, omnes aduerſus opes patriciorum, et pro commodis plebis: unam, de ære alieno minuendo: alteram, de modo agrorum: tertiam, ut Coſſ. utiq; alter ex plebe fieret. Cuncta ingentia, & quæ ſine certamine maximo obtineri non poſſent. atq; ita contentio exarſit, ut in quinquennium Reſpub. curulibus caruerit magiſtratibus.* Durauit *autem in decimum annũ uſq;, donec uictores* Tribuni *pl. peruicere, ut alter Coſſ. utiq; ex plebe ſumeretur. Creatus primus ex plebe* Cos. L. Sextius, *anno, ut dictum eſt,* 389. *Et durauit hic modus ad* Iuliũ *uſq; Cæſarẽ.* Non diu perd.) *Ab anno* 311, *uſq; ad* 389: *id eſt, per annos* 78, *promiſcui fuere tribuni & Coſſ.* Quadriennium.) *quinquennium, inquit* Liuius. Maiores.) *Curules, inquit* Liuius. Et triennio per ſe.) *quinquennio legendum.* Rurſus Coſſ. facti.) *perpetuò, nempe anno* 389, *uſq; ad* Iul. *Cæſarem.* L. Genutio.) *Anno* 390. *proximo anno poſt primum Coſ. ex plebe creatũ.*

Mortuus eſt Camillus.)

Camillus bis dictator fuit, propter tumultum Gallicum: ſemel, cum urbs à Gallis eſſet capta: iterum, anno 388. *Alioqui etiam ter, propter alias cauſas.* Honor ei ſecundus.) *ut pater patriæ, conditorq; alter nominaretur.*

T. Quintius Dictator.)

Anno 394 *cœpit tumultus Gallicus, quem ita nominabant*

nabant Romani, *quòd quando Gallos aduentare fama erat, quicquid arma ferre poterat, excitabatur in expeditionem.* His *aūt annis uehementer* Romani *à Gallis uexati ſunt, ita ut identidē* Dictatores *creare cogerentur.* Vt *hic* T. *Quintius* Pœnus, *cum Galli ad tertium lapidē Salaria uia trans pontem caſtra haberēt, inquit* Liuius *in 7, obuiam iuit ingēti exercitu. Ibi in uacuum pontem progreſſus* Gallus, *prouocauit* Romanū *aliquem in ſingulare certamen. ibi permiſſu imperatoris* T. Manlius, L. *filius. progreſſus in medium,* Gallum *uicit: & à torque quem Gallo uicto detraxit,* Torquatus *dictus eſt.* Quarto mill.) *tertio, Liuius.* E'ſenatoribus.) *tribunis militum.*

T. Manlius.)

T. Manlius, L. *filius, ob ingenij & linguæ tarditatem à patre rus relegatus, cum audiſſet patri diem dictū à* Pomponio Tribuno *pleb. nocte urbem petijt, ſecretum colloquium à* Tribuno *impetrauit: & gladio ſtricto, dimittere eum accuſationem terrore multo compulit.* Plin. *de* V. *illuſtr.*

E'ſenatoribus T. Man.)

Liuius lib. 7. non longè ab initio, quinquies uocat iuuenem, & ſemel adoleſcentem: eo anno tamen ait Tri*bunum mil. ad legiones factum, & ſecundum in ſex locis tenuiſſe, nullis domi militiæq́; ad conciliandam gratiam meritis: ut qui rure, & procul cœtu hominum iuuentam egiſſet. ergo hic non fuit* Senator. Valerius *etiam lib. 5. cap. 4. bis iuuenem, ſemel adoleſcentem nominat.* Prouocantem Gallum.) *Hic de nullo interprete facit mentionē Liuius, ſed paulo pòſt de* Coruino.

Mox per C.Sulpitium.) *Hic dictator quintus eſt, qui creatus eſt propter Gallicum tumultum. Camillus enim bis, T. Quintius Pœnus an.* 394. *Q. Seruilius Hala an.* 395. *& nũc C. Sulpitius. Cæterùm magna fuit huic cum Gallis pugna, qui & eis aurum eripuit, inquit Liuius lib.* 7. *Et hic fuit annus V.C.* 397. Non multo pôſt.) *An.* 399. A' C. Martio.) *dictatore nouo, quia primo ex lege.*]

V II millia captiuorum.)

In altero Eutropij codice leguntur nouem millia, in Liuij autem codice mirè uariatur idem numerus. Badij codex habet IIII *millia: alij* VIII *millia, ut Frob. & Ald.* Cenſus iterum.) *An.* 406. *Nihil uerò eſt in Liuio de cenſu, ſed de delectu habito.* Et cum Latini.) *Cum Tyburtinis ac Præneſtinis bellatum eſt ante ſexennium, ſed non cum alijs Latinis.*

Milites præſtare nollent.)

Romani abutebantur Latinorum opera. emolumentum enim ad Romanos ibat, labor ad Latinos: quod Latini amplius pati nolebant. & petentibus Romanis milites reſponderunt, abſiſterent imperare ijs, quorum auxilio egerent: Latinos pro ſua libertate potius, quàm pro alieno imperio laturos arma. Ex Romanis tantum.) *Errat hic Eutropius. Vndiq; enim, & non ex urbana tantum, ſed etiam agreſti iuuentute,* X *legiones ſcriptæ ſunt.*

Qui modus XL uel amplius armatorum.)

Liuius lib. 7. *Decem legiones ſcriptæ dicuntur, quaternûm milium & ducentûm peditum, equitumq; trecenorum*

norum.Ex his Liuij uerbis ſatis euidenter conuincitur legendum eſſe quadraginta uel amplius armatorũ milia, non ſexaginta. Scriptorem feſellerunt numeri duo uicini XL & LX. Quod etiam in Præfatione quartæ Decados apud Liuium accidit, ut annotationibus noſtris indicauimus. Vel amplius.) *quia 2000 amplius.* Paruis rebus.) *exiguis facultatibus.* Tanta tamen.) *erant enim omnes ad occidionem nati.* Profectæ eſſent.) *VIII cum eo, ſed duæ domi manſere.* Duce L.) *Furio Camillo. Pro Furio in altero exemplari erat Fuſco. Sed ex Liuio omnia ſatis clara ſunt.* Prouocauit.) *per interpretem, hoc loco inquit Liuius, ſed in T. Manlio nulla ſit interpretis mentio.*

M. Valerius.)

Anno ab V.C. 412 cœpit bellum Samniticum, acerrimum & cruentiſsimum, quod ultra 70 annos durauit. id extrinſecus uenit, nõ inter ipſos ortum. Duæ Campaniæ urbes inter ſe ac Samnitibus uicinæ erant, Sidicinũ ac Capua. Sidicinis iniuſta arma, quòd plus poterãt, intulerant. Samnites itaq; ad Campanos confugerant. Campani magnum nomen, cæterùm in re admodum nihil, cum Sidicinis opem ferrent, bis pugna uicti, coacti ſunt Romanorum implorare auxilium. Sed cum Romani nollent auxilium ferre, quòd Samnites in fœdere cum Romanis eſſent, deditio facta eſt omnium rerum ad Romanos. Ibi Romani coacti ſunt dedititios ſuos defendere. Coſſ. erant M. Valerius Coruinus, ac Aur. Cornelius Coſſus. Prior Valerius ingenti pugna in ipſo Samnio ad Gaurum montem ipſos deuicit. Cornelius uerò cum ad Satriculam exercitum in ſaltum ab hoſtibus inſenſum

incautè

incautè duxiſſet, mira uirtute P. *Decij Muris* Tribuni *mil.ſeruatus eſt, qui author conſuli fuit inuadendi hoſteis ſecunda pugna, qua cæſa ſunt* 30000 *Samnitum. Tertia pugna ad Sueſſulam, rurſus à Valerio facta ingens, non minori hoſtium numero cæſo. Harum rerum fama commoti Carthaginenſes, auream coronam donum Ioui Capitolino miſerunt: fuit ea pondo* X X V. *Porrò milites in præſidium Campanis miſsi, conſilium adimendæ Capuæ inierunt, ac magnam ſeditionem mouerunt. Sed ea per* C. *Martium ac* M. *Valerium ſopita eſt.* Supra dext. brachium.) *in galea, inquit Liuius.* Alis.) *roſtro.* Verberauit.) *appetit, Liuius.* Ita à Trib.) *Al. ita ut, &c. dederit. Sed non placet.* Cos. eſt factus.) *à T. Manlio dictatore, æmulus decoris illius.*

Latini, qui noluerunt milites dare.)

Biennio poſt tres inſignes clades, Samnites pacem à Romanis impetrarunt. Ipſi, ut antea, in Sidicinos mouerunt arma. Sidicini cum à Romanis non ſuſciperentur, ad Latinos properant, ac eis ſe dediderunt. Latini contra Samnites mouerunt arma. Romani fœderatos Samnites uix auſi defendere, Latinos tum ad ſe uocarunt. uerùm audax reſpōſum ab eis accepere: Si eos ſocios habere uelint, alterum Coſſ. ex Latio, item dimidium Senatus ex Latinis habeant, urbs Roma tamen caput maneret. Erat tunc Coſ. T. Manlius Torquatus, cum P. Decio Mure: qui adeò non continuit iram, ut ſi P.C. ab Setino homine leges acciperent, quemcunq; Latinum in Senatu uidiſſet, ſe ſua manu interempturum minatus ſit. Coſſ. exercitus ad Veſerim amnem ducunt, ibiq; pugna-

tum

tum ſummis uiribus.Ibi P.Decius pro legionibus Romanis ſe deuouit: T.Manlius,cæſo etiam filio,quòd contra conſulare iuſſum extra ordinem pugnaſſet, ita Romanam aciem direxit,ut ingenti pugna Latinos uinceret. Biennio pòſt,totum Latium domitum eſt:et pro merito cuiuſq; uel ſtatutum præmium,uel pœna inflicta. Ingenti pugna.) *ad Veſerim fl. Cic. 3. Offic. Liu. lib. 8. ab V. C. Pugnatum eſt haud procul radicibus Veſuuij montis, qua uia ad Veſerim ferebat.* Perdomitis.) *biennio poſtea.* Statuæ.) *Mirum eſt,huius rei nullam fieri mentionem apud Liu. Factum id an. 415.* Eo anno.) *An. 416. In al. exemplari hæc omittuntur.*

Etiam Alexandria.)

Diodorus,anno V. Alexandri refert Alexandriam cõditam: & Curtius lib. 5. ſi rectè legeris eius librorũ diuiſionem,quæ uulgatis exemplaribus corrupta eſt. Alexandria.) *Ægypti urbs.* Iam Romani.) *Quaſi hic cæpiſſet primum bellum Samniticũ,hæc refert.* In centeſimo.) *itinere 32 horarum & ½.*

Picenum,Campaniam.)

Picenum regio ad Anconem eſt,inquit Strabo lib. 5. Picentini,autem ſiue Picentes,ad Silarim flu. pertinent, qui ab hoc agro ueterem ſeparat Campaniam. Author hic accipit Picenum, pro Picentibus.

L. Papyrius Curſor.)

Vide hanc hiſtoriam copioſè deſcriptam apud Liuium, lib. 8. ab V.C. In Samnio L. Papyrius Dictator à pullario monitus, ut auſpicia Romæ repeteret, Q. Fabio magiſtro equitum denunciauit, ut ſeſe loco teneret, nec abſente ſe cum hoſte manum confereret. At Fabius cum

per

per exploratores poſt Dictatoris profectionem compe riſſet, perinde omnia ſoluta apud hoſtes eſſe, ac ſi nemo Romanus in Samnio eſſet, cum hoſtib. congreſſus XX millia cecidit, literasq; Romam ad Senatum miſit de uictoria. Quam ob rem Papyrius iratus, dimiſſo Senatu, ad exercitum rediit: citatoq; magiſtro equitum, lictores expedire uirgas atq; ſecures iuſsit. ibi parum abfuit, quin res ad ſeditionem perueniſſet: nox certamen diremit, ea nocte Fabius ab exercitu Romam profectus eſt, ſecuto mox dictatore Papyrio. ibi cum uterq; concione aduocata diſſeruiſſet, & Papyrius iure uinceret, populus Romanus, unà cum Trib. pleb. Senatu, omniq; magiſtratu ad Dictatoris genua prouolutus, Papyrii irā placauit. ille ampliſsima pronunciatione Fabium populo donauit, unde magnam adeptus eſt laudem. Ad id bellum.) Samniticū. Hæc autem refert, quaſi Papyrius primus cum Samnitib. conflixerit: cum annis 18 antea primum hoc bellum ſit cœptum. Cum Romam rediiſſet.) ad repetenda auſpicia. Q. Fabio.) Qui poſtea & Maximus, primus ex Fabia familia dictus eſt, cum antea Fabius Rutilianus diceretur. Maximus.) nondum erat Maximus. Reliquit.) in Samnio.

Ille occaſione.)

Duæ cauſæ, quare Fabius pugnauerit, apud Liuium: ſeu ferox adoleſcens, indignitate accenſus, quòd omnia in Dictatore uiderentur repoſita eſſe: ſeu occaſione bene gerendæ rei inductus. Deleuit.) acie uicit, 20000 cæſis. Ingenti fauore.) imò deprecante patre, Tribuniſq; pleb. & uniuerſo populo. Seditione.) militum.

Vt

Vt penè ipſe interficeretur.)

Hoc non dicit Liuius:imò contrarium ait, Dictatoris edictum pro numine ſemper habitum. Ipſe.) *Dictator.*

Poſtea Samnites.)

Anno 433 Candina pax fuit facta, à Candinis ſurculis dicta, quæ ipſe à Candio opp. in Samnio nomen habent. Locus eſt à duobus ſaltibus, ac poſt ſaltus altiſsimis montibus ſeptus, ingreſſum in campum herbidū & aquoſum, ac egreſſus anguſtiſsimos habens. Romani Luceriam accelerantes, non exploratis itineribus, cum Samnites occultè ſaltus inſediſſent, eos ingreßi, Samnitium ſecuri, ut altera parte exire uellent locum concluſum, regreßi ad primum ingreſſum, etiam obſeptum inuenerunt. unde neceßitate coacti ſe dedidere, ſub iugum mißi inermes: fœdere ad Samnitium arbitrium facto, abire permißi. Populus Rom. quia iniuſſu ſuo factum fœdus fuit, irritum habuit. Coß. Tribuni plebis, Tribuni militum ac exercitus capita hoſtibus dediti: ſed non accepti, de nouo bellum cum Samnitibus ceptum. Duo noui Coß. Philo in Samnio, L. Papyrius in Apulia duabus magnis cladibus eos affecere. De Papyrij pugna refert hic author, omiſſo Philone: quia Papyrius de gente patricia, Philo de plebe fuit. Pax tamen.) *cum Samnitibus.* Soluta eſt.) *non eſt accepta.* Cum ipſis.) *legionibus.* Propter neceſsitatem.) *quia cōmeatus defuit.* Facta fuerat.) *iniuſſu populi.* Samnites uicti.) *ad Luceriam, Samnitium oppidum, an. 434. Liu. lib. 9.* Eo tempore.) *An. 443. nouem annis poſtea.*

Aquam

Aquam Claudiam.)

Appij Claudij cenſura, nobilis inſita pertinacia eius familiæ (ſolus enim cenſuram geßit) inuidioſam Senatus lectionem fecit. Eodem authore, Poticia gens, *cuius ad aram maximam* Herculis *familiare ſacerdotium fuerat, ſeruos publicos, miniſterij delegandi cauſa, ſolennia eius ſacra docuerat.* Vnde tota Poticiorũ gens XII *familiæ, intra annum extincta cum ſtirpe: & Appius* Cæcus, *memori* Deûm *ira, inquit* Liuius. *Hæc hactenus ex lib.* 9. *Liuij.* Ex 10. *nullum uerbum huc poſuit* Eutropius. *proinde quæ ſequuntur, ſecunda* Liuij *Decade ſunt tractata.*

Samnites reparato bello.)

Hæc facta ſunt decimooctauo poſt Appij *cenſuram: interea autem tria memorabilia bella fuere,* Hetruſcũ, Samniticum, & Gallicũ. *in quorum ultimo filius* Decius *deuouit ſe pro* Romanis *legionibus, non minus ſtultus quàm pater.* Q. Fabium Max.) *Gurgitem,* Rutiliani *filium,* An. 461. Pater eius.) *Rutilianus.* Al. ei.

Poſtea cum pater.)

Meminit huius hiſtoriæ Valerius Maximus, *lib.* 5. *cap.* 7, *de parentum amore ac indulgentia.* Legatus datus.) *Florus ait, Senatum cogitaſſe de remouendo à filio exercitu, ac patrem ſe obtuliſſe legatum iturum: atque ita tum confirmatum eſſe, & uiciſſe.* Samnites uicit.) *capto eorum Imperatore, quem & ſecuri percußit.* Deinde.) *An.* 463.

P. Cornelius Rufinus.)

De hoc Cornelio Rufino uide Valerium *lib.* 2. *ca.* 4.

de

de Cenſoria nota : & de Curio lib. 4. cap. 3. apud eundem.

Tum bellum cum Samnitibus per annos.)

Hæc malè miſcet hic author. Liuius *enim lib. 10. ab* V. C. *hæc uerba habet* Anno 458 : *cum bellum Samniticum cœpiſſet* 412. *Sed quæ de Fabijs patre ac filijs iam narrata ſunt, triennio poſt facta ſunt, ut ex numeris patet.* Rebellarũt *enim rurſus Samnites, ac ſæpius fœderibus ictis ſtatim reciderunt, uſq; ad primum bellum* Punicum, *annis circiter* 78. *Tamdiu reſtiterunt.* Magis fatigauerit.) *quàm Samnites.*

Iterum ſe Gallorum copiæ.)

Non *ſemel Gallorum acies contra* Romanos *erant, ſed ſæpiuſculè, uſq; ad initium ſecundi belli* Punici : *ſed ne tum quidem quieti, ut patet ex primo lib. 3.* Decados : & *maximè tertio libro, quando* Boij Coſ. Poſthumium *occiderunt, annò* 539. A' P. Cornelio.) Al. *à* Cn. Cornelio. Deletæ ſunt.) *An.* 470, *apud* Vadimanis *lacum, inquit in ſua* Epitome Florus. *Is uerò lacus in* Tuſcia *eſt, in agro* Viterbienſi. Eodem tempore.) *An.* 471. Tarentinis.) *in extremo* Italiæ *angulo,* Lacedæmoniorum *opus, aptiſſimo portu.* Iniuriam feciſſent.) *pro obſcœnam, turpemq; dictu contumeliam, inquit* Florus.

Legatis Romanorum iniuriam feciſſent.)

E' *theatro enim, quod mari imminet, uiderãt* Romanas *naues: atq; hoſtẽ rati, eas diripiunt, duce eorum occiſo.* Romanos *inde legatos de iniuria conqueſtos pulſarunt,*

runt, ob id bellum iis indictum: ſed mox Samnites atque Lucani ac Brutii ad Tarentinos defecerunt. Miſſus eſt.) *An.* 473.

Hi Pyrrhum.)

De Pyrrho Epirotarum rege, qui de genere Æacidarum ſe ferebat, multa Iuſtinus. De eius natiuitate lib. 17. Quomodo cũ Romanis primùm proſperè pugnauerit, li. 18. Deinde ut Siciliam amiſerit, ac Italia expulſus fuerit, lib. 23 idem refert. Deniq; in 25 libro, ut Macedonia potitus, amiſſo apud Spartã, filio, ipſe Argis ictu tegulæ aut ſaxi perierit, copioſè deſcripſit. Florus in ſua Epitome ita ait: Bellum Tarentinum, unum quidem titulo & nomine, ſed uictoria multiplex fuit. Hoc enim *Campanos, Appulos atq; Lucanos, & caput belli Tarentinos, idem totam Italiam, & cum iſtis omnibus Pyrrhum clariſſimum Græciæ regem una ueluti ruina pariter inuoluit.* Auxilio.) *Al. auxiliũ.* Cum tranſmarino hoſte.) *Græcis, Theſſalis, Epirotis, Macedonibus.*

Qui cum exploratores Pyrrhi cæpiſſet.)

Exemplum eſt nimis magnæ confidentiæ & iactantiæ, meritò punitæ. Fecêre tamen idem aliâs magni uiri. etiam Romani. Cum Romanis.) *apud Romanos. Al. quæcunq; à Rom.* Commiſſa mox pugna.) *ad Heracleam, circa Lyrim fl.*

Cum iam Pyrrhus fugeret.) *ab equitatu Ro. uictus. Florus in ſua Epitome lib. 1. ita ait: Apud Heracleã & Campaniæ flu. Lyrim, Leuino Coſ. prima pugna: quæ tam atrox fuit, ut Ferentanæ turmæ præfectus*

inuectus

inuectus in regem, turbauerit, coegeritq́; proiectis inſi gnibus prælio excedere. *Factum erat, niſi elephanti cõ uerſo in ſpectacula bello procurriſſent, quorũ tum magnitudine, tum deformitate, ac nouo colore ſimul ac odo re conſternati equi, cum incognitas ſibi beluas amplius quàm erant ſuſpicarentur, fugam ſtragemq́; latè dederunt. Iuſtinus libro 18, ait hac pugna Pyrrhum uulneratum.*

Quos cum aduerſo uulnere.)

Florus in ſua Epitome, de ijs uiris qui ab elephantis primo prælio oppreßi erant, ſic ait: Omnium uulnera in pectore, quidam hoſtibus immortui, omnium in manibus enſes, & relictæ in uultibus minæ, & in ipſa morte ira uiuebat. quod adeò Pyrrhus miratus eſt, ut diceret, O quàm facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis.

Mille octingentos.)

Iuſtinus libro 18. ait, C C fuiße à Pyrrho captos. Occiſos ſepeliuit.)*interemptos cremauit, inquit Florus.* Truci uultu.)*omnia corpora uerſa in hoſtem, inquit Florus in altera Epit.* Romam perrexerit.)*In Liuij Epit. Flor. Populabundusq́; ad urbem Romam peruenit.* Ad Præneſte.)*Latij oppidum.* Octauodecimo.)*uigeſimo lapide, inquit Flor.* Qui cum Conſule.)*De quo Conſule loquatur, incertum.*

Legati ad Pyrrhum de redimendis.)

C. Fabricius miſſus ad Pyrrhum, ut de redimendis captiuis ageret, fruſtra, ut patriam deſereret, à rege ten tatus eſt: inquit Florus in Liuij Epitome. De eodem hoc

Pyrrho magnificè Cicero lib. 1. Officiorum,ex Ennio his uerbis:

Nec mi aurum poſco,nec mi precium dederîtis,
Nec cauponantes bellum,ſed belligerantes,
Ferro non auro uitam cernamus utriq;,
Vóſne uelit,an me regnare Hera, quídue ferat ſors,
Virtute experiamur. & hóc ſimul accipe dictum:
Quorum uirtuti,belli Fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum eſt.
Dono ducite,doq; uolentibus cum magnis dijs.
Regalis ſanè, ac digna Æacidarum gente ſententia.

Vnum ex legatis Rom. Fabric.) C. *Luſcinium*.De *Fabricij paupertate multi meminere authores. Valer. lib. 4. cap.3. de Abſtinentia. Item Gellius lib. 1.cap.14.In eo tamen diuerſa Latinorum authorum eſt narratio.nam Valerius, Curio ad focum ſedenti ac ligneo catino cœnanti(addit Plinius iunior, rapas torrenti)Samnites obtuliße magnum auri pondus, ſcribit: ſed non recepiſſe.Gellius Fabricio Samnites detuliſſe grandem dono pecuniam ſcribit. Valer.exprimit ſummã planè ſuſpectam, X æris & V.pondo argẽti,totidemq; ſeruos.Gellius ait X ſeruos.* Sollicitare.)*ad ſe allicere.*

Qui pacem æquis conditionibus.)

Hanc pacem diſſuaſiſſe dicitur, Ap. Claudius Cæcus. Extant duo Ennij uerſus apud Ciceronem in Catone maiore,in prima cauſa,cur ſenectus miſera uideatur:

Quò uobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant,
Ante hac,dementi ſeſe flexêre ruinæ.

Multa alia de hoc Appio, eodem loco Cato. Diſplicuit.)*populo Rom.*

Infa-

Infames haberi.)

Hoc de his captiuis non temere apud alios reperias authores. Quòd armati.)*hoc eſt,quòd capi maluiſſent,quam ſtrenuè mori.Al.qui ſe armis defendere potuiſſent.* Sabinorum.) *Al.ſibi notorum.*

A` quo cum quæreret Pyrrhus.)

Cyneam Pyrrho reſpondiſſe, regum urbem ſibi uiſam,inquit Iuſtinus li.18. At Florus in ſua Epitome ait, legatos Pyrrho reſpondiſſe,urbem templum ſibi uiſum: Senatum, regum eſſe. P. Sulpitius.) *Auerrio.* Decius Mumius.)*Pyrrhicus pro Mumius legẽdum.An.* 474. Certamine.)*ſecunda cum Pyrrho pugna.*

Pyrrhus uulneratus eſt.)

Florus in ſua Epitome,ad Aſculum hanc pugnam factam ſcribit, Curio Fabricioq; Coſ. Cæterùm hi duo nunquam ſimul Coſ. fuère:ſed Pyrrhi bello Fabricius cum Æmilio,Curius cum Cornelio fuere Coſſ. Idem Florus in Liuij epitome lib.14.ait Pyrrhum à Curio poſtremò uictum,& Italia expulſum,quod de ultima pugna intelligitur. Elephanti.)*non dicit,quot.* Quinq; millia.)*numerus ſuſpectus.* Interiecto anno.) *An.* 475. Sollicitari.)*corrumpi.* Ad eum.)*Fabriciũ.*

Quem Fabricius uinctum reduci iuſsit.)

Florus in ſecunda Epitome ait, ad Curium ueniſſe medicum. At Gellius lib.3.cap.8.ad Fabricium ac Æmylium ueniſſe dicit Timocharem regis Pyrrhi amicũ, ex Valerio Antiate. At Quadrigarium ſcribere ait Gellius, Niciam fuiſſe familiarem: nihil de medico memorans. Eſt ibidem epiſtola Coſ. Romanorum ad regem

 ſcripta,

ſcripta, ut ſibi caueat. Ad dominum.) *herum ſuum Pyrrhum.* Caput.) *uitam.* Tum rex.) *Vide Iuſtinum lib. 23.* Samnitibus.) *qui ad Pyrrhum defecerant.* Coſſ. deinde.) *An. 478.*

Tum rex in Siciliam.)

Pyrrhus imploratus à Siculis in auxilium, cum multas ciuitates ſubegiſſet, rex Siciliæ, ſicut rex Epiri appellabatur. cum uerò ab eo Itali ſocij auxilium contra Romanos peterent, ignarus quid potiſſimum faceret: relinqueret Siciliam, timebat inſtantes Carthaginenſes: nõ ſuccurreret Italis, omnia Romanorum fore in Italia uerebatur. Decreuit itaq;, cum Carthaginenſibus decernere omnibus uiribus, & uictis hoſtibus in Italiam traijcere. Fœlix pugna effecit, ut in Italiam traduceret exercitum: uerùm fugere uiſus, alienauit omnes Siculos, ut Siciliam tam citò amiſerit, quàm facilè quæſierat. Nec in Italia fœliciore ſorte uſus, tertia inita cum Romanis pugna uictus, turpi fuga coactus eſt Italiam relinquere Romanis.

Exercitum eius cæcîdit.)

Quidam ad Beneuentum, ſed Florus ſub Aruſinis, quos uocant, campis, hanc pugnam factam ſcribunt.

Elephantos quatuor duxit.)

Plinius lib. 8. cap. 6. ait, Italiam primùm elephantos uidiſſe anno urbis 472. At Romam ſeptem annis pòſt, nempe triumpho M. Curij, qui Coſ. fuit anno 478. ſed proximo deinde anno triumphũ duxiſſe uidetur, de quo magnificè Florus in ſua Epitome, ubi de bello Tarentino his uerbis cõcludens: Sed nihil libentius, inquit, populus Rom. aſpexit, quàm illas quas timuerat cum turribus

ſuis

ſuis belluas, quæ non ſine ſenſu captiuitatis, ſummiſsis ceruicibus uictores equos ſequebantur.

Apud Argos Græciæ ciuitatem occiſus eſt.)

Pyrrhus à Tarento ſtatim regnum Macedoniæ inuaſit, Antigonum prælio uictum Argis incluſit: ſed cum oppidum expugnare nititur, ſaxo, ut Iuſtinus inquit, uel tegula, ut Plutarchus, de muro iacta, occiditur.

Anno V. C. CCCC. LXI.)

Hic eſt error ut minimum XX annorum. Nam de uno anno non eſt contentio. Meminit autem legationis I I'I huius Florus in Liuij epitome lib. 14. Legẽdum itaq; 480. Ptolemæo.)*Philadelpho, qui primi Ptolemæi fuit filius, tertius poſt Alexandrum.*

L. Quintio Gulone, C. Fabio Pictore Coſs.)

Gulonis & Pictoris meminit Plinius lib. 33. cap. 3. ubi numeri exorbitant centenario in Plinij exemplaribus, ubi legitur 585. cum legendum ſit 484. Tunc enim primùm argento uti cœpit Roma. P. Sempronio.) *De Semprouio duce meminit Flor. in ſua Epitome lib. 1.* Conditæ à Rom. ciuitates.) *deductæ coloniæ.* In Gallia.)*in Piceno.* Beneuentum.) *ad quod oppidum tertia cum Pyrrho pugna facta eſt.* M. Attilio Reg.)*Hic eſt, de quo omnes Romani uno ore ſcribunt, maxime uerò Cic. 3. Offic.* L. Iunio.)*Al. Iul. Annus hic eſt V. C. 486.*

Salentinis bellum indictum eſt.)

Belli primi Punici cauſa, quando Carthago ac Roma fœdere continerentur, extrinſecus uenit ex turpiſsi-

ma,ut fieri ſolet,occaſione.Meſſana oppidum erat Siciliæ,quod Campani ſub Agathocle Siculo tyranno militantes,per uim occuparunt,cæſis antiquis ciuibus,ac eorum bonis cum uxoribus inter ſe diuiſis. Id ſceleratum exemplum legio Romana, Rhegium in præſidium à Romanis miſſa,imitata eſt. At Romani ut primùm præ negociorum multitudine potuerunt, ulti ſuorum ſcelera, obſeſſo Rhegio, ex quatuor milibus ſoli CCC poſt expugnationem ſuperfuêre,quos Romam ductos ſecuri omnes percuſſere. Verùm Mamertini (ſic enim ſe capta Meſſana nuncupabant) eandem ſimilis ſceleris pœnam ueriti, quidam ſe ac arcem Carthaginenſibus dedunt: quidam ad Romanos legationes miſerunt, ſe dedituros urbem. Romani primùm turpe eſſe exiſtimantes, qui ſuos eodem ſcelere obnoxios trucidaſſent,opem ferre alienis:ac cum uiderent Carthaginenſes omnia in Sicilia occupaturos,ni maturè ipſi præueniſſent, App. Claudium Coſ. cum exercitu mittunt,Siculos ab Syracuſis ac Carthaginenſibus tunc confœderatis defenſurum. Appius cum copia hoſtibus par non eſſet, de pace agere cœpit: qua ſpreta, primùm cum Hierone Syracuſanorum rege decernit. quo deuicto,ac Syracuſas compulſo, Carthaginenſes inuadit,ac partim occidit,partim in munitiora oppida fugere cogit,deinde Syracuſas obſidet. Hæc primo anno huius belli acta ſunt, authore Polybio libro primo.

Anno CCCCLXXVII.)

Decem annorum error. Nam duo anni Dionyſij ſupputatione condonari poßunt, X non poſſunt. Annus igitur hic fuit ab V.C.489.

Cenſus

Cenſus eſt habitus.)

Florus in Liuij epitome lib.16, luſtrum Romæ *condi tum ait,ſed poſt datam* Hieroni *pacem:quod factũ fuit, ſecundo huius belli anno.* Cenſa *ſunt ciuium capita* CCCLXXII *millia,*CCXXIIII:*qui numeri di ſtant plus* 80 *millibus.*

372224 *Florus*

292334 *Eutropius*

80890 *Differentia.* Cõtra Afros.)*Car thaginenſes.* Ap.Claudio.)*Pulchro Caudice.* Q. Fuluio.)*Flacco.* In Sicilia.) *apud Meſſanã.* Con tra eos.)*Afros ac Syracuſanos Sicul.* Rege Siciliæ Hieron.) *Syracuſano, qui poſtea amiciſsimus Romanis fuit.*

Inſequenti anno M. Valerio Max. & M. Octa.)

Hi Coſſ. duobus conſularibus exercitibus miſsi ſunt in Siciliam, binis legionibus ciuium, totidem auxiliarib. quaternũm millium trecenũm equitum. Horum *aduentu plæraq; ciuitates Siculorum ad* Romanos *defecerũt.* Hiero *id uidens, & ipſe cum* Romanis *pacẽ fecit his cõditionibus, ut captiuos omnes ſine precio reſtitueret, talenta* C. *pẽderet. ſic Polyb.lib.1.An. huius belli ſecundo, quæ Eutropius tertio anno facta refert..* Inſequenti anno.)*ſecundo huius belli, ab* V. C.490. M. Valer. Maximo.)*ſecundũm Coſ. Al. Marco legitur, ſed malè.* M. Octacilio.) *Craſſo Meſſala.* Tauro-minitani.)*Taurominium & Catana, urbes ad fretum, in orientali latere.*

Tertio anno.) V. C. 491.

Polybius lib.1.ait,hoc tertio anno Romanos per quinque menſes obſediſſe Agrigentum,ac uaria fortuna luctatos,fame,peſte,ac poſtremò pugna inter Agrigentum ac Heracleam facta, in qua ſuperiores Agrigento potiti eam urbem diripuerunt. Paratum.) *Al.præparatum.fortè patratum.* Talenta ducenta.)*C.eſt in Polybio. Faciunt autem 200 talenta,120000 coronatorum.*

Afri in Sicilia uicti.)

Anno quarto Romani etiam mari dominari uolebāt, ſicut Carthaginenſes,ad quam rem ædificarunt claſſem CXX *nauiū,C.quinqueremes, reliquas triremes. Polybius in primo.* Afri.)*Carthaginenſes.* Victi ſunt.) *inter Agrigentum ac Heracleam.*

Quinto anno.)V.C.493.

Romani cum marinarum rerum imperiti eſſent,inuenerunt tamen modum quo etiam mari dominarētur, machinis nauibus inædificatis,coruos appellabant,quibus hoſtium naues celeritate Romanos illudentes impli carentur ac colligarentur:ita tum Romani manu magis quàm remis ſtrenui,in hoſtium naues inſiliebant,ac eos occidebant. Ter ita cum Hannibale Carthaginenſium tum duce pugnatum eſt.Primùm non longè à Sicilia,Italico tamen littore: iterum ad Liparas,Æoliarum inſularum(ubi alter Coſ.Cn.Corn. Aſina paulo antè captus erat) caput. ubi L. amiſit naues Hannibal memorabili pugna ſub C.Duillio Coſ.idem paulo pòſt refecta claſſe in Sardiniam miſſus,ſed in quodam portu cōcluſus,claſſem ferè omnem amiſit:elapſus tamen,cum Carthaginem

nem ueniſſet, crucifixus eſt. Liburnos.) *longas. ita Liu. lib. 1. de ſecundo bell. Pun.*

Coſ. Cornelius fraude deceptus eſt.)

Polybius lib. 1. de Aſinæ captiuitate ait, eum Liparas inſulam nauigaſſe: ſed noctu ſuperueniſſe Carthaginenſes, ac in portu Romanas naues nactos, Corneliũ ad deditionem coegiſſe. Valerius Max. lib. 6. cap. 11. ait, eum rurſus Coſ. factum, nempe anno 499. ſexennio poſt. Carthaginenſ. ducem.) *Hannibalem.* XXX. naues.) *Hoc & Polybius dicit in ſecunda pugna.* Iam etiam.) *poſt Duillij uictoriam.*

C. Aquilio Floro, L. Scipione Coſſ.) *An. 494.*

Polybius lib. 1. refert, Anno 7 pugnatum acriter mari apud Tyndaritanos. Coſ. Rom. Au. Attilius, decem nauibus malè multatis, uix euaſit. Sed deinde Carthaginenſes decem amiſerunt captas, 8 ſubmerſas. multa etiã terra ab eo acta referuntur, maximè uerò quòd M. Calpurnij tribuni mil. uirtute euaſerit.

Corſicam ac Sardiniam.)

Polybius lib. 1. ait, Hoc anno nihil dignum memoria in Sicilia geſtum. at Florus & Valerius: ille lib. 17, in Liuij Epitome, hic lib. 5. cap. 1. manifeſtè fatentur, in Sardinia pugnaſſe Scipionem cum Pœnis, ac ante Olbiam Hannonem occidiſſe. L. Manlio.) *Cn. Cornel. Blæſo. An. 496.*

M. Attilio Regulo.) *iterum Coſ.*

Cum M. Attilio Regulo iterum Coſ. non L. Manlius Volſo, ſed C. Cornelius Blæſus Coſ. fuit, anno 498. At cum C. Attilio Regulo, anno 503. Coſ. fuit Volſo, Sed

ſexennio

ſexennio antè perierat M. Attilius.*Fuere & alij in hoc errore,fortaſſis & Eutropius:quanquam ego malim co dicum errorem eſſe, non authoris.Fieri etiā poteſt, pro rogato imperio,ipſi Regulo, hæc acta anno 9 huius bel li,quo L. Manlius Regulus Coſ. fuit, non L. Manlius Volſo plures certè Attilij & Manlij errorem intulère, non diſtinguentibus diligenter Coß. nomina Romanis ſcriptoribus.* Contra Hamilcarem.) *& Hannonem,inquit Polyb.* In mari.)*ad Lilybæum Siciliæ promont.* LXIIII.) *Ita etiam Polyb.* XXII.) XXIIII *Polyb.* Tranſiſſent.)*Romani.* Clypeam.)*opp.ad extimū angulum,eregionè Siciliæ.* Mul tisq; uaſtatis.) *trecenta amplius caſtella,inquit Flor.* XXVII.)*ſupra* XXI.*Polyb.* Contra tres.)*Haſdrubalem,Boſtarum,& Hamilcarem,inquit Polyb. li bro* 1.*Facta autem eſt hæc pugna ad Adim opp. ut ait Polyb.* Tum uicti.)*poſt pugnam ad Adim.*

Quam cum Regulus nollet niſi duriſ-
mis cond.)

De M.Attilio Regulo longè aliter author græcus Polybius,quàm Latini authores. Quanquam locum de cō ditionibus inter Regulum ac Carthaginenſes primùm tractatis,in Polybio malè uerſum puto.In hoc tamen di ſcrepat cum Latinis,quòd Regulum dicat parum memo rem fuiſſe humanarum calamitatum ac fortunarum, ni mis duras conditiones Carthaginenſibus obtuliſſe,nec à pertinaci propoſito flecti potuiße. Vnde coactos Carthaginenſes,circumſpicere alia auxilia.Redierunt autē ijs diebus Carthaginem milites Græci,& in ijs Xantip pus quidam Lacedæmonius, rei militaris peritiſsimus, qui

qui planè aſſeucrauit, ducum ignauia Carthaginenſib. cladem hanc contigiſſe. qua uoce audita, Carthaginenſes rogare uirum, ut trepidis rebus ſuccurreret. quod ille intrepidè fecit, inſigniq; pugna Romanum exercitum uicit. D. equitibus fugiens Regulus, cum antea miſereri nollet, ipſe in miſeriam uenit. Polyb. A' Laced.) *Hoc Polyb. non habet.* Qui à Laced.) *imò cum alijs militibus Græcis in Africam uenerat.* Nam duo mil.) *Hoc etiam Polyb.*

M. Aemylio Paulo.) *An. V. C. 498.*

Hic erat annus X huius primi belli Punici: fœlix rerum geſtarum initium cum fœdo exitu. Cum trecent.) *& L. inquit Polyb.* Primùm Afros.) *obuios, non longè à Mercurij promontorio.* Quatuor na.) *quatuordecim. Polyb.* Triginta.) *Hoc non habet Polyb.* Niſi tanta fames.) *Et hanc cauſam obticet Polyb.* Expectare.) *manere in Africa.*

Coſſ. cum uictrice claſſe redeuntes.)

Florus in Liuij Epitome lib. 18. Res deinde à ducibus Romanis omnibus terra mariq; proſperè geſtas, deformauere naufragia claßium. Redeuntes.) *in Siciliam.* Circa Sicil.) *non procul à Camarina urbe. Pol.*

Naufragium paſsi ſunt.)

Polybius ait, non tam fortunæ culpa hoc naufragium accidiſſe, quàm Coſſ. temeritate. admoniti enim à nautis, ut illo tempore cauerent Siciliæ orientale latus, illi elati uictoria, et ſpe aliquot oppidorum capiendorũ, nihil non ſuæ fœlicitati ceſſurum rati, in maximas calamitates & ſe & ſuos inuoluerũt. Vt ex quadring.) *Hoc ita etiam Polyb.*

Naues

Naues repararunt.)

Vndecimo anno Coſ. Au. Attilio Calatino & Cn. Cornelio Scipione Aſina, Panormus præcipua Carthaginenſium urbs in Sicilia à Romanis capitur, paratis ad eam rem C C C *nauibus, nouis ducentis* X X. *ueteribus* 80 *adiunctis, cum Carthaginenſes etiam* C C X X *adornaſſent.*

Cn. Seruilius Cepio & C. Sempr. Blæ.) V. C. 500. *Hic eſt annus* X II *huius belli. Quo anno Romani in Africam lati, nihil memoratu dignum fecere: ſed bis afflicti mari, ſemel ad Lotophagorum inſulam, quæ Myrmix dicitur, nõ longè à parua Syrte, ubi nauibus elapſi adprehenſa Sicilia, cum à Panormo in Italiam redire uellent, orta tempeſtate* C L *naues amiſere. Quare Ro. S.C. fecere, abſtinendum eſſe mari. At* L X *naues importandi frumenti gratia, ac ad Italiæ præſidium datæ ſunt. Anno* X I I I *nihil actum, refertur à Polybio.* Naufrag. paſsi ſunt.) *nauium afflictionem, ad Syrtim paruam: ſed ultra Panormum, ſubmerſionẽ.* Calamitates.) *clades in mari.* Ad præſidium.) *& importandi frumenti gratia.*

L. Cecilio Metello.)

Hic eſt annus X I I I I *huius belli, ab* V. C. 502 *plenus gloriæ Romanorum, ob Metelli uictoriam.*

Metellus in Sicilia.)

Haſdrubal Carthaginenſium dux, cum ſciret à tempore aduerſæ pugnæ in Africa ſub M. *Attilio Regulo factæ, elephantos terrori eſſe Romanis, quippe ea pugna obtritis, & quòd unus duntaxat Coſ. Cæcilius Panormi ſubſtiterat, dimidia exercitus parte Panormitanum*

num agrum ingreſſus, cuncta uaſtat. Metellus ſuos intra mœnia continet, donec totus Pœnorum exercitus, unà cum elephantis flumen urbi proximum tranſiret. ubi id factum, Metellus uelociſsimum quemq; militem, ſuper foſſam conſtituit: eo conſilio, ut quando à beluis uincerentur, foſſam inſilirent: inde miſsilibus cùm ex foſſa tum ex muro elephantos peterent. quod cum factū eſſet, elephanti irritati in ſuos ruunt: agmina perturbāt, quæ Metellus alia urbis parte egreſſus, eductis unà copijs, prorſus conficit, elephantisq; omnibus potitur. Hæc uictoria effecit, ut Romani in annum ſequentem rurſus claſsem adornarent, quæ res in tertium annum iam dilata erat. Afr. ducem.) *Haſdrubalem.* Venientem.) *ad Panormi recuperationem.* Per Numidas.) *opera Numidarum.* In auxilium.) *conductos.* Cum C X X X.) *C X X. Floro in Epit.* Poſt hæc mala.) *hanc cladem ad Panormum.*

Poſt hæc mala Carthaginenſes Regulum.)

Hæc ſunt contra Polybij opinionem lib. 1. Eſt etiam cōtra Liuium, qui ait Regulum ante Metelli uictoriam miſſum Romam, ut uides lib. 18. in Liuij Epitome.

Ille Romam cum ueniſſet.)

Pro hac Reguli hiſtoria, quam certatim omnes Latini ſcriptores tractant, Polybius nobis arduam Lilybæi à Romanis legionibus obſidionem, acerrima tum ad portum, tum ad opera recēs excitata, certamina: tandem etiam ſæuientis uenti occaſione prorſus incenſa, deſcribit: at nihilominus duraſſe Lilybæi obſidionem. fuit autem hæc anno 15 huius belli, quando claſſem reparaˉ runt

runt contra decretum anno XII *factum:* CC *autem naues à nouo ſunt paratæ.* Et uxorem.) *Martiam.*

Itaque obtinuit.)

Itaq;, *duæ hic ſunt dictiones, aduerbium ac coniunctio: pro,* & *ita.* Teren. *Imò ita uolo, itaq; poſtulo ut fiat, Chreme: in* Andria, *act.* 3. *Scen.* 3. *Tu neſcis.* So. *Non ita me dij benè ament, mi* Laches: Itaq; *unà inter nos agere ætatem liceat.* In Hecyra. *Alioqui eſt una dictio, illatiua coniunctio, accentu in prima ſyllaba, qui hic eſt in ſecunda.* Nullus.) *Romanorum.*

Ipſe Carthaginem rediit.)

Videtur Regulus *exemplum eſſe cupidi etiam mortẽ oppetere, ut gloriam acquirat.* Seruierat.) *ſeruus eßet factus.*

Pòſt Appio Pulchro.)

C. Iunio *Coſ.* Porrò *an.* XVI *huius belli,* V.C.504. *Al.* P. *Claud.* Pulchro. Ap. *Claud.* Pulcher, *Cæci nepos, Lilybææ obſidioni præerat.* Hic, *ut mißũ* Roma *erat* X *millium militũ ſupplementũ, conſilium inijt opprimendi* Adherbalem *Carth. ducẽ, qui* Drepani *erat. Igitur noctu hoſtibus nihil ſentientibus,* Drepanum *nauigat, ac prima luce hoſtes in conſpectu habuit. qui longè conſul tius acie inſtructa,* & *rerum maritimarum periti, ſub* Adherbale *pugnabant, quàm* Romani *ſub* Appio: *ac tãdem uictores euaſerunt.* Appius *primus fugiens, cum triginta nauibus euaſit, amißis 93 nauibus, inquit* Polyb. L. Iunio.) *Pullo.*

Nam ex ducentis.)

Sic legẽdum. Nam ex CCXX *nauibus, cum* XXX *fugit,*

fugit, X X *cũ pugnatorib. captæ ſunt,demerſæ cæteræ. octo millia hominum cæſa,* X X *millia capta.* Alius quoq; Coſ.) L. *Iunius.* Naufragio.) *Hæc copioſe ſcribit Polybius.*

C. Luctatio Catulo.)

Anno 17 huius belli nihil refert Polybius memoratu dignum. Sed cum Coſ. Iunius anno X *antè cæpiſſet* E*rycen montem, cum* V*eneris templo in ſummo,* & *urbe infrà:* H*amilcarem* B*arcam* H*annibalis parentem, anno* X V I I I C*arthaginenſes claſſi præficiunt: is* I*taliæ maritimam oram primùm triennio uexauit. inde locum quendam ad* P*anormum occupat bello gerendo aptiſſimum: deinde cum recepta urbe* E*ryce per proditionem biennio infeſtaret rurſus totam* R*omanam deditionẽ, coacti ſunt* R*omani claſſem rurſus parare, ut ſua tuerentur: idq́; poſt quinquennium, quando iam annus erat* X X I I I *huius belli.*

Catulo bellum contra Afros commiſſum eſt.)

H*oc tempore duo* C*atuli fuere,* C. & Q. C*aius* C*arthaginenſes uicit ad* Æ*gateis inſulam, anno 23 huius belli: ab* V. C. *autem 511.* Q*uintus autem ſequente anno Coſ. pacem eis dedit.* S*ed in* R*omana hiſtoria hæc duo prænomina ſæpe corrupta, etiam apud* L*iuium. hic autem benè habent.* Cum C C C nauibus.) C C *habet* P*olybius.* C C C C.) P*olybius non ponit* C*arthaginenſium numerum.* Nunquam.) E*t hoc uerè, ſiquidem hic numerus nauium bene habet.*

Luctatius Catulus.)

C. L*uctatius* C*oſ. cum* C C *nauibus, ut inquit* P*olybius,*

e

bius, quas exhauſto ærario publico ciues pro ſuis quiſq; facultatibus contribuerunt, in Siciliam improuiſus uenit. memor autem, quantum momẽtum bello maritimæ res adferrent, remiges ac nautas aßiduè exercebat. Carthaginenſes cognito Romanæ claßis aduentu, & ipſi claſſem commeatu plenam ad Hamilcarem cum duce Hannone mittunt. Qui cum ad Hieroneſum inſulam ueniſſet, eo conſilio, ut clàm hoſtibus ad Hamilcarem commeatum duceret: ac inde melioribus acceptis ab Hamilcare militibus, claſſem Romanam inuaderet: id præſentiens Coſ. Luctatius, ſtatuit cum oneratis potius nauib. quamuis turbido tum mari, ac aduerſo Romanis uento, antè pugnare, quàm euacuarentur, ac pluribus militibus munirentur. Quæ res benè ceßit. uicit enim egregiè hoſtium claſſem, L. nauibus uel fractis uel demerſis, 70 plenis captis. Ea fortuna perculſi Carthaginenſes, Hamilcari plenam permiſere poteſtatem faciendi cum Romanis quod è Rep. Carthaginenſium iudicaret: qui ut uir prudens, tempeſtati ceßit, & pacem petijt, quam obtinuit. LXXIII.) 70 *Polyb.* CXXV.) *L. Polyb. Al. ſolum* XXX *legitur.* XXII.) X *Polybius. At alibi* XXXII *mil. hoſtium capta legitur.* Infinitum.) *immenſum.* Prædæ.) *Al. pondus.* VI idus.) X *die Martij.*

Nauem æger aſcen.)

Meminit huius ægritudinis Valerius Max. li. 2. cap. 2. ab initio ferè, oppidò eleganter, Conſulem ea pugna in lectica claudum iacuiſſe. At Polybius de eius ægritudine non meminit.

Tribu-

Tributa eſt eis pax.)

Polybius lib.1.ait, pacis conditiones huiuſmodi fuiſſe, ut omni Sicilia cederent Carthaginenſes : imò poſt adiectum omnibus inſulis inter Siciliam & Africam, ut Hieroni & Syracuſanis nullum mouerent bellum : captiuos omnes ſine precio redderent : ſoluerent talenta 3200, hoc eſt coronatorum 1920000. ſemel congreſsi ſunt DCLXXX nauibus, ad Lilybæum. Romani toto bello amiſere quinqueremes 700, præter eas quæ diuerſis naufragijs perierunt. Carthaginenſes uerò circiter 500. Redditi ſunt.) ex fœderis conditione. A' priuatis.) ciuibus.

Q. Luctatius, A. Manlius Coſſ.)

V. C. 512.

Hic fuit annus XXIIII primi belli Punici, prorſus finiti, pace data ac confirmata ſub hiſce conſulibus. Meminit Polybius obiter huius Faliſci belli, & Florus in Liuij Epitome lib.19.ad finem. Italiæ.) Hetruriæ.

Agro tamen ex medietate ſublato.)

Cicero in lib. de Vniuerſitate ait: Vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας appellant.

IN EVTROPII LIB. III.

H.Glareani Annotationes.

Legatos ad Ptolemæum Ægypti regem.)

CVm tot in Ægypto fuerint reges Ptolemæi (idē de multis Antiochis dicendum) Romani ſcriptores rarò dignantur cognomina addere, ut de quo rege

Ptolemæo aut Antiocho hiſtoria intelligatur, ſciri poſſit. Poſt primum bellum Punicum in imperio fuit Ægypti Euergetes, tertius eius nominis Ptolemæus poſt Alexandrum. Sed Antiochus Theos, qui primo hoc bello Aſiam rexit, iam erat mortuus, & regnabat Seleucus Gallinicus. Suſpicor hanc legationem factam ſub Ptolemæo Philopatore, qui cum Antiocho magno conflixit ad Raphicam urbem, in confinio Iudææ ac Ægypti, ut refert Polybius lib. 5. Per XXII annos.) *Hic error facilè ex paulo antè dictis conuincitur, cum ait: C. Luct. Catulo, A. Poſthumio Albino Coſ. anno belli Punici XXIII. Ita ergo etiam hic ſcribendum, per XXIII annos, &c.* Factum.) *Al. contractum.*

Ad Ptolemæum.)

Euergetem priorem, Philadelphi filium intelligit. tertius Alexandriæ rex poſt Alexandrum hic fuit. Sed nullus hoc tempore fuit Antiochus, poſt primi belli Punici finem, uſq; ad magnum Antiochum.

Iam enim pugna fuerat tranſacta,)

Si de pugna ad Raphiam loqueretur, quæ XXXII ut minimum annis fuit poſt primi belli Punici finẽ, intelligi hoc poßit: alioqui non procedit. Eodem tempore.) *IIII anno poſt finitum primum bellum Punicũ.* Ducenta millia.) *200000 modiûm Rom. faciunt 33333 2/6 mod. Friburgenſ. Habet autem modius Friburgenſis bina quadrantalia, quadrantal autem ternos modios.* L. Cornelio Lent.) *Anno V. C. 516. quartus autem erat poſt datam Carthaginenſibus pacem.*

Etiam contra Ligures.)

Meminit Florus in utraq; Epitome. Ligures, populus erat

erat Italiæ, maximè ad Genuam, inter Varum ac Macrũ fluuios, implicitus dumis ſyluestribus: quẽ maior labor erat inuenire, quàm uincere. Polybius huius belli non meminit.

Carthaginenſes tamen bellum reparare.)

Vide finem lib. primi Polybij, ac inuenies Romanos iniurios in Carthaginenſes. Cum enim Sardinia Carthaginenſium eſſet, ſed bello Afro cum Sardi ſæpe obtuliſſent ſe Romanis, ac repulſi eſſent, tandem transfugarũ ſuaſionibus pellecti Romani, nauigare in inſulam pergebant. cũq; id ægrè ferrent Carthaginenſes, ac ſuas copias ad inſulam, ut ſuam, occupandam adornaſſent, Romani eis bellum indixere. Carth. cum ſe minimè potẽtes uiderẽt ad bellũ cum Rom. gerendũ, cedentes tẽpori, relicta inſula, multati mille & C C talẽtis (id eſt, 720000 coronatis) quieuere uſq; ad ſecundum bellum Punicum.

Ex conditione pacis.)

Conditio una pacis erat, ut omnibus inſulis Carthaginenſes abſtinerent, quæ eſſent inter Siciliam et Aphricam. At Sardinia non erat ita incluſa Carthaginenſiũ opinione: uerùm Romani tandem ita interpretati ſunt eum articulum per maliciam, ut alia pleraq;.

T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo Coſſ.) V. C. 518.

Sextus erat hic annus poſt pacem Carthagini datam. Meminit horũ Coſſ. Plutarchus in Numæ Pomp. uita: Manlij item Liuius in Numa. Semel tantũ.) *ſ. ante hoc tẽpus, quia nunc ſecundò, et ſub Auguſto tertiò.*

L. Poſthumius Albinus II.)

An. V. C. 525. Bellũ hoc et à Polybio initio libri ſecundi,

di, & à Floro *in ſua* Epitome *li. 2. breuiter deſcribitur.* Illyrij *enim totum* Hadriaticum *mare populabantur in* Græciam *uſq;.*Sed *ſub* Theuca *regina, etiam unum ex* Rom. *legatis trucidarunt.* Theuca *tributaria facta eſt, omni* Illyrico *extruſa, pauciſsimis locis exceptis: & ultra* Lyſſum *nauigare prohibita, niſi cum duobus lembis, atq; ijs inermibus.*

L. Aemylio.) *Papo, uel Paulo, &* C. *Attilio Regulo.*

Anno V. C. 529. *Meminit huius belli magnificè* Polybius *lib. 2. ubi eius hæc ſunt uerba:* Apud Romanos nihil tetrius, nihil horribilius eſſe conſueuerat Gallorum nomine. Anno igitur ab V. C. 529. *Gallorum peditum* 50000, *equitũ aũt et bigarũ* 20000 *in* Hetruriam *uenere. unde tantus horror* Romanos *cæpit, ut tota* Italia *unanimiter pro* Romanis *cõſenſerit.* Delectu *igitur habito,* DCCC *millia hominum ad id bellum parata ait hic author.* At Polybius *ait* DCC *millia peditum, equitum ad* 70000 *millia.* Plinius *autem lib. 3. cap. 20. ita ait:* Hæc *eſt* Italia, *quæ* L. Æmylio Paulo, C. Attilio Regulo *Coſſ. nunciato Gallico tumultu, ſola ſine externis ullis auxilijs, atq; etiam tunc ſine tranſpadanis, equitum* LXXX *mil. peditũ* DCC *millia armauit.* Triumphus Aemylio dec.) *quia alter Coſ.* C. Attilius *fortiſsimè, ut inquit* Polybius, *cæſus erat à Gallis.*

Aliquot deinde ânnis.)

Tribus continuis annis poſt L. Æmylij *triumphum, cum Gallis pugnatum eſt.* Primò *anno* Boij *in populi* Romani *poteſtatem uenere: alterò* Inſubres *uicti, ad* Abduam

duam ingenti pugna, ita ut pacem peterent. Tertio *deinde anno finitum bellum.*

Finito bello.) *legend.* Finitumq́; *eſt bellum, &c. ut ſit ordo :* M. Claudio Marcello, Cn. Cornel. Scipione *Coſ. finitum eſt bellum. Cæterùm cum Galli à Senatu Romano pacem peterent,* M. *Claudius Marcellus ac* Cn. *Corn.* Scipio *Coſ. ne id à Senatu impetrarent, in prouinciam feſtinant. Galli coacti exercitum comparare, conductisq́; 30000 geſſatarum, ad Claſtidium cæſi ſunt, & Mediolanum in poteſtatem populi Romani uenit. Marcellus tertius poſt Romulum ſpolia opima, quæ dux duci detrahit, Ioui Feretrio ſuſpendit.*

Viridomarum.) *qui uulgo Fridmayr lingua Gallica dicebatur, mayr ſyllaba in marus corrupta. Eadẽ ratio obſerunnda etiam in his, Othmarus* Othmayr/ *Volmarus* Volmayr / *Induciomarus* Bußmayr/ *Ciniſmarus* Zinßmayr, *Conbolomarus* Cůnuolmar/*Britomarus* Bartmayr. Mediolanum.) *Inſubrium caput. eſt autem* Meylandt *Gallicæ linguæ, quod Romani corrumpũt: ſicut* Inſuber *etiam, Gallicè* vnſuber: *quemadmodũ &* wůſt, *familiæ nomen eſt.* Spolia.) *opima.* M. Minutio, &c.) *An.* V. C. 533.

Hiſtris bellum illatum.)

Iſtri ſubacti ſunt, inquit Florus lib. 20 in Liuij epitome, in altera nihil. Nihil etiam Polybius. Perdomitiq́ ſunt omnes.) *Al. Ac multo Romanorum ſanguino fuſo, perdomiti ſunt. Et placet.*

Eodem anno bellum Punicum.)

Sequitur iam III *Decas apud Liuium, quæ ſecun-*

 dum

dum bellum Punicum continet, de quo Polybius ante Liuium lib.3. Eodem anno.) *Vrbis conditæ 535. triennio poſt Iſtros ſubactos.* Bellum Punicum ſecundum.) *quod Hannibalis bellum uocant Græci, inquit Polybius. Porrò huius belli tres cauſas numerat Polybius libro 3. Primam: Hamilcarem Hannibalis parentem, & eius in Romanos indignationem. Secundam: Romanorum iniuriam, qua eis Sardiniam ademerant. Tertiam, fortunam proſperam Carthaginenſium in Hiſpania, qua erecti ſperabant ſe ulciſci poſſe Romanorum iniuriam.*

Qui Saguntum Hiſpaniæ ciuitatem.) *ultra Iberum, non longè à mari.*

. Multæ feruntur cauſæ, quare Saguntum oppugnarit Hannibal. I. ut abſcinderet Romanis ſpem gerendi belli in Hiſpania. II. ut cæteris ciuitatib. metum inijceret: ſuis, ut in fide manerent: alijs, ut ſeſe ei dederent. III. ut tutò progredi deinde poſſet, nullo poſt ſe relicto hoſte. IIII. ſpe immenſæ pecuniæ potiundæ. V. ut militum fauorem ſibi conciliaret, ob prædæ partitionem. VI. ut ciues Carthagine ſibi conciliaret muneribus, ex manubijs quas ſperabat.

Agens XX ætatis annum.) *Corrige, XXVI ætatis annum.*

Hannibal enim IX puer annorũ, cum patre Hamilcare in Hiſpaniã uenit. Pater ibidem IX annis exercitui præfuit. cui ſucceſſit in imperiũ gener Haſdrubal, 8 annis imperio potitus. quo cæſo, Hannibal XXVI iã agẽs annũ, imperator electus eſt. Ergo hic eſt error. CL. mil.) *hoc idẽ etiã Liu. habet.* Et XX.) *nõ habet Liu.*

Is legatis parêre.)

Legatos admittere, inquit Liuius: & alter etiam codex ita habet. Romani *quidem legationibus terebant tempus: interea perierunt* Sagũtini, *proditi à* Romanis. *Ita poſt aliquot annos etiam* Ætolos *deſeruêre.* Romani etiam.) *Ante* Saguntum *captum duo miſsi,* P. Valerius Flaccus, & Qu. Bœbius Pamphilus. Petierunt.) *ſecundò poſt captum* Saguntum V *miſsi ſunt legati,* Q. Fabius, M. Liuius, L. Æmylius, C. Licinius, Qu. Bœbius. Dura reſponſa.) *Proinde omittite* Sagunti *ac* Iberi *mentionem facere, ac quod diu partur it animus ueſter, aliquando pariat.* Saguntini interea.) *à* Romanis *deſerti.* Captiq;.) *Liuius, de* Sagunto *libro* 21. *ita inquit:* Ciuitas *ea lõgè opulentiſsima, ultra* Iberum *fuit, ſed paſſus mille ferè à mari. oriundi à* Zazyntho *inſula dicuntur, mixtiq; etiam ab* Ardea Rutulorum *quidam generis. Cæterùm in tantas breui creuerunt opes, ſeu maritimis ſeu terreſtribus fructibus, ſeu multitudinis incremento, ſeu ſanctitate diſciplinæ, quæ fidem ſocialem uſq; ad perniciem ſuam coluerunt. Hæc ille. Octauo menſe capta eſt, cum egregiè ſe defendiſſet.* Captum *oppidum cum ingenti præda. Quanquam pleraque à dominis de induſtria corrupta erant.* Vltimis pœnis aff.) *omnes puberes cædunt, inquit* Liuius *in primo huius belli.*

Tum P. Cornelius Scipio.)

Hoc anno Coſ. erat hic, ſuperioris Scipionis *pater. Cæterùm ſex legiones ciuium hoc anno* Romani *in armis habuerunt, quaternûm millium peditum, trecenûm equitum. ſociorũ,* XLIIII *millium peditum, equitum*

quatuor milliũ. Quinqueremes CCXX, *celóces* XX. Profectus.) *Al. deſtinatus.* Sempronius.) *Longus, & Coſ.*

Bellum Carthaginenſibus indi-ctum eſt.)

Hic annus primus Punici belli ſecundi, ab V.C. 536. *Et Saguntum anno antè captum eſt, ut putat Polybius, nec abnegat Liuius. Hoc autem anno Hannibal in Italiam uenit, cum quo ſub autumnum Scipio, ſub brumã pugnauit Sempronius. Meminit & Liuius, latum ad populum.*

Traditur ad Italiam LXXX millia peditum.)

Liuius ex Polybio: Hannibal XC *millia peditum,* XII *millia equitum, Iberum traduxit.* Traditur.) *à L. Cincio, inquit Liu.* 80000 *peditum: ſed* X *millia equitum. Alij autem longè maiorem, quidam minorem. Polybius lib. 3. ait, Hannibalem apud Rhodanum habuiſſe* 38000 *peditum,* 8000 *equitum, ei uix medietatem eiuſmodi copiarum ſuperfuiſſe. Idem Polybius ait, Hannibalem apud Lacinium erexiſſe columnam, in qua ſcriptum fuerit, eum Afrorum decem millia ac ducentos, ex Hiſpanis* 8000. *equitum* 6000 *habuiſſe, cum Inſubres attigiſſet.*

Interea multi Ligures.)

Polybius ait, expugnata Taurinorum quadam urbe, Hannibalem effeciſſe ut Padi accolæ omnes ad eum defeciſſent, niſi conſulis aduentus eorum conſilia oppreſſiſſet. Sempronius.) *uocatus à Senatu Rom.* Gracchus.) *Longus.* E' Sicilia.) *intra* 40 *dies à Lily-*

bæo

bæo pedeſtri itinere hunc exercitum Ariminum *eſſe tra ductum,ait* Polybius *lib.3.* Ariminum.) *oppidum ad* Adriaticum *mare,non longè à* Rauenna. Primus occurrit.)*prima cum* Hannibale *pugna ad* Ticinum. Commiſſo prœlio.)*Hoc prælium potiſſimum fuit equitum,ad* Ticinum *amnem:ex qua pugna intellectum eſt,* Hannibalis *equitatum meliorem eſſe* Romano. Ipſe.) Scipio. Vulneratus.)*Sed pater à filio* Scipione *defenſus erat.*

Sempronius Gracchus & ipſe conflixit.)

Hæc ſecunda cum Hannibale *pugna, ad* Trebiam, *uana* Sempronij *elatione accidit. Qui ut ipſe ſolus gloriam nanciſceretur,altero Coſ. uulnerato,& pugna uicto: itaq; appropinquante comitiorum, die,temerè cum* Hannibale *certamen inijt,non explorato itinere,non curatis corporibus militum.Cum* Hannibal *utrumq; apud ſuos procuraſſet,inſidijs medio itinere poſitis, & curatis corporibus,imo præbito per manipulos oleo,ut mollirent artus.* Ad Trebiam.)Trebia *per* Placentina *arua* Padum *influit, inquit* Strabo *lib.5.* Multi ſe dediderunt.) *Hoc etiam dicit* Polybius,*& maximè* Gallos.

Inde ad Thuſciam ueniens.)

Hoc itinere ex Gallia *in* Thuſciam,Hannibal *amiſit oculum,& multos milites,maximè* Gallos,*dum feſtinat uia uenire inſueta ac breuiore,cum eſſent alia meliora, ſed longiora.* Flam. Coſ. occurrit.) *ad* Thraſymenum *lacũ,qui eſt prope* Cortonam. Ipſum Flam.) *Tertia cum* Hannibale *pugna.*

Roma-

Romanorum XXV millia cæſa ſunt.)

Polybius & Liuius 15000 Romanorum in acie cæſa referunt, 6000 elapſa: ſed poſtea capta ab Maharbale. capta præterea 15000, ait Polybius. At Liuius ait, 10000 per omnem Hetruriam ſparſa, fuga Romam petijſſe.

Miſſus aduerſus Hannibalem.)

Q. Fabius Max. Hannibalem fregit patientia, ac cunctatione: quanquam & à populo Rom. et à militibus ignauus diceretur: at ille propoſito conſiſtens, immenſam gloriam retulit. Q. Fabius.) *Dictator, cum M. Minutio magiſtro equitum.* Maximus.) *Verrucoſus, Ouicula.* Differendo.) *cunctando.* Fregit.) *Hannibalem.* Occaſione.) *ex M. Minutij occaſione.* Quingenteſimo & quadrageſimo.) *Nos 538. Sed Eutropius Polybium ſequitur, qui duobus anticipat annis: ſed id nihil refert.* L. Aemylius.) *de patricijs.* C. Terentius.) *de plebe. Al. P. Terent.* Mittuntur.) *in Apuliam.* Ambos Coſſ.) *Liuius ait, cum ſolo L. Paulo locutum Fabium.*

Qui Fabius ambos Coſſ.)

Cum Fabius Dictator eſſet, ac ſacrorum cauſa Romam iſſet, M. Minutius eius magiſter equitũ, nactus occaſionem pugnandi cum Hannibale, eum uicit, ac 8000 hominum occidit. Quæ res Romanis ſpem fecit, pugna poſſe Hannibalem uinci: & peroſi Fabij cunctationem, magiſtri equitum imperium, quod fando inauditũ erat, cum Dictatore æquarunt. Quæ res Romanum euertiſſet imperium, niſi bonitas Fabij ei ſubueniſſet. Eius rei memor

mor Fabius, cum uideret temerarium C. Terentiũ Varronem, ut qui talibus artibus in imperiũ uenerat, admonuit L. Paulum Æmylium pulchra, quæ apud Liuium eſt, oratione. In cauſa omnium malorum erat uulgi opinio falſa de patricijs, quòd ipſi uocaſſent Hannibalem in Italiam, & producerent bellum, ut diu in imperio eſſent. Crearũt igitur Varronem qui finiret bellum, ac cõficeret Hannibalem: ſed temeritate ſua idem ille Varro propemodum euertit Romanum imperium. Callidum & impatientem.) *aſtutum & moroſum.*

Varronis Coſ.)

Hic Coſ. Varro clamoribus apud uiliſſimum quemq; tantum euicit, ut alternis diebus adminiſtrarent Coſſ. imperium. Cum igitur L. Paulus aliquandiu Fabiana prudentia continuerit tum ſuos, tum hoſtes: cæterùm Hannibalis ad pugnam parata acies ſtaret ad Cannas, & ſors diei in Varronem incidiſſet, is ſignum pugnæ nihil conſulto collega propoſuit, ac Rempub. Rom. quantum nullus alius afflixit. Varronis.) *plebeij Coſ.*

Conſule altero.) *patricio, id eſt L. Æmylio Paulo.* Cannæ.) *ad fl. Aufidum.* Pugnatum eſſet.) *Fuit hæc quarta cum Hannibale pugna.*

IIII millia Afrorum pereunt.)

Polybius lib. 3. ad finem ait, de Hannibalis exercitu cecidiſſe Gallorum circiter 4000, Afrorum atq; Hiſpanorum ferè mille & quingẽtos, equites ducentos. At Liuius ait, octo millia fuiſſe.

Nullo tamen Punico bello Romani grauius accep.)

Liuius lib. 2. huius belli: Nunquam ſalua urbe tantum

tum pauoris tumultuſq; intra mœnia Romana fuit. Itaque ſuccumbam oneri, neq; aggrediar narrare quæ diſſerendo minora uero facio.

Militum X L millia, equitum III millia.)

Liuius lib.2. ait, X L *millia peditum, duo millia ſeptingenti equitum, & tanta propè ciuium ſociorumq́; pars caſi dicuntur. Atq; apud eundem Liuium poſtea in oratione M. Iunij pro captiuis, & oratione Torquati aduerſus captiuos, L. millia ciuium ſociorumq́; cæſa dicuntur. Polybius ad finem li.3. ait 70000 in prælio eſſe occiſa. De numero Senatorum, prætorum, quæſtorumque, nihil hic cum Liuio conuenit.* Nemo tamen Rom.) *Id Liuius etiam in Hannonis oratione in Senatu Carthaginenſi habita, fatetur.*

Serui, quod nunquam antea.)

Liuius eodem loco: Et aliam formam noui delectus, inopia liberorum capitum ac neceſſitas dedit. octo millia iuuenum ualidorum ex ſeruitijs prius, ſciſcitantes ſingulos, uellent'ne militare, empta publicè armauerunt. Hic miles magis placuit, cum precio minore redimendi captiuos copia fieret. Columella refert lib. 3. Vinitoris optimi precium 8000 æs. hoc eſt ducentis coron. Et in Phormione Terentij ancilla X X X minis amatori uilis uidebatur: hoc eſt, 300 coronatis. nimirum igitur rectè dixit, minore precio redimendi captiuos copiam factam, quàm emerentur mancipia. Quod nunquam ante.) *ſcilicet auditum eſt.*

Poſt eam pugnam.)

Liuius lib. 2. huius belli, ad finem: Quanto autem maior

maior hæc clades ſuperioribus cladibus fuerit, uel ea res indicio eſt, quòd qui ſociorum ad eam diem firmi ſteterant, tum labare cœperunt, nulla profectò alia de re, quàm quod deſperauerunt de imperio. Hæc ille. Cæterùm Liuius ac Polybius non eoſdem populos enumerāt, qui defecerint, & aliquādo diuerſa. ut Polybius Neapolitanos defeciſſe enumerat, quos ſecus Liuius. ita de Tarentinis, quos poſtea proditos ait, ut Metapontū ac Crotona: hic uerò defeciſſe dicat. Multas ciuitates.) *ut Brutij, Lucani, Tarentini.*

Hannibal Romanis obtulit.)

Liu. lib. 2. huius belli, ubi de minorib. caſtris Romanis deditis ſcribit, ita ait: Pacti ut arma atq; equos traderent in capita Romana trecenis nummis quadrigatis, in ſocios ducenis, in ſeruos centenis, in equites quingenis, ut poſtea addit. At Gellius lib. 7. cap. 18. precium in captiuos ait ab Hannibale conſtitutum, argenti pondo, libram & ſelibram. Quæ ſumma nullum hominum diſcrimen facit, ac media propè inter tres Liuij ſupremas ſummas incedit. prima enim ſumma eſt, 30 coron. Tertia, 10. Gellij, 15. At uerò media eſt 20 coron. Romæ ſæpe trecentis nummis quadrigatis, hoc eſt ternis minis emebantur. Certè Liuius lib. 4. Decad. 4. non multis folijs à fine, ait: Ciuium Romanorum centum talentis conſtitiſſe Achæis, cum quingenos denarios precium in capita quod redderetur dominis, ſtatuiſſent. Tractat hoc etiam Budæus libro 2. de Aſſe. Neceſſarios.) *Romanis.*

Varijs ſupplicijs interfecit.)

Hoc apertum mendacium eſt, ſi Polybio credimus: ſed

ſed uenditi ſunt in Græciam maxima ex parte,ut & Li uius teſtatur in 4.Decad.lib.4. non ita longè à fine.

Tres modios.)*unum quadrantal,qui faciunt dimidium modij Friburgenſis.*

Quos è manibus equitum.)

Trium millium equitum annuli non implerent tres modios,opinor : ſed unum modium fuiſſe,opinatur Liuius.

In Hiſpania, ubi frater Hannibalis Haſdrubal.)

Multæ Romanorum in Hiſpania pugnæ fuere, hoc ſecundo Punico bello:ita ſanè uariante fortuna uices,ut quoties in Italia res Romanæ malè haberent, in Hiſpania fœliciſſimè adminiſtrarentur.Cn.Scipio prioris anni Coſ.in Hiſpaniam miſſus à Pub.Scipione fratre,primùm cum Hannone, citerioris Hiſpaniæ duce ab Hannibale illic conſtituto,pugnauit, poſt pugnam Trebianam:VI millibus Pœnorum cæſis,duobus cum ipſo duce captis:ac eodem tēpore paulo pòſt in Auſitanis XII millibus Lacetanorum cæſis,auxilium Auſetanis ferentium.Porrò poſt pugnam ad Traſimenū,idem Cn.Scipio nauali pugna cum Haſdrubalis claſſe,non longè ab Iberi oſtio certauit,quinq; & XX nauibus ex 40 captis.ut uerò frater P. aduenit,auſus tranſgredi etiam Iberum,ac mira arte Ace ducis Hiſpani,omnes Hiſpanorum obſides nactus, omnem in ſe Hiſpanorum fauorem deriuat. Porrò poſt Cannēſem pugnam,Haſdrubalem à duobus ducibus uictum,lib.3.refert Liuius,memorabili pugna,ita ut Haſdrubali non modò in Italiam traducendi exercitus,ſed ne manendi quidem ſatis tutò in Hiſpania

nia ſpes relicta eſſet. A' duobus Scipionibus.) Cn. ac P. *quos* Reipub. *muros Pœnis oppoſitos nominat* Cicero. Mittuntur.) *Meminit* Liu. li. 3. IIII mil. equitum.) 1500 *Liu.* XX elephanti.) & M. *argenti talenta, id eſt* 600000 *coronati.* Anno quarto.) *tertio apud Liuiũ, Marcellus Nolam defendit.* An. V. C. 539.

M. Claudius Marcellus Coſ.)

Pugnam Marcelli ad Nolam aduerſus Hannibalem primum Romanis proſperam magnificè deſcribit Liuius li. 3. huius belli. ſed ea facta eſt anno tertio, quo Marcellus adhuc prætor erat, ut eſt apud Liuium. Coſ.) *Prætor, inquit Liuius.*

Hannibal multas ciuitates Rom.)

Capua Campaniæ caput etiam defecit, de qua multa Liuius lib. 3. huius belli. Petilia in Brutijs expugnatã, Conſentia, Crotõ, Locri, ac poſt longum Tarentum etiã Hannibali proditum. Occupauit.) *uel ui, uel uoluntate.*

Rex Macedoniæ Philippus.)

XXXVII *rex, hoc eſt penultimus.* Polybius *libro* 5. *ait,* Demetrium *Pharium* Illyrium *hoc ſuaſiſſe* Philippo. *Liuius autem li. 3. huius belli, ait* Xenophanem *eius legatum ad* Hannibalem *miſſum, ac bis à* Romanis *captũ, ſemel eluſiſſe* Valerium *Prætorem: ſed ſecundariò unà cum literis* Hannibalis *ac* Punicis *legatis captũ. ac inde reſciſſe* Romanos, Philippi *erga ſe animũ.* Recitatur *fœderis forma apud* Liuium. Contra Græcos.) *ut* Athenienſes & Lacedæmonios. Captis.)

ptis legatis.) *Xenophane legationis principe.* M. Valerium.) *Prætorem.*

T. Manlium Torquatum.)

Hic Tit. Manlius ſtrenuè ſe in Sardinia geßit: ſemel eum Sardis congreſſus, ubi triginta millia hominum cæſa refert Liuius: iterũ cum Pœnis, qui Sardis auxilium ferebãt, XIII millia cæſa, capti Pœnorũ duces, Haſdrubal Caluus, Mago & Hanno. Alterum Haſdrubalem.) *Caluum.* A T. Manlio.) *Liu. lib. 3. Decad. 3.* Mille quingenti.) *III millia DCC. Liuius.*

Haſdrubal & Mago.)

Porrò ad finem eiuſdem æſtatis, ijdem Scipiones Haſdrubalem ac Magonem Hamilcaris, Bomilcarem Giſgonis, ad Illiturgum oppidũ uicerunt, cæſis 16000, captis tribus millibus, mille propè equis, undeſexaginta militaribus ſignis, ac elephantis V. mox altera pugna cum iiſdem, ubi XIIII millia hoſtiũ cæſa, ſupraq; tria capta, cum ſignis duobus & XL, & nouem elephantis. Tum uerò omnes propè Hiſpaniæ populi (inquit Liuius ad finem libri 3. huius belli) ad Romanos defecerunt, multoq; maiores ea æſtate in Hiſpania quàm in Italia res geſtæ.

Decimo anno poſtquam Hannibal.)

Manifeſtus error. octauus enim erat tunc annus, poſtquam Hannibal in Italiam uenit: ſed decimus, quòd factus eſt Imperator in Hiſpania, ac bellũ machinatus.

Hannibal uſq; ad IIII milliarium.) *Ad tria millia, inquit Liuius.*

Capua à Romanis defecerat tertio huius belli anno.

no. Sed ſeptimo eiuſdem belli obſideri cœpta eſt. Octauo anno, cum Hannibal Romanos *obſidentes fruſtrà oppugnaſſet, & eos alia uia ab* Capua *oppugnanda auertiſſet, præceps conſilium tentandæ urbis cœpit. Magnũ terrorem intulit urbi, ſed fruſtrà. nam* Qu. Fuluius *proconſ. ſequutus eſt eum, parato ad confligendum exercitu.* Verùm *cum ante urbem confligerent, ingens imber bis eos ſeparauit, inquit* Liu. *Relicta* Capua *urbs ab* Hannibale, *cum* Vibium Subium XXVII *Senatores ſequuti ueneno ſumpto uitam finyſſent, dedita* Romanis *eſt. Senatores omnes cæſi uirgis, & ſecuri percuſſi: ciues uenundati, urbs ſeruata, ut eſſet oratorum ſedes, ager omnis & tecta publica populi* Romani *facta.*

Equites eius uſque ad portas.)

Liuius lib. 6. huius belli ita inquit: Inter hæc Hannibal *ad* Anienem *fluuium tria millia paſſuum caſtra ab urbe abmouit. Ibi ſtatiuis poſitis, ipſe cum duobus millibus equitum ad portam* Colinam, *uſq; ad* Herculis *templum eſt progreſſus: atq; unde proximè poterat, mœnia ſitumq; urbis obequitans, contemplabatur. Id eum tam licenter atq; ocioſè facere,* Flacco *indignum uiſum eſt. Itaq; immiſit equites, ſummoueriq; atq; in caſtra redigi hoſtium equitatum iuſſit.* Hæc Liuius. *Plinius lib. 15. etiam fatetur, caſtra ad tertium lapidem poſita, ipſum* Hannibalem *ad* Colinam *adequitaſſe portam. Sed* Liuius *34 cap. 6. ait ſolum hoſtium intra urbis muros emiſiſſe haſtam.*

In Hiſpania à fratre Haſdrubale ambo Scipiones.)

Hæc Liuius recitat ante urbis Romæ *ab* Hanniba-

le oppugnationem, quæ anno octauo facta erat. Nihi*lominus octauo anno etiam Cn. cæſum, poſtquam in* Hi*ſpanias uenerat, ac undetriceſimo die poſt fratris* Publij *cædem, idem* Liuius *author eſt*. Porrò *res perditas in* Hiſpania, *unus homo* L. Martius, Septimij *filius, eques* Rom. *reſtituit, collectis ex fuga militibus ultra* 30000 *hominum improuiſò aggreſſus occidit.* Per multos annos.) *non planè ſeptem.*

Et nobiliſsimæ urbis Syracuſanæ.)

Syracuſarum *fortunam* Liuius *copioſè deſcribit: primò eius defectionem à* Romanis, *libro* 4. *anno quinto huius belli: deinde eius expugnationem, ſeptimo anno: ſed libro* 5.

Leuinus in Macedonia cum Philippo.)

Liuius *lib.* 4. *hæc recitat,* Regem Philippum *ad* Apolloniam *caſtris exutum, tribus penè millibus amiſſis, captis aliquanto pluribus terra, magna ex parte inermi exercitu, ſpoliatoq́;.* De *fœdere autem facto* Liuius *lib.* 6. *huius belli anno nono refert, omnes eius conditiones.* Hæc *autem* Valerius *ut prætor egit, illa uerò quæ in* Sicilia *ut* Coſ. *anno* 9 *huius belli, quemadmodum* Liuius *lib.* 6. *refert.* Hic *igitur legendum, contra* Philippum: *non,* Cum Philippo: *& pro coniunctione &, legendũ cum.* Cum Philippo.) *legendum, contra* Philippum, *cum multis, &c.* Eumq́ Romam.) Liuius *ait, cum* Epicide *euaſiſſe. lib.* 6.

XL ciuitates in deditionem accepit.)

Prodita *breui ſunt* XX *oppida,* VI *ui capta, uolũtaria dedi-*

deditione in fidem uenerunt ad X L. *Liuius lib.* 6. *huius belli.* Macedonia fracta.) *ubi Philippus regnabat. ergo cum eo non fecit fœdus: ut facilè hinc erratum ſuperius appareat, ubi cum Philippo & multis Græciæ populis amicitiam factã erat ſcriptum, pro contra Philippum cum multis, &c.* Regreſſus.) *M. Valerius Leuinus.*

Hannibal in Italia Cn. Fuluium Coſ.)

Liuius lib. 5. *huius belli, Hannibalem cum Cn. Fuluio Flacco Prætore in Appulia pugnaſſe ſcribit, ac* X V I *millia hominum occidiſſe, Cneum effugiſſe, ac die dicta in exilium abijſſe: ut lib.* 6. *deinde ait Liuius. At initio lib.* 7. *de altero Cn. Fuluio Centumalo proconſule, qui Coſ. fuerat, anno* 8 *huius belli ſcribit, quomodo ad Herdoneam memorabili pugna ceciderit cum* 12. *tribunis mil. Noſter Eutropius, ut ſolent Romani racematores, confuſè narrat.* Cum octo millibus.) *De Centumalo non aſſerit Liuius numerum, quia uariatur in hiſtoria, alibi* 13 *millia, alibi* 7000. Duobus Scipionibus.) *Cn. & P. fratribus.* Dux erat.) *legitimus, ſed à militibus electus.* Bellum geſſerat.) *& cæſus cum fratre Cneo erat.*

P. Cornelius Scipio mittitur.)

De Scipionis in Hiſpaniam Imperatoris electione, Liuius lib. 6. *huius belli poſt captam Capuam, anno huius belli* 8 *graphicè ſcribit.*

Is Carthaginem.) *ſ. nouam.*

Nono huius belli anno, ut refert Liuius lib. 6. *ad finem, ubi inter cætera ita inquit Liuius de ſpolijs: Pate-*

ræ aureæ fuerunt 276 librales ferè omnes pondo. Ar*genti facti ſignatiq́; 18300 pondo, uaſorum argenteorũ magnus numerus.* Paulo antè *ſic ait: Captus et apparatus ingens belli, catapultæ maximæ formæ* C X X, *minores* C C L X X X I. Baliſtas *maiores* X X I I I, *minores* L I I. *Scorpionum maiorum minorumq́;, & armorum telorũq́; ingens numerus, ſigna militaria* L X X X I I I I *Hæc autem acta ſunt* An. V. C. 544.

Nobiliſsimos quoq; obſides.)

Extra *hanc multitudinem (intellige captorum* Car*thagine noua)* Hiſpanorum *obſides erant.* Quorum *per inde, ac ſi ſociorum liberi eſſent, cura habita.* Liuius *li. 6. ad finem ferè.*

Magonem etiam, Hannibalis fratrem.)

Non *fuit hic* Hannibalis *frater, quippe qui ſeptimo poſt* Carthaginem *nouam captam anno, in agro* Inſu*brium* Gallorum *prælio uictus, cum* Carthaginẽ *accerſeretur, itinere ex* Liguria, *cum uixdum ſuperaſſet* Sar*diniam, ex uulnere moritur, inquit* Liuius *lib.* X *huius belli.* Erat *autem annus* X V I, *cum* Carthago *noua capta ſit anno nono huius belli.*

Scipio Hiſpanorum obſides.)

Obſides *non ſtatim reddidit, ſed eos bonum animum habere iuſsit.* Verùm *poſtea ad multas ciuitates miſit, ut lib. 7. poſtea dicit* Liuius.

Poſt quæ Haſdrubalem fratrem.)

P. Scipio, P. *filius, in* Hiſpaniam *uenit anno 8 huius belli, nono expugnauit* Carthaginem *nouam.* Decimo *cum* Haſdrubale Hamilcaris *pugnauit & uicit, ut non amplius*

amplius in Hiſpania manendum Haſdrubali eſſet. Scipio tamen poſt hanc pugnam non eſt inſequutus eum, ſed ſpacium Haſdrubali reſpirandi dedit, ut in Italiam ueniret. quod Qu. Fabius Scipioni poſtea obiecit in Senatu Romano.

Interea in Italia Coſ. Q. Fabius.

Hic erat annus X huius belli, V. C. 545. Tarenti expugnationem ſcribit Liuius lib. 7. huius belli. Plutarch. in Fabio ait, 3000 talentûm relata in ærarium, quæ facerent 1800000. coron. Cæterùm Hannibal Punicum præſidium & quoſdã ex Brutijs intus habebat. XX millia ſeruilium capitum dicuntur capta. ſigna tabulæq́; propè ut Syracuſarum ornamenta æquarent. Tum.) *Tarento capto.* Inſequenti anno.) *X I huius belli, V. C. 546.*

Scipio in Hiſpania.)

P. Scipio poſt Haſdrubalis ex Hiſpania diſceſſum, trium Romanorum opera potiſſimum uſus eſt. M. Syllani, C. Lælij, & L. Scipionis, nonnihil & L. Martij. certè poſt Haſdrubalis fratris Hannibalis diſceſſum magnũ bellum excitauerat nouus imperator Hanno, in locum Haſdrubalis miſſus: qui pugna uictus à Scipione capitur, Romamq́; mittitur. eum Romam duxit L. Scipio.

Egregias res egit.)

... Liuius lib. 8. huius belli: Hoc maximè, inquit, modo atq; auſpicio P. Scipionis pulſi Hiſpania Carthaginenſes ſunt, quartodecimo poſt bellum initum, quinto poſtquam ipſe Scipio prouinciam & exercitum accepit.

Nam Claudius Marcellus.)

M. Claudius Marcellus occiſus eſt quinto eius conſu

latu: anno autem X I *huius belli,ut deſcribit* Liuius *lib*, 7.*ubi duo duces* Criſpinus & Hannibal *ſagaciter moti ſunt,alter ad inferendam,alter ad cauendam fraudem. Quæ ſequuntur,malè commixta ſunt ab hoc authore,ſi credimus* Liuio. Tertio anno.) *aut altero,ut* Liuius. Scipio.)P. *filius*. Scipio *in* Hiſpaniam *eſt miſſus ad finem anni octaui,ſed ab* V. C. 543. *Hæc autem acta ſunt in* Hiſpania *an*.545,*ut recitat* Liuius. *Sed* Indibilis *captus eſt ab* L. Lentulo, L. Acidino, Romanis *ducibus,poſt diſceſſum* Scipionis. *Multa igitur malè miſcet hic author.* Regem Hiſpaniarum.) Indibilem.

Deſperans Hannibal Hiſpanias.)

Liuius *ait*, Haſdrubalem *à Senatu Carthaginenſi iuſſum ire in* Italiam: *illum autem diſtuliſſe,donec coactus fuerit abire.*

C. Claudio Nerone & M. Liuio.)

An. X II. *huius belli,ab* V.C.547. *Nobile par Coſ. fuerat,de patricia gente* Nero, *de plebe* Liuius: & *qui opponerentur duobus fratribus,quorum alter ab ortu, alter ab occaſu in urbis perniciem magnis exercitibus imminebant.* Nero Hannibali *in* Brutijs *degenti obſiſteret,ne inde exiret.* Liuius Haſdrubalem *contineret,ne* Galliam Ciſalpinam, *ne* Hetruriam *ſollicitaret.interim miſſæ ab* Haſdrubale *ad fratrem* Hannibalem *literæ,à* Romanis *intercipiuntur.*Ibi Nero *audax conſilium cæpit,exercitus ſui alteri committendi. ipſe* 6000 *peditũ, mille equites,quod roboris in exercitu erat,ſimulans ſe ad uicinam urbem expugnandam ire, rectà ad* Liuium *alterũm Coſ.in* Picenum *abijt.* Ibi *ad* Metaurum *flu-*

men,

men,proximè Senam Gallicam,ambo Coſſ.acie inſtructa,totum Haſdrubalis exercitum cum ipſo duce trucidarunt. cuius caput cum cura ſeruatum, ſexto die quo rurſus in ſua ſtatiua redierat Nero,proÿci ante hoſtium ſtationes iuſsit. L V I *millia hoſtium occiſa,capta* V *millia &* C C C C: *redditaq; æqua Cannenſi clades uel ducis uel exercitus interitu uidebatur.* Salinatore.) *Nondum id nomen hic habebat.* Senam.) *Gallicam urbem ad ſuperum mare.* Strenuè tamen.) *ut patre Hamilcare & fratre Hannibale dignum erat, inquit Liuius.* Ingentes copiæ.) V *millia.* Interfectæ.) L V I *millia.* Magnum pondus.) *ita etiam Liuius.*

Poſt hæc Hannibal diffidere.)

Liuius in fine lib.7.Hannibal ut fratris caput uidit,tanto ſimul publico familiariq; ictus luctu,agnoſcere ſe fortunam Carthaginis,fertur dixiſſe.

Romanis ingens animus acceſsit.)

Statum quoq; ciuitatis ea uictoria mouit, ut iam inde haud ſecus quàm in pace res inter ſe contrahere uendendo,emendo,mutuum dando, argentum creditumq; ſoluendo auderent.

Q. Cæcilio, L. Valerio Coſſ.)

An.13.huius belli,V.C.548.De his Coſſ.ait Liuius lib.8.Inde in Lucanos profecti. Ea ſine certamine tota gens in ditionem populi Romani rediÿt. In Brutÿs.) *In Lucanis, inquit Liu. Sic etiam L. Veturio legend.pro L.Valerio. Liuius: Cum Hannibale nihil eo anno rei geſtum eſt. nam neq; ipſe ſe obtulit in tam re-*

centi uulnere publico priuatoq́;. Neq; laceſsierunt quietum Romani:*tantam ineſſe uim, etſi omnia alia circa eum ruerent, in uno illo duce cēſebant.* Hæc ille. *ubi multa alia præclara de* Hannibale,*tandem poſt aliquot uerba ſubnectit, Cedendoq́; in angulum* Brutiũ, *cætera* I*talia conceſſum. in* Brutijs *igitur manſit* Hannibal *per triennium.* Anno XIIII.) V.C.549.

Scipio,&c. in Africam miſſus.)

Scipio non eſt miſſus in Africam, *ſed decreta eſt ei* Sicilia:*permiſſumq́;, ut in* Africam, *ſi id è* Repub. *eſſe cenſeret, traijceret. eo igitur anno, quo* Coſ. *fuit, in* Sicilia *manſit. ſequente uerò anno, qui fuit huius belli* XV. *in* Africam *profectus eſt. Cæterùm de* Scipionis *morib. multa* Liuius *lib.6. huius belli.* Gellius *lib.7. cap.1.* Valerius *item* Max. *de morum eius mutatione lib. 6. cap. 9.* Hab. ſermonem.) *in Capitolio.*

Is in Africa contra Hannonem.)

Scipio, ut primùm Africam *attigit, magnum terrorem omni* Africæ *intulit.* Carthaginẽſes D. *equites cum iuuene quodam* Hãnone *ad mare, ut* Romanos *litorib. arceret miſère. ij in ſtationẽ* Romanã *illapſi, mox in fugam uerſi, ducem amiſerunt.* Carthaginenſes Hannonem, Hamilcaris *nouo equitatui congregato præficiunt. Sed & ille à* Scipione *expugnatur, cæſo etiam duce* Hannone Barchino. *Atq; hæc acta ſunt anno* 550 *ab* V.C. *qui eſt an.* XV *huius belli.* Exercitum eius.) 4000 *equitum, inquit* Liu. Secundo prælio.) *ſequenti anno facto.*

Caſtra cæpit.)

Anno 551 *hæc acta, qui erat annus* XVI *huius belli.*

li. Caſtra Syphacis ac Haſdrubalis incenſa noctu, & cæſa aut hauſta flammis ad XL millia hominum, capti ſupra 6000, inquit Liuius lib. X. huius belli. mox reparatis copijs pugnatum denuò, ac rurſus uicti Carthaginenſes.

Syphacem Numidiæ regem.)

Syphax à C. Lælio atq; Maſiniſſa in Numidia capitur, ad Cyrtham urbem, ut inquit Liuius lib. X. At hic author temerè hæc & miſcet & ſeparat.

Omnis ferè Italia Hannibalem deſerit.)

Octo oppida ad Cn. Seruiliũ Cæpionem defeciſſe, ac multos alios ignobiles populos ſeneſcere Punicũ bellum cernentes, ſcribit Liuius libro X. huius belli, paulo ante Hannibalis diſceſſum. Ita anno XVII.) *Liu. XVI annos ait (& rectè) Hannibalem in Italia fuiſſe. ergo XVI adhuc, non XVII ſcribendum.* Flens.) *uix lachrymis temperans.*

Legati Carthaginenſium pacem à Scipione.)

Hæc quanquam eodem anno, tamen antequam Hannibal in Africam iret, facta ſunt. Leges pacis (autore Liuio) has dixit Scipio: Captiuos & profugos reſtituant, exercitus ex Italia & Gallia deducant, Hiſpania abſtineant, inſulis omnibus quæ inter Italiam & Africam ſunt decedant: naues longas omnes, præter XX, tradant. Tritici quingenta, hordei CCC millia modiûm, pecuniæ ſummam quantam imperauerit. Parum conuenit. alibi V. millia talentûm, alibi V millia pondo argenti, alibi duplex ſtipendium militibus imperatum inuenio.

uenio. Hæc Liuius lib. X. *huius belli. Et poſt has dictas pacis conditiones, iuiſſe Romam legatos, ſed pro ſpeculatoribus dimiſſos.* XLV diebus.) *Nihil de his Liuius.* Datæ.) *à Scipione.* XXX millia pondo.) *id eſt, ter centena millia coronatorum.* His conditionibus dedit.) *ante Hannibalis in Africam reditum.* XXX naues.) XX *Liu.* L. millia pondo.) *Paulo pòſt quingēta millia dicet, hoc eſt* 500000 *coron. quod eſt uériſimilius* Interim Hannibale, &c.) *ad finem huius anni* XVI, *ut ſcribit Liu.* Pax turbata.) *à Carthaginenſibus.*

Multa hoſtilia ab Afris.)

Liuius lib. X. huius belli, ait Carthaginenſes induciarum tempore onerarias Romanorum naues ad Ægimurum tempeſtate delatas, ac à nautis deſertas, à puppibus Carthaginem traxiſſe. Et cum Scipio legatos Carthaginem miſiſſet de iniuria queſturos, penè uiolatos, Hannibalem ad finem huius XVI *anni in Africam rediſſe.* Ex urbe uenientes.) *Cum C. Lælio & Qu. Fuluio Gillone, uenere ad Scipionem.* Iubente Scipione.) *qui noluit talionem reddere Carthaginēſibus.*

Hannibal quoq; frequentibus prælijs.)

Liu. nullum bellum refert ante colloquium. Sed Valerium Antiatem ait dicere, Hannibalem primò prælio uictum, cum alijs X *legatis in caſtra ad Scipionem ueniſſe. Hic uerò erat* XVII *an. huius belli, V. C.* 552.

Frequentibus prælijs.) *Valerius Antias apud Liuium.*

Addita

Addita D.millibus.)

Quid additum ante pugnam ultimam, non exprimit Scipio in colloquio apud Liuium. Sed ſuperius hic, non 500000, ſed 50000 pōdo erãt argẽti. in altero igitur loco error eſt. Et haud dubiè in ſuperiore: nō enim ſolebant Romani parum petere. Quingentis mil.) *quæ prius indicta erant. Vide autem, an hic libram diſtinguat à pondo.*

Summa igitur prior erat	500000 *pondo*
	5000000 *coron.*
Quibus ſi addantur	100000 *libr.*
100000 *lib. quæ effici-*	1000000 *coron.*
ciunt 1000000 *coron.*	*Collectim*
fit ſumma 6000000,	6000000 *coronatorum.*
hoc eſt 10000 *talen-*	10000 *talentûm.*

tûm: ut poſtea indicta refertur à Liuio, poſt pugnam ultimam. Propter nouã perfid.) *id eſt, propter inducias uiolatas, & legatos læſos.*

Et Maſiniſſa, alio rege Numidarum.)

Liuius lib. 9. huius belli magnificè huius Maſiniſſæ fortunam deſcribit. Eſt enim hic rex maximè celebris in Romana hiſtoria. Hic decimo huius belli anno, ut Liuius refert lib. 5. eiuſdem belli, Carthaginenſium amicus erat, ac P. Scipio huius Scipionis pater, eius potiſſimum opera in Hiſpania perijt. adfuit etiã ei pugnæ, qua Haſdrubal Barchinus deuictus eſt ad Betulã urbem, ut lib. 7. huius belli refert Liuius. Ibi beneficio Scipionis, qui cognatum eius eodem captum prælio, liberaliter donatũ ac dimiſſum ei reſtituerat, ſubinde occaſionem quæſiuit,

uit,ut cum Romanis ſocietatem,relictis Carthaginenſibus,faceret.quod ei tandem contigit an. 13. huius belli, ut Liuius lib. 8.refert,poſt fugam ad Betulam,alteram: ubi Haſdrubal Giſgonis,Mago,Barchinus,ac ipſe Maſiniſſa à Scipione deuicti ſunt. Ibi cum M. Syllano, abſente Scipione collocutus,ac paulo pòſt cum ipſo Scipione,antequam Hiſpania exiret,amicitiam iniit. Poſtea in Africa poſt conſulatum Scipionis anno 15 ad ipſum Scipionem uenit,& cum C C equitibus,ut ſcribit Liuius lib 9 huius belli,ac ultimæ etiam pugnæ affuit,ubiq; egregiè ſe gerens,& factis magnificus. Reg. Numidarum.) *Maſæſylorum.* Cum Scip.) *in Hiſpania.* Exploratores.) *Speculatores uocat Liuius,& Valerius libro 3.capite 7. de Fiducia ſui.* Mox etiam prand.) *Hoc etiam Valerius ſcribit, ſed non item Liuius.*

Interea prælium ab utroq; duce inſtructum eſt.)

Liuius ita ait: Ad hoc diſcrimen procedunt poſtero die duorum opulentiſſimorum populorum, duo longè clariſſimi duces,duo fortiſſimi exercitus,multa antè parta decora aut cumulaturi eo die,aut euerſuri.

Penè ipſo Hannibale capto.)

Liuius lib. X ita ait: Hannibal cum paucis equitib. inter tumultum elapſus, Adrumentum profugit, omnia & in prælio & ante aciem,prius quàm excederet,pugna expertus:& confeßione etiã Scipionis,omniũq; peritorum militiæ illam laudem adeptus,ſingulari arte aciem eo die inſtruxiſſe. Paulo pòſt idem Liuius ait: Carthaginem eum accitum,illis pacem ſuaſiſſe. Rurſus dein

de

de inquit: Sunt qui Hannibalem ex acie ad mare perueniſſe, inde præparata naue ad regem Antiochum extemplo profectum tradūt: poſtulantiq; ante omnia Scipioni, ut Hannibal ſibi traderetur, reſponſum eſſe, Hannibalem in Africa non eſſe. CC millia.) Al. XX. quod placet. faciunt autem 200000 argenti pondo 2000000 coron. Auri octingenta.) pondo. Hic nō intelligo millia, quia nimis magna fieret ſumma. 800 aur. pond. 89600 coronatorum, 800000 auri pondo 89600000 coronatorum. Quid ſi octoginta millia legas, 80000 aur. pond. 8960000 coron. Verùm etiam illa nimis magna fieret.

IN EVTROPII LIB. IIII. H. Glareani Annotationes.

Tranſacto Punico bello.)

VT tribus libris præcedentibus complexus eſt autor hiſtoriam quæ eſt apud Liuium in tribus primis Decadibus, hoc eſt libris XXX: ita hic liber IIII hiſtoriam continet ab V.C. 554. uſq; ad V.C. 649. hoc eſt, hiſtoriam annorum 95.

Secutum eſt Macedonicum contra Philippum.)

Anno 5. ſecundi belli Punici, Philippus penultimus Macedoniæ rex, cum Hannibale & Pœnis contra Romanos fœdus fecerat. quia uerò malè ei ceßit hoc fœdus, iterum anno 15. eiuſdem belli pacem fecit cum Romanis: ſed eam mox uiolauit, miſſo Sopatre, uno ex purpuratis & propinquis regis, cum 4000 Macedonum, & pecu-

pecunia in Africam Hannibali, præterea quòd infeſtaſſet in Græcia ſocios populi Romani. Antiquata ferè erat rogatio, qua bellum ei indicebatur, ni Athenienſes urſiſſent negocium, & Ser. Sulpitius Coſ. pulchra oratione populum Romanũ excitaſſet ad bellum inferendũ Philippo. L. & quingent.) *legend. Quingenteſimo & quinquageſimo ſecundo anno. Duobus enim annis differentia ubiq; eſt nobiſcum. Annus hic fuit Vrbis conditæ 554.*

T. Quintius Flaminius aduerſus Philippum.)

Tertio anno poſt quàm cum Philippo bellum ceptũ, T. Quintius Coſ. fuit, qui Philippũ in anguſtijs Aoi amnis uicit, ac in Theſſaliam ire compulit, ac inde in Macedoniam. Deinde reparantem bellum ad Cynoſcephalas in Theſſalia uicit, ac bello finem impoſuit.

Pax ei data eſt his legibus.)

Cum quarto anno huius belli, hoc eſt, an. V.C. 557. uictus eſſet Philippus ad Cynoſcephalas, quinto anno pacem à Romanis impetrauit. Græciæ ciuitatibus.) *in Europa ac Aſia.*

Quas Romani, &c.)

Liuius ac Plutarchus ſcribunt, poſt datam Philippo pacem, T. Quintium cum X legatis à Senatu Romano miſſis in Græciam, præconem cum tubicine in media arena Iſthmiorum ludorum iuſſum proclamare: Senatum Romanum ac T. Quintium imperatorem liberos omnes Græcos ac immunes ſuis legibus uiuere. Ibi tanto clamore ac tanto gaudio præconis uocem eſſe ſuſceptã, ut nemo ſatis ſermone explicare poſſit: Eſſe aliquam in terris

terris gentem quæ ſua impenſa, ſuo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum, &c. L. ſolum naues.) *Liuius ait, Naueis omnes tectas traderet, & regiam inhabilis propè magnitudinis, quam 16 uerſus remorum agebant.*

Per annos X quaterna millia pondo argenti præſtaret.)

Liuius lib. 3. Decad. 4. mille talentis tum mulctatum ait, id eſt 600000 coron. ſcribit tamen, Valerium Antiatem ſcribere eadem quæ hic Eutropius commemorat. Cæterùm 4000 argent. pondo, hoc eſt 40000 coron. per decem annos data, facerent 40000 argenti pond. id eſt, 400000 coron. præſens etiam 20000 argent. pond. facerent 200000 coron. ea addita ait Liu. T. Quintius Flam.) *An. 559.*

Ducem eorum Nauidem uicit.)

Liuius lib. 4. Decad. 4. bene longo ſermone de hoc tyrāno tractat. fuit enim inſigni crudelitate, ac nō parua potentia à Philopœmene uictus, tandem ab Alexamone Ætolo per inſidias obtruncatus, ut Liuius lib. 5. narrat, 4. Decad. In gloriam duxit.) *Hoc etiam inquit Liu. lib. 4. Decad. 4.*

Contra Antiochum regem.)

Antiochus Magnus, ſextus Syriæ & Aſiæ rex, cum Romanorum eſſet amicus, in Romanorum offenſam incidit, ob multas cauſas, & quòd Ptolemæo V. Ægypti, & Attalo Pergami, regibus infeſtus erat: item quòd ciuitatibus Græcorū in Æolide, Ionia ac Doride imminebat, ut grauis dominus: tertiò, quòd in Europa quoque nidulabatur, ædificata urbe Lyſimachia in Iſthmo

Cherſoneſi in Thracia, meminit Iuſtinus lib. 30. ac 31. Acceßit Tho.*s Ætolorum princeps, conquerens Romanorum ingratitudinem.* Nonnihil *momenti & Hannibal attulit, qui ex Africa ad eum profugerat. eius orationem apud Antiochum refert Liuius lib.5. Decad. 4.*
P.Corn.Scipione.)*Naſica, an.563.*

M. Attilius Glabrio in Achaia.)

Antiochus ex Troade ſoluens, nauigaturus in Græciam, Demetriadem uenit, ubi exercitum X millium peditum, & D equites, VI elephantos expoſuit: uix ad Græciam nudam occupandam ſatis copiarum, nedum ad ſuſtinendum Romanorum bellum. Primum itaque ad Chalcidem, ac totam inſulam in ſuam redegit poteſtatem. Rex, tentata Theßalia, ac pleriſq; oppidis captis, ut primum ipſe diſceßit Chalcide, & Romanus exercitus ueniret, omnia ad Romanos defecere, ipſe intra ſaltum Thermopylarum ſe recepit. ſed ueniente Romano Coſ. ex Theſſalia, rex cum omni præſidio de monte deiectus, ac in fugam actus, Chalcidem, ac indẹ Epheſum in Aſiam conceßit. Liu. lib. 6. Decad. 4. Ætoli ad deditionem compulſi ſunt. In Achaia.)*ad Thermopylas.* Nocturna.)*Hoc non dicit Liu.* Romanis.)*M. Attilio Glabrioni.* Filius Demetrius.)*Hoc idem Liu.*

L. Cornelio Scipione, C. Lælio Coſſ.)

Anno 564.

Cum inter L. Scipionē ac C. Læliū contentio eſſet, uter Græciam haberet prouinciā, P. Scipio promiſit ſe legatum iturum fratri Lucio, ſi ei prouincia Græcia daretur: ea promißio litem diremit.

Hannibal

Hannibal, qui cum Antiocho.)

Hanc pugnam deſcribit Liuius lib. 7. Decad. 4. facta eſt in Pamphyliæ littore. Pro Antiocho Hannibal & Apollonius: pro Romanis Rhodij tres duces, Eudemus, Pamphylidas & Heraclitus. Mox ad Myoneſum promontorium inter Teium Samumq́;, L. Æmylius ac Rhodij cum Polyxenida, qui Antiochi claſſi præerat, feliciter pugnarunt.

Ipſe poſtea Antiochus circa Sipylum.)

Legend. circa Magneſiam, quæ ad Sipylum montem eſt, Aſiæ ciuitatem: uel, circa Sipylum ad Magneſiam Aſiæ ciuit. Porrò hanc pugnam ad Magneſiam circa Sipylum montem, magnificè deſcribit Liuius eodem libro: Romanæ duæ legiones, duæ ſociûm ac nominis Latini erant. quina millia & quadringentos milites ſingulæ habebant, equitatus erat duorum millium Rom. Sed Eumenis octingentorum, Achæorum, Triballorum, ac Cretenſium 4000, Thracenſium ac Macedonũ 2000, denique XVI elephanti. Rex autem habebat peditum LX millia, plus XII millia equitum, elephãtos LIIII Indicos, longè firmiores Afris, ut inquit Liuius. idem cæſa ad L millia peditum, equitum 4000 tradit. M & CCCC capti ſunt, & XV cum rectoribus elephanti. Romanorum peditum nõ plus CCC, equitũ XXIIII, Eumenis XXV in acie deſiderati. Eumenes.) *Pergami rex, eius nominis tertius.* Attali.) *ſecundi.* Frater.) *filius.* Eumeniã.) *meminit Ptolemæus in magna Phrygia.* XXX millia.) *L. ait Liuius.* IIII mil.) *Ita & Liuius.* Regis.) *Antiochi.*

Tum rex Antiochus pacem iniịt.)

P. *Scipio lib.7.4. Decad. legatis Antiochi iam prælio uictis tales canit modos: Europa abſtinete, Aſiaq; omni quæ cis Taurum eſt decedite: pro impenſis deinde in bellum factis* X V *millia talentum Euboicorum dabitis.* D. *præſentia, duo millia & D. cum Senatus populusq; Romanus pacem comprobauerint: millena deinde talẽtũm per* X II *annos. Eumeni quoq; reddite* C C C C *talenta. obſides* X X *noſtro arbitratu dabitis. Hæc Liuius.* X V *millia talentũm faciunt coron.* 9000000: *quanquam Euboicum talentum eſt aliquanto minus quàm ſit Atticum minus: ſed Liuius lib.8. Attica uocat talenta, quæ hic Euboica: ubi quædam in fœdere, pace data, uariat.* Quibus ante.) *ſ. prælium.* Offerebatur.) *à Scipione Africano.* X millia talent.) X V *habet Liu.* Et X X obſid.) *Romanorum arbitratu.*

Eumeni regi donatæ ſunt.)

Liuius lib.7. Decad. 4. Cis Taurum montem, quæ intra regni fines Antiochi fuiſſent, Eumeni attribuerentur, præter Lyciã Curiamq;, uſq; ad Mæandrum amnẽ, ea ciuitatis Rhodiorum eſſent.

Scipio Romam rediịt.)

Liuius loco eodem, ad finem lib.7.L. Scipio tulit in triumpho ſigna militaria C C X X X I I I I, *oppidorum ſimulachra* C X X X I I I I, *eburneos dentes* M. C C X X X I, *aureas coronas* C C X X X I I I I, *argenti pondo* C X L V I I *millia* X X. *tetradrachmum Attic.* C C X X I I I I. *Ciſtophorum* C C C X X X I *mill.* & L X X: *Philippeos aureos* C X L *millia. uaſorum*

arg.

*arg pondo mill.*C C C C X X I I I I.*uaſorum aureorũ mille pond.*X X I I I I.*duces,regij præfecti,& purpurati currũ ante ducti* X X X II. *Sũma,præter coronas,* 2039213 *coronatorum.*Quòd *ſi quis coronas illas aureas* X X V *pondo fuiſſe faciat, qualem* Carthaginenſes Romanis *miſerunt poſt tres illas cum* Samnitib.*pugnas, quibus de* Liuius *lib.7.ſub finem ab* V. C. *erit ſumma* 655200 *coronat. ſiquidem ſingula pondo per 112 multiplicauerimus.* Sp. Poſthumio.) *An.* 568.

M. Fuluius de Aetolis triumphauit.)

Hic M.Fuluius Nobilior *Coſ. factus erat cum* Cn. Manlio *Volſone,anno* 565. *poſt* Antiochum *deuictum. & miſſus aduerſus* Ætolos, Ambraciam *nobilem urbem quæ ad* Aetolos *defecerat,obſeſſam in deditionem accepit:cum* Ætolis *pacem fecit,* Cephaleniam *uicit,ac inde* Lacedæmonem *fecit* Achæorum,*ante Coſſ.*Poſthumium *ac* Martium Philippum *triumphum petijt, ac ægrè obtinuit ob inimicitiam Coſ.* Æmylij Lepidi. *Aureæ coronæ* C X I I *pondo ante currum latæ ſunt,argenti pondo millia* L X X X I I I.*auri põdo* C C X L I I I,*tetradrachma* Attica C X V I I I *millia:* Philippei *nummi* X I I *millia* C C C C X X I I.*ſigna ænea duxit* C C L X X X V.*ſigna marmorea* C C X X X.

Hannibal, qui uicto Antiocho.)

Cum Hannibal *in* Antiochi *cauſa à* Romanis *fœdere depoſceretur,ad* Bithyniæ *regem* Pruſiam *fugit.Cæterùm cum* Pruſias *ſuſpectus eſſet* Romanis, *duabus de cauſis, & quòd* Eumeni *bellũ indixiſſet,& quòd* Hannibalem *hoſpitio ſuſcepiſſet:*T. Quintius *ad* Pruſiã *miſ-*

ſus eſt, cui gratificatus Pruſias, Hannibalis domum inuaſit, ac cuſtodia ſepſit. Igitur Hannibal conatus per exitus occultos elabi, ſed fruſtrà, uenenũ bibit, atq; ita expirauit. Venenum bibit.) *an. 571.* Nicomedenſium.) *Nicomediæ urbis Bithyniæ.*

Philippo rege Macedonum mortuo.)

Longè ante mortem, Philippus bellum mouere Romanis deſtinauerat: ſed fortuna filiorum uexatus, qua minorem natu Demetrium ſuſtulerat, nimis gratum Romanis, Perſea ſceleratum hæredem reliquit, conata perficere nequiuit. Perſes primum Carthaginenſes ſollicitauit. Eumenem Pergami regem prope Delphos per inſidias occidere tentauit: ſocios populi Romani armis uexauit. congregato itaq; ingenti exercitu, Theſſaliam ingreditur. cui fit obuiam P. Licinius Coſ. Et primùm equeſtri prælio uincit Perſeus. & multis paruis prælijs factis, rurſus Licinius pugna equeſtri uicit. Atq; hæc primo acta anno. Bellum geſſerat.) *ante Antiochum. Mortuus eſt autem an. V. C. 575.* Filius eius Perſ.) *De hoc Iuſtin. lib. 33. Annus hic fuit V. C. 582. quo anno Perſeus hoſtis eſt declaratus.* Cotyn, Gentiũ, &c.) *Meminit horum omnium regum Liuius lib. 2. Decad. 5.* Illyrici.) *regionis inter Hadriaticum mare & Alpes.* Aſiæ rex.) *Pergami.* Cappadociæ.) *regionis ad pontum Euxinum.* Antiochus.) *Epiphanes Magni filius.* Ptolemæus.) *Philometor, VI rex.*

Pruſias autem rex Bithyniæ.)

De Pruſia ita inquit Liuius lib. 2. Decad. 5. Pruſias Bithyniæ rex ſtatuerat abſtinere armis, euentumq; expectare.

ſtare. Nam neq; pro Romanis ſe æquum cenſere, aduerſus fratrem uxoris, arma ferre: & apud Perſea uictorem, ueniam per ſororem impetrabilem fore ſatis ſperabat.

Dux Rom. P. Licinius Coſ.) *Anno V. C. 583.*

Hic fuit primus annus, quo in Macedones exercitum duxit P. Licinius Coſ. nihil dignum Rom. imperio actũ. in Theſſalia enim duntaxat prælia parua equeſtria fecerat. Eodem modo ſecundo anno nihil dignum ſub Hoſtilio Coſ. geſtum. tertio autem anno Q. Martius Philippus Coſ. magnis laboribus exercitum in Macedoniam duxit, nulla tamen memorabili pugna facta: Perſeum eò tamen redegit, ut gazã in mare deijci, et Pellæ Theßalonicæ naualia iußerit incendi, ut inquit Liuius lib. 4. Decad. 5. Graui prælio.) *equeſtri, in Theſſalia.* Mox miſſus.) *An. 586.*

L. Aemylius Paulus Coſ.)

Hic fuit annus belli Macedonici quartus, quo in Græcia exercitus fuerunt, ſub Coſ. P. Licinio, C. Hoſtilio, Q. Martio, & iam L. Æmylio. Hoc anno aũt Gẽtius à Perſeo conductus C C C talentis, id eſt 180000 coronatorũ, ſed X duntaxat accepit. fuerat autem rex Lyßi urbis ad Hadriaticum mare in littore, ad finem Dalmatiæ: & caput regni erat Scodra, quam expugnauit C. Anitius, ut hic author: ut Liuius, L. Anicius per c. Mater eius.) *De hac nihil Liuius lib. 5. Decad. 5. ad finem.* Vxor.) *Etleua.* Filij.) *Scerdilius & Pleuratus.* Frater.) *Carauãtius.* Antè cognitũ eſt.) *Hoc unũ bellũ prius perpetratũ, q̃ cœptũ, Romæ auditũ eſt.*

Cum Perſeo autem L. Aemylius Paulus Coſ.)

Liuius lib. 4. quintæ Decad. ait: pridie nonas Septẽbres pugnam hanc fuiſſe. Porrò ea nocte quæ pridie Nonas præceſſerat, eclipſim fuiſſe lunæ: ac prædictũ à C. Sulpitio Gallo pro concione ad milites Romanos, ne terrerentur ac portentum putarent, quod naturaliter fieri conſueſſet.

Vicitq; eum X X millibus peditum.)

Hoc etiam Liuius. Hæc eſt nobilis illa pugna ad Enipeum flumen, inter L. Paulum Æmylium ac Perſea regem ultimum Macedonum. Fuerunt à Cranæo primo eorum rege uſq; ad hũc, 38 reges, qui rexere annos 918, & aliquot menſes. decem millia talentûm apud eum inuenta, id eſt 600000 coron. Plin. autem lib. 33 cap. 3. ait, L. Æmylium Paulum in ærarium intuliſſe ter millies HS. noſtro numero 300000000 HS, qui faciunt 7500000 coron.

X X millibus peditum eius occiſis.)

Liuius libro quarto Decadis quintæ: Sex millia uiui in poteſtatem uenerunt: & uagi è fuga V millia hominum capta.

Equitatus cum rege fugit integer.)

Rex ex pugna per Pieriam ſyluam primùm Pellam uenit, ſed timore mox inde Amphipolim tertio die uenit: inde in Samothracem inſulam nauigauit, ducens ſecum 2000 talentûm, hoc eſt 1200000 coron. ſed ibi ab omnibus derelictus, Cn. Octauio traditur, atq; ad Coſ.

Paulum

Paulum ducitur, gratum (quanquam inſuetum) ſpecta-culum. Vrbes Maced.) Berœa, Theßalonica, Pella. Omnes.) tardius Pydna, ergo direpta. Pauli.) Æmyly.

Ipſe rex cum deſereretur ab amicis.)

Liuius lib. 5. Decad. 5. Ex Samothrace ſcripſerat epiſtolam, Rex Paulo S. ſed titulus regis offendit Paulũ, ut non reſponderit. ad ſecundam autem epiſtolam, ubi regis nomen omiſit, reſpondit, ac legatos ad eum miſit.

Et uolentem ſibi ad pedes cadere.)

Liuius eodem loco: Cum Coſ. in prætorio ſederet, ac uia facta eſſet, Perſeo ingreßuro, cõſurrexit Coſ. et iußis ſedere alys, progreſſusq; paululum, introeunti regi dextram porrexit: ſummittentemq; ſe ad pedes, ſuſtulit, nec attingere genua paſſus: introductum in tabernaculum, aduerſus aduocatos in conſilium conſedere iußit. Vt liberi eſſent.) ut uterentur ſuis legibus, annuos crearent magiſtratus, &c. Præſtarent.) penderent populo.

Vt appareret populum Romanum.)

Liuij uerba: Vt omnibus gentibus appareret, arma populi Romani non liberis ſeruitutem, ſed contrà ſeruientibus libertatem adferre, Suſtulit autem metalli Macedonici uectigal, locationesq; prædiorum ruſticorum. Nam neq; ſine publicano exerceri poſſe: & ubi publicanus eſt, ibi aut ius publicum uanum, aut libertatem ſocijs nullam eſſe.

Legationes multarum gentium.)

Liuius lib.5.Decad.5.ita ait: Ab feſſis rebus ludicrum magno apparatu Amphipoli fecit.Epulæ quoque legationibus paratæ & opulentia & cura eadem. Vulgo dictum ipſius ferebant: Et conuiuium inſtruere, & ludos parare, eiuſdem eſſe qui uincere bello ſciret. Pauit.) *excepit.*

Mox L X X ciuitates Epiri.)

Romani cum Epirotis inhumaniter egerunt. omnes enim urbes eorum qui ad Perſea defecerant, diripiēdas conceſſerunt. malicioſè etiam Æmylius denos principes ex omnibus urbibus cum auro ac argento ad ſe accerſiuit, quaſi deducturus præſidia ex iis urbibus, ut eſſent liberi, ut Macedones. Sed poſt id factū miſsis latronibus, id eſt, militibus, uniuerſam gentem perdidit: C L millia capitum humanorum abducta. Rebellarant.) *ad Perſea defecerant.* Prædam.) *in prædam.* In naue Perſei.) *Meminit lib. 5. Liuius Decad. 5. & lib. 3. Decad. 4.*

Triumphauit magnificentiſsimè.)

Liuij uerba lib.5.Decad.5.Sed non Perſeus tantum per illos dies documētum humanorum caſuum fuit, in catenis ante currum uictoris ducis per urbem hoſtium ductus: ſed etiam uictor Paulus, auro purpuraq; fulgens. Nam duobus è filijs, poſt duobus datis in adoptionem, quos ſolos nomine ſacrorum familiæq; hæredes retinuerat domi, minor fermè X II annos natus, 5 diebus ante triumphum, maior X I I I I annorum triduo poſt triumphum deceßit. Hæc Liuius lib.5. Dec.5. Ergo, quod hic author dicit, aut de duobus alijs filijs in alias familias datis,

tis, Q. Fabio & P. Africano, intelligitur: aut falſum eſt. Duo regis filij.) *Philippus & Alexander.* Poſt eum.) *Paulum Coſ.* C. Anitius.) *Prætor.*

C. Anitius de Illyricis triumphauit.)

Liuij uerba eodem loco: Hærente adhuc non in animis modo, ſed penè in oculis memoria Macedonici triumphi, L. Anitius Quirinalibus triumphauit de rege Gentio, Illyrijsq́;. Similia omnia magis uiſa hominibus, quàm paria. Cum fratre.) *Carauantio.* Filijs.) *Scerdilio & Pleurate.*

Attalus atque Eumenes Aſiæ reges.)

Eumenem hoc tempore non fuiße Romæ, ſatis liquet ex oratione Stratij medici li. 5. Decad. 5. Liuij. Sed poſt uenit, ut ait Florus lib. 46. ab initio. Pruſias etiam.) *Vide hoc ad finem libri 5. Decad. 5. apud Liuium.* In ſequenti anno.) *De hoc non temerè quicquam apud alios reperias.* L. Memmius.) *Minutius eſt in altero exemplari. An. 587.* Marcellus poſtea.) *An. 588.* Tertium deinde.) *An. 604.*

Tertium deinde bellum.)

Hoc bellum Florus deſcribit, tum in ſua Epitome libro 2. tum in Liuij 49 & 51 libris. IIII durauit annis, quinto finitum eſt. Cœpit anno ab V. C. 604, aut 602 ſecundum Liuium, qui duobus annis à noſtra diſtat ſupputatione. Cauſas multas afferunt authores, quòd exercitum contra fœdus, item claſſem armaſſent, quòd Maſaniſſæ graues eſſent: deniq; quòd legatos Romanos uiolare uoluerint: ut li. 48. Florus ait. Sed reuera timor

æmulæ

æmulæ urbis Romanos *ſtimulabat, & lateri adhærens fax* Maſaniſſa.In Senatu Romano , M. Cato *ſuadebat bellum,ac Carthaginis excidium. contrà,*P. Scipio Na*ſica,qui ſecũdo bello* Punico *optimus uir iudicatus erat, ſeruandam pronunciabat,ne metu ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas urbis inciperet. medium Senatus elegit,ut urbs tãtum loco moueretur : nihil enim ſpecioſius uidebatur,quàm eſſe Carthaginem,quæ non timeretur, ut* Florus *ait libro* 2 *. in ſua* Epitome. Bell. cont. Carth.)*id eſt* Punicum. Et altero anno.)*quarto, ſecundum alios,*V. C.604. 605. Manlio.)*Martio legend.* M. Manilio.) A. *Manlio.* Secundum Punicum.)*contra Carthaginenſes.* Expugna.)*oppugnauerunt.*

Hi profecti Carthaginem oppugnauerunt.)

Velleius Paterculus *priore uolumine de Carthagine ita ait:Eamq; urbem magis inuidia imperij,quàm ullius eius temporis noxiæ inuiſam* Romano *nomini,*P.Scipio Pauli *filius ſuſtulit.* Famea dux.)*Phaneas eſt in* Floro *lib.50.*

Scipio tunc,Scipionis Africani nepos.)

Hiſtoria apud Florum *in ſua* Epitome *lib.* 2. *ita habet:* An. Manlio *Cenſorinoq; Coſſ. populus* Romanus *aggreſſus Carthaginem,ſpe pãcis iniecta,traditam à uolentibus claßem ſub ipſo ore urbis incendit. tum euocatis principibus,ſi ſalui eſſe uellent,ut migrarent finibus, imperatum.quod pro rei atrocitate adeò mouit iras , ut extrema mallent.Hæc* Florus*.Inde ad arma clamatum,*

uariaq;

uariaq; fortuna pugnatum. ubi Scipionis Æmyliani enituit uirtus, cum Coſſ. ſæpe malè pugnaſſent, tandem ipſe Coſ. factus urbem euertit. Cæterùm cum dimidia diruta eſſet, plus negocij fuit cum ſemiruta ciuitate quàm integra, ut idem inquit Florus. Africani.) *ſ. ſuperioris.* Nepos.) *per adoptionem.* Tribunus.) *L. Pauli filij.* Metus.) *timor apud hoſteis.* Reuerentia.) *apud amicos.*

Nam & paratiſsimus ad dimicandum.)

In Hiſpania, cum quodam prouocante Scipio ſingulari certamine congreſſus uicit, & in oppugnatione primus murum conſcendit. Et ante Carthaginem duas cohortes, cum temerè irrupiſsent, è manibus hoſtium eripuit, item temeritatem alterius conſulis in ſaltu quodam malè ducto exercitu emendauit. Ad dimicandum.) *aduerſus hoſteis.* Conſultiſſ.) *inter ſuos.* Per eum.) *Scip. Æmylianum.* Haſdrubal.) *dux exercitus.* Famea.) *equitum dux.* Committere.) *dimicare.*

Per idem tempus Maſaniſſa rex Numidarum.)

De hoc Maſaniſſa Liuius lib. 9. ſecundi belli Punici multa ſcribit, ut ſuperius ad finem præcedentis libri dictum eſt. an. ab V.C. 548, Maſaniſſa in Scipionis ſuperioris gratiam uenit, ſed mortuus eſt an. ab V.C. 606. Reſidui ſunt anni 58. Sexaginta ferè.) *deſunt duo anni.* Cum igitur.) *Anno 607.*

Iuuenis adhuc Coſ. eſt factus.)

Florus quoq; in Liuij Epitome, libris 49 ac 50 ait, hunc

hunc Scipionem Coſ. factum legibus ſolutum, quoniam per ætatem non liceret. Quod mihi non uidetur uerum. Nam Liuius lib. 4. Decad. 5. ait, eum bello Macedonico cum patre Paulo Perſei captiuitati adfuiſſe, cum iam 17 annum haberet, à qua captiuitate huc uſq; 21 anni ſunt. fuiſſet ergo 38 annorum, cum factus eſt Coſ. quod utiq; licebat per ætatem.

Eam cæpit, ac diruit.)

Quanta urbs deleta ſit, ut de cæteris taceam, uel ignium mora probari poteſt. Quippe per continuos decem & ſeptem dies, uix potuit incendium extingui, quod do mibus ac templis ſuis ſponte hoſtes iniecerant.

Ita Carthago ſeptuageſimo.)

Vide Florum lib. 51. in Liuij Epitome. In ueteriore co dice bene habebatur Septingenteſimo anno, cum id in quibuſdam libris corruptum ſit. Interim.) *uiceſimo quarto, aut circiter, anno poſt deuictum Perſeum.*

In Macedonia quidam.)

Andriſci, qui & Pſeudophilippus, Florus in Liuij Epitome tribus libris mentionem fecit. lib. 48. ait eum Romam miſſum. ſed 49 ait eum ab urbe clàm profugiſſe: deniq; lib. 50. ait eum Iuuencium uiciſſe, ſed à Metello cæſum. Et Andriſcum uocat utrobiq; Florus, li. 48. & 49. ſed lib. 50. Pſeudophilippum. At idem Florus in ſua Epitome de uno Andriſco, Pſeudophilippo dicto, hiſtoriam ſcribit à Qu. Cæcilio Metello deuicto. Rurſus in 53 libro alterius Pſeudophilippi meminit, conformiter cum hoc Eutropio.

Poſt eum, Q. Cæcilius Metellus.)

Hoc anno fuit Coſ. Q. Cæcilius Metellus, Sed ſi eum

Mumio

Mumio ac Africano triumphauit, ut paulo poſt dicturus eſt, oportuit ante Conſulatum uiciſſe Andriſcum. Dux.) *Coſ. inquit Florus in 2. ſed dubito. An. 611.*

Macedoniam recepit.)

De Achæis uide Iuſtinum lib. 34. ac inuenies, Romanos inuidêtia in omnes liberas urbes motos, id niſos, ut omnem terrarum orbem in ſeruitutem ſub libertatis ſpecie redigerent, initio à Carthagine æmula urbe facto, cuius ruinam Corinthus excepit, mox nobiliſsima in Hiſpania urbs Numantia. prouincias etiam liberas ſtatim in ſeruitutem rapuerant, ut Macedoniam & regum regiones, eiectis regibus. Sic Rhodum, Cyprũ, Cretam, Aſiam, & quem non? Cæterùm hic Romani primùm Macedoniam in prouinciam redegerunt, ac tributariam fecerunt.

Corinthijs quoque bellum indictum.)

Ius gentium legatos tutos facit. Sed Romani in legationibus tyrannos agebant: & quicquid uolebant, præcipiebant. Quod ſi quis iniuriæ eorum obſiſtebat, ibi legatos contra ius gentium pulſatos querebantur, inde ad urbium euerſiones properabant. ita Corinthus deleta, & aliæ innumeræ urbes. Quoq.) *cum Achæis.* Hanc.) *Corinthum.*

Tres igitur Romæ ſimul celeberr.

Tri.)

Si uerum eſt hos tres ſimul triumphaſſe, puto hoc factum anno ab V. C. 608. Et Metellum, ante conſulatũ, Prætorem triumphaſſe. At Florus in Liuij Epitome, lib. 52, coniungit Metelli ac P. Scipionis triumphos. Mumij paulo

paulo pòſt refert. Africani.)*poſterioris.* Ex Africa.)*Carthagine.* Andriſcus.)*qui ſe Perſei nothū aſſeruit.* Iterum.)*An.611.*

Macedonia Pſeudoperſeus.)

De hoc ſecundo Pſeudophilippo Florus in Liuij Epitome obiter meminit lib.53.in ſua nihil,ut planè fabulam putem.Nam Pſeudophilippum uocat,quem hic authोr Pſeudoperſea nominat.Sed priorem Florus lib.49. in Liuij Epitome ait ſe Perſei filium dixiße,non Philippi.Eſt igitur ualde ſuſpecta hiſtoria,ac oppidò obſcura. Veriſimilius tamen eſt hunc poſteriorem Pſeudoperſea dictum, quaſi falſum Perſei filium: illum Pſeudophilippum,quaſi Philippi nothum, aut falſò exiſtimatum filium.

His diebus androgynus.)

Hæc uerba in al. exemplari omiſſa erant. Cæterùm Liuius lib. 7. ſecundi belli Punici,quid ſit androgynus exponit. Et Sinueſſæ natū ambiguo inter marem ac fœminam ſexu infantem,quos androgynos uulgus(ut pleraque) faciliore ad duplicanda uerba Græco ſermone, appellat.Hæc ille. Secūdo bello Punico bis ita natus,anno X eius belli, et XII,et in mare proiectum monſtrū, ſicut hic factum, fertur.

Metellus in Celtiberia.)

Florus lib.2.de Metello:Metellus ille qui ex Macedonia cognomen meruerat,& Celtibericus fieri,cum & Contrebiam memorabili cepiſſet exemplo, et Verſobrigis maiori gloria pepercit.meminit & lib. 53. in Liuij Epitome. Metellus.) *Procos.ait Florus. Ergo anno* 612. Succeſsit ei.) *anno 613,* Nec multo pòſt.)

Anno

An. 614. Q. quoq; Cepio.) Qu. Seruilius eſt apud Florum lib. 54. & li. 2. Coſ. Cepio. Sed nihil magnificum de Pompeio refert.

Quod quidem Viriatus.)

Viriati meminit Iuſtinus libro 44. hoc eſt ultimo. Et Florus lib. 52 & 54. in Liuij Epitome. & in ſua, lib. 2. ſub finem.

Quo metu Viriatus à ſuis interfectus.)

Florus in Liu. Epitome lib. 52 ait, Viriatum duos Prætorum exercitus profligaſſe, tantumq; terroris intuliſſe, ut aduerſus eum conſulari opus eſſet & duce & exercitu. In lib. 54. idem de eodem: Qu. Fabius proconſ. rebus in Hiſpania proſperè geſtis, labem impoſuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta. Viriatus à proditoribus, conſilio Q. Seruilij Cæpionis interemptus eſt, & ab exercitu eius multum deploratus, & nobiliſſimè tumulatus: uir, duxq; maximus per XIIII annos, quib. cũ Romanis bellũ geſſit, frequẽtius ſuperior. Velleius Paterculus lib. 2. ab initio: Sed interempto (inquit) Viriato fraude magis quàm uirtute Seruilij Cæpionis, Numantinum grauius exarſit. A' ſuis interf.) à domeſticis, per fraudem Seruilij, ab eo corrupti. Latronum.) erronum. Aſſertor.) uindex.

Cum interfectores eius.)

Seruilium Cæpionem intelligit, qui ut Viriatum cõficeret, per fraudem & inſidias & domeſticos percuſſores aggreſſus, hanc hoſti gloriam dedit, ut uideretur aliter uinci nõ potuiſſe: ut inquit Florus in ſua Epitome, libro ſecundo ſub finem. A' Scipione.) Naſica Se-

 rapione.

rapione. Conſule.)*Anno 616.* Imperatores.) *ut Viriatum à ſuis domeſticis percuſſoribus.*

Q. Pompeius deinde Coſ)

De Q. Pompeio antè dixit. fuit enim Coſ. ante Viriati mortem. ergo uel Ante legendum, & Fecerat: aut pro Q. Pompeio legendum, M. Popilius Coſ. An. 615. Quæ Hiſpaniæ.)*citerioris, ut inquit Plinius.* Poſt eum.)*Anno 617.*

C. Hoſtilius Mancinus Coſ. iterum.)

Florus lib. 2. ſub finem: Numantia quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior: ita uirtutis nomine & honore par omnibus, ſummumq́; ſi uiros æſtimes, Hiſpaniæ decus. Quippe quæ ſine muro, ſine turribus, modicè edito in tumulo apud flumen Durium ſiue Silaram ſituata, IIII millibus Celtiberorum XL millium exercitũ, per annos XIIII ſola ſuſtinuit: nec ſuſtinuit modò, ſed ſæuius aliquãto pertulit, pudẽdis fœderib. affecit. Nouiſsimè cum inuictã eſſe conſtaret, opus quoq; eo fuit qui Carthaginem euerterat. Non temerè (ſi fateri licet) ullius cauſa belli iniuſtior. Hæc Florus: qui ſatis fatetur, iniuſtè Numantinis bellum illatum à ſceleratis Romanis. Infringi.)*irritam eſſe.* Iniuriam ſol. fœd.)*ſi reddidiſſent etiam legiones, ſatisfactum erat Numantinis.* Exercitus fuerant.) *Syllepſis numerorum.* P. Scipio.) *poſterior Æmylianus.* Secundò.)*Anno 620, cum prius fuiſſet, Anno 607.*

Is primùm militem uitioſum.)

De hac militum correctione multa Florus in Liuij Epitome libro 57. Item & in ſua libro 2, ad finẽ. Scorta

ta enim, calones, ſarcinæ niſi ad uſum neceſſariæ, amputata ſunt. Vitioſum.) *corruptum.* Exercendo.) *ad labores cogendo.* Sine acerb.) *ſine ſanguine.* Cæpit.) *ui expugnauit.* Deditionem.) *uoluntariam.*

Numantiam diu obſeſſam.)

Florus in 2. Nouiſſimè maximo duce oppreſſi ciuitas nullum de ſe gaudium hoſti reliquit. Vnus enim uir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: præda, ut de pauperibus, nulla arma cremauerunt. Triumphus fuit tantum de nomine. Rel. prouinciam.) *Celtiberorum. Hoc anno 621, capta eſt Numantia: quia 14 annis poſt Carthaginem deletam.*

Eo tempore Attalus rex.)

Pergami, primus poſt Lyſimachi mortem imperium habuit Philetærus Spado: ſecutus eſt Eumenes, Philetæri ex Eumene fratre nepos, qui abſque hærede reliquit regnum Attalo, Attali Philetæri fratris filio, qui ſecundo bello Punico Romanos iuuit contra Philippum ac Pœnos. is quatuor habuit filios: Eumenem, Attalum, Philetærum, Athenæum. Eumenes ſucceſſit Attalo, relinquens filium Attalum, de quo hic. Igitur legendum filius Eumenis, non frater. Vide Florum libro 58. Mox etiam.) *imò hæc ante captam Numantiam ſunt geſta.*

Decimus Iunius Brutus.)

Multa de hoc Florus libro ſecundo: D. Iunius Brutus aliquanto latius Gallecos Luſitanóſque, omnes Galletiæ populos, uicit, formidatúmque militibus flumen obliuionis: peragratóque uictor Oceani littore,

non prius ſigna conuertit, quàm cadentem in maria ſolem, obrutumq́; aquis ignem non ſine quodam ſacrilegij metu & horrore deprehendit. Hæc ille. Ptolemæus Cal*laicos uocat.*

D. Iunius Brutus.) *Coſ. cum Serapione, anno 616.* De Gallicijs & Luſitanis.) *in Hiſpania, maximè ad occaſum, à Durio uſq; ad extremam Hiſpaniæ partem, ſeptentrionem uerſus.* Secundum triumphum.) *crudelẽ, inanem, nec ſatis honeſtum, quia ex iniuſta cauſa: ut ait Florus libro ſecundo.*

Motum interea in Aſia bellum.)

Florus lib. 59 in Liuij Epitome ſic habet: Ariſtonicus regis Eumenis filius, Aſiam occupauit, cum teſtamento Attali regis legata populo Romano libera eſſe deberet. aduerſus eum P. Licinius Craßus Coſ. cum idem pontifex max. eſſet, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, prælio uictus & interemptus eſt. M. Perpenna Coſ. uictum Ariſtonicum in deditionem accepit. Hæc ibi. Sed in ſua Epitome ad finem lib. 2. multa alia annectit. Meminit & Iuſtinus lib. 36. ad finem.

Interea.) *Anno 623.* Eumenis.) *tertij filio notho.*

TRES

TRES FRATRES,

Philetærus *Spado.*

1 Eumenes, *natu grandior.*

2 Attalus, *natu iunior.*

2 Eumenes, *hic poſt Philetærum Pergami ſucceßionem habuit. Antiochum Sotera apud Sardeis uicit. Obijt, cum regnaſſet annos 22.*

2 Attalus *rex. Hic Galatas uicit: & ſecūdo bello Punico cum Romanis cōtra Philippum Maced. regem bellauit. Regnauit an. 43. cui Eumenes ſucceßit. Huius quatuor traduntur filij.*

3 Eumenes. *Hic contra Antiochū magnū & Perſem reges pro Romanis bellauit. Regnauit annis 49. relinquens ſub tutela Attali fratris filium Attalum.*

Attalus IIII. *Hic Philometor dictus, cum Samis regnaßet, mortuus eſt, & populum Romanum hæredem inſtituit.*

Strab. li. 13.

3 Attalus. *Hic tutor paruuli relicti Attali, 21 annis regnū ut tutor adminiſtrauit, multaq; alia geßit contra Demetriū Sotera, Pſeudophilippum, ac Pruſiam.*

Philetærus, Athenęus. *Hi duo priuati uixerunt, ſicut & Attalus, quoad uixit Eumenes. Poſtea uerò tutor factus minimi Attali, multa magnificè geſſit.*

Commemorātur ergo duo Philetæri, tres Eumenes, quatuor Attali.

Ex concubina.)

Epheſia, citharistriæ filia. Is Eumenis.) *ſc. nothus.* Frater.) *illegitimus.* Attali.) *ultimi, qui hæredem fecerat populum Romanum.* Nicomedes.) *Pruſiæ filius.* Bell. grauiſsimum.) *per 40 annos.* Cappadox.) *rex Cappadociæ, regionis ad Pontum Euxinum.* Paphlagon.) *Paphlagoniæ rex, ad Pontum Euxinum regionis, Cappadociæ prox.* Caput.) *ſ. Craßi.* Poſtea.) *Anno 624.*

Poſtea Perpenna Coſ. Rom.)

De ho: M. Perpenna Valerius Maximus lib. 3. cap. 4. & Iuſtinus libro 36. ad finem. ex humili enim loco factus eſt Coſ. Rom. Et poſt mortem eius pater ciuitate expulſus eſt: nec filius fuit ciuis, cum factus eſſet Coſ. Perpenna.) *Coſ. antè, quàm ciuis.* Succeſſor.) *in cõſulatu.* Stratonicem.) *Stratonicenſium eſt in ueteri codice.*

Fame ad deditionem compulit.)

Iuſtini uerba lib. 36. In huius (Craßi ſcilicet) locum miſſus Perpenna Coſ. prima congreßione Ariſtonicum ſuperatum in poteſtatem ſuam redegit, Attalicasq́; gazas hæreditarias populi Romani nauibus impoſitas, Romam deportauit. Hæc ille. Hic autem dicitur Perpenna Pergami mortuus. Stratonicus.) *Al. Ariſtonicus, in ueteri codice.* Romæ.) *Al. codex non habet Romæ.*

L. Cæcilio Metello.) *Anno 631.*

Huius mißionis coloniæ author fuit C. Gracchus, Tiberij frater, ut refert Florus in Liuij Epitome lib. 60.

Annis

Annis duobus,) *quatuor, noſtra ſupputatione. Alius codex ita diſtinguit: Quæ nunc manet annis duobus & uiginti, poſtquam à Scipione fuerat euerſa. Deducti, &c.*

Anno DCXXVII ab V.C.)

DGXXVIII *ſcribendum.*

Duobus enim annis præcedit noſtra ſupputatio. inuertit autem hiſtoriam, aut Conſulatus tempora. omnes alij aiunt, Bituitum *Gallorum regulum pugnaſſe contra Cn.* Domitium *Aenobarbum ac Qu.* Fabium, *Pauli nepotem, non contra* Domitium *Caluinum. uide* Valerium *libro 9. capite ſexto, &* Florum *in* Liuij *Epitome libro 61.*

630 { C. Caßius Longinus. / Sex. Domitius Caluinus.

631 { Qu. Cæcilius Metellus. / T. Quintius Flaminius.

632 { Cn. Domitius Aenobarbus. / C. Fannius.

633 { L. Opimius / Qu. Fabius Maximus.

Atq; eorum duci Bituito.)

De Bituito *Auernorũ duce, ac de* Cn. Domitij *in eum perfidia,* Valerius *Max. lib. 9. cap. 6. ubi de perfidia. Cæterùm* Valerius *à* Domitio *Bituitum* Romam *deductum, ac ibi aſſeruatum:* Florus *autem lib. 61. ait, Qu.* Fabium, *qui poſt* Domitium *Coſ. fuit, aduerſus* Bituitum *Auernorum regem feliciter pugnaſſe. ita mira ubiq; a-*

Ex concubina.)

Epheſia, citharistriæ filia. Is Eumenis.)*ſc. nothus.* Frater.)*illegitimus.* Attali.)*ultimi, qui hæredem fecerat populum Romanum.* Nicomedes.) *Pruſiæ filius.* Bell. grauiſsimum.)*per 40 annos.* Cappadox.) *rex Cappadociæ, regionis ad Pontum Euxinum.* Paphlagon.)*Paphlagoniæ rex, ad Pontum Euxinum regionis, Cappadociæ prox.* Caput.) *ſ. Craſſi.* Poſtea.) *Anno 624.*

Poſtea Perpenna Coſ. Rom.)

De ho: M. Perpenna Valerius Maximus lib. 3. cap. 4. & Iuſtinus libro 36. ad finem. ex humili enim loco factus eſt Coſ. Rom. Et poſt mortem eius pater ciuitate expulſus eſt: nec filius fuit ciuis, cum factus eſſet Coſ. Perpenna.)*Coſ. antè, quàm ciuis.* Succeſſor.)*in cõſulatu.* Stratonicem.) *Stratonicenſium eſt in ueteri codice.*

Fame ad deditionem compulit.)

Iuſtini uerba lib. 36. In huius (Craſſi ſcilicet) locum miſſus Perpenna Coſ. prima congreſsione Ariſtonicum ſuperatum in poteſtatem ſuam redegit, Attalicasq; gazas hæreditarias populi Romani nauibus impoſitas, Romam deportauit. Hæc ille. Hic autem dicitur Perpenna Pergami mortuus. Stratonicus.)*Al. Ariſtonicus, in ueteri codice.* Romæ.)*Al. codex non habet Romæ.*

L. Cæcilio Metello.) *Anno 631.*

Huius miſsionis coloniæ author fuit C. Gracchus, Tiberij frater, ut refert Florus in Liuij Epitome lib. 60.

Annis

Annis duobus,) *quatuor, noſtra ſupputatione. Alius codex ita diſtinguit: Quæ nunc manet annis duobus & uiginti, poſtquam à Scipione fuerat euerſa. Deducti, &c.*

Anno DCXXVII ab V. C.)

DCXXVIII *ſcribendum.*

Duobus enim annis præcedit noſtra ſupputatio. inuertit autem hiſtoriam, aut Conſulatus tempora. omnes alij aiunt, Bituitum Gallorum *regulum pugnaſſe contra* Cn. Domitium Aenobarbum *ac* Qu. Fabium, *Pauli nepotem, non contra* Domitium Caluinum. *uide* Valerium *libro 9. capite ſexto, &* Florum *in* Liuij *Epitome libro 61.*

630 { C. *Caßius* Longinus. Sex. Domitius *Caluinus.* }

631 { Qu. *Cæcilius* Metellus. T. Quintius Flaminius. }

632 { Cn. Domitius Aenobarbus. C. Fannius. }

633 { L. Opimius Qu. Fabius Maximus. }

Atq; eorum duci Bituito.)

De Bituito *Auernorũ duce, ac de* Cn. Domitij *in eum perfidia,* Valerius *Max. lib. 9. cap. 6. ubi de perfidia. Cæterùm* Valerius *à* Domitio Bituitum *Romam deductum, ac ibi aſſeruatum:* Florus *autem lib. 61. ait,* Qu. Fabium, *qui poſt* Domitium *Coſ. fuit, aduerſus* Bituitum Auernorum *regem feliciter pugnaſſe. ita mira ubiq; apud*

apud Romanos hiſtoriæ uariatio eſt. Ex torquibus.) *catenis aureis.* Coſſ.) *Craßus ac Domitius.*

M. Portio Catone, & Q. Martio Rege Coſſ.)

Velleius Paterculus ſub finem libri primi, Narbonẽ dictum coloniam eiſdem Coſſ. ut hic noſter author. Meminit rurſus libro 2, ubi de Opimio. Annus 636. Narbona.) *Narbo Martius uocatur, unde Narbonenſis Gallia.* Annoq́ eodem.) *Non poteſt hoc eſſe uerum, neq; enim uno anno quatuor fuere Coſſ. Fuit ergo hic anno 637. & obiter huius rei meminit lib. 62 Florus in Liuij Epitome.* Anno DCXXXV.) *Anno 640.*

C. Cato Coſ. Scordiſcis intulit bellum.)

Meminit Florus in Liuij Epitome libro 63. & in ſua libro 3. ubi de bello Thracico. Scordiſcos Ptolemæus ponit ad Danubium, in Pannonia inferiore. Strabo meminit in ſeptimo, ubi duplices facit, maiores & minores.

Et Cn. Carbone.) *Anno 641.*

De hoc Carbone aliter Florus lib. 63, qui ait eum à Cimbris unà cum exercitu fuſum eſſe. Cæterùm de his triumphis non facilè reperies quicquam apud alios. Velleius tamen Paterculus li. 2. meminit. Cimbros.) *extremos Germaniæ populos ad Septentrionem. Cimbri enim Cherſoneſum incolũt, quà Germania maximè ad Septentrionem extenditur.* P. Scipione.) *Anno 643.*

Iugur-

Iugurthæ Numidarum regi bel-
lum.)

*Maſaniſſæ filius erat Micipſa: qui reliquit duos le-
gitimos filios, Hiempſalem & Adherbalem. præterea
fratris ſpurium Iugurtham adoptauit in filium, qui per
dolum Hiempſalem, per uim Adherbalem ſuſtulit, & bi
nos exercitus Romanos per biennium cùm pecunia tum
ignominia uexauit, ac totum fermè Senatum Romæ cor
rupit, ita ut Romam uocatus, per pecuniam impunitatē
parricidij emerit, & regni competitorem Maßinam in
ipſa urbe trucidauit. tandem coactus abire reſpiciens ur
bem, O` urbem uenalē, inquit, & citò perituram, ſi em
ptorem habuerit. Poſtremò miſſus Metellus, qui bis præ-
lio eum fudit. ſed per inuidiam plebis ei ſucceßor Mari-
us miſſus, qui eū cæpit, ac de eo triūphauit. Copioſè hoc
bellum Saluſtius deſcribit. V. anno finitū eſt.* Inſequ.
an.) 644. Per fratrē.) *A. Poſthumiū.* Tertiò.)
An. 645. Ad diſcip.) *priſtinam.* Varijs prælijs.)
duobus potiſſ. Succeſſum eſt.) *per malas artes ac
inuidiam.* A` C. Mario.) *Nepote Coſ. Anno 647.
Deſcribitur à Velleio Paterculo libro 2.*

Succeſſum eſt ei à C. Mario.)

*C. Marius, ingens uir, Arpini natus, ubi & Cicero:
cui ad conſulatum, quem mirè acquirere cupiebat, nihil
deerat præter familiæ uetuſtatē, induſtria, probitas, mi-
litiæ magna ſcientia, animus belli ingens. Domi modi-
cus, libidinis & diuitiarum uictor, tantummodo gloriæ
auidus. Hic Metelli Numidici legatus, cùm ei ſacrifican-
ti aruſpex magna ac mirabilia portendi dixiſſet, à Me-
tello Imperatore conſulatum petendi gratia mißionem*

petit. Metellus inſolita re commotus, & ſuperbia, communi nobilitatis malo, mirari eius conſilium: & monere, ne ſuper fortunam animum gereret: ſatis mature illum cum filio ſuo conſulatum petiturum. quæ res mirè Marium accenderat. Itaq; non deſijt Romam literis diffamare Imperatorem, & fatigare eum precibus, ut dimitteretur. quod cum factum eſſet, tandem fit Coſ. Marius, & Numidia ei decernitur. Quæ res, non tam quòd Coſ. Marius, quàm quod prouincia Numidia ei decreta eſſet, ita commouit Metellum, ut neq; lachrymas tenuerit, neq; linguã moderatus fuerit. quod alij ſuperbiæ adſcribebant: alij bonum ingenium contumelia accendi dicebant: multi, quòd iam parta uictoria ex manibus eriperetur. Saluſtius putat, illũ magis honore Marij, quàm iniuria ſua excruciatum: neq; tam anxiè laturum fuiſſe, ſi adempta prouincia alij quàm Mario traderetur.

A' M. Iunio Syllano.) *Anno 645.*

Florus libro 65. de Syllano contrarium ſcribit, nempe eum infeliciter aduerſus Cymbros pugnaſſe. idem libro 3 de eodem ait, primum Barbarorum impetum non ſuſtinuiſſe. De Minutio libro 45 ita idem Florus ait: M. Minutius Procon. contra Thracas feliciter quidem pugnauit. Q. Metelli.) *Numidici.* M. Minutio.) *Coſ. Anno 644.* A' Seruilio Cep.) *Hoc diu antea factum eſt, nempe anno 614.*

Et à Seruilio Cepione.)

Qu. Seruilius, qui anno 648 Coſ. fuit, cum Cimbris malè pugnauit: cum Luſitanis nihil, quod authores meminerint. Sed Q. Seruilius, qui Coſ. fuit anno 614, Viriatum perfidè perdidit: id eſt, cum Luſitanis pugnauit

uit eadem integritate, qua cum Viriato *debellauit.* Catenatus.) *catenis ligatus, & in carcere necatus, ait* Florus *libro* 67.

IN EVTROPII LIB. V. H. Glareani Annotationes.

A Cimbris & Teutonibus & Tigurinis.)

STrabo *lib.* 7. *ex* Poſidonio: *Cimbri latrocinando incertis errabundi ſedibus, ad paludem uſq;* Mæotin *militiam agitarunt. Ab eis enim* Cimmerius *uocatus eſt* Boſphorus, *quaſi* Cimbricus: Græcorum *enim lingua* Cimbros *uocat* Cimmerios. Boios *uerò prius* Hercyniam *inhabitaſſe ſyluam, &* Cimbros *agmine facto hũc inuaſiſſe locum, à* Boijsq; *eiectos,* Iſtrum *&* Scordiſcos *gentem* Gallicam *petentes deſcendiſſe: mox* Tauriſcos, *& hos nationis* Gallicæ: *deinde in* Heluetios *diuertiſſe, abundantes quidem auro uiros, cæterùm in pace degentes. Cum autem ipſi* Heluetij *uidiſſent ex latrocinio quæſitas opes, ſuis longè maiores, commotos fuiſſe, ex eis uerò præcipuè* Tigurinos *ac* Tuginos, *ita ut cum eis in militiam profecti fuerint.* Vniuerſos *uerò deleuere* Romani, *&* Cimbros *& alios tanti motus ſocios, partim in* Alpium *tranſitu in* Italiam, *partim extra* Alpes. *Hæc* Strabo. M. Manlius.) *Anno* 649. Q. Cepio.) *Anno* 648. *Sed hic fuit procoſ.* Tigurinis.) *Heluetijs.*

Germanorum ac Gallorum gentes.) *Credo cum* Gallis *ac* Cimbris *malè pugnatum anno* 649.

649. Procos. igitur fuit Qu. Seruilius Cepio. & Coſ. C. Manlius. fuit enim proximus annus ante ſecundum Marij conſulatum. Ambronum meminit Strabo, cum Tuginis, libro 4. ubi de Rhodani oſtijs.

Victi ſunt iuxta flumen Rhodanum.)

Meminit huius cladis Rom. Florus in Liuij Epitome 67 libro. Et item libro 3. in ſua; ſed inuidioſe ac confuſe omnia. Saluſtius ait, aduerſus Gallos bellatum, quibus cum erant Cimbri. Sed Liu. quem ſequutus Florus, cum Cimbris. Florus commiſcet omnia, & Tigurinos etiam ueniſſe ab extremo Oceano fabulatur. Et ingenti internecione.) *80000 enim militũ caeſa, et 40000 calonum ac lixarum: Florus lib. 67.*

Timor Romæ grandis fuit.)

Saluſtius ad finem Iug. belli: Per idẽ tempus aduerſum Gallos ab ducibus noſtris, Qu. Cepione & C. Manlio male pugnatum, quo metu Italia omnis contremuerat, illiq; & inde uſq; ad noſtram memoriã Romani ſic habuere, alia omnia uirtuti ſuæ prona eſſe: cum Gallis pro ſalute, non pro gloria certare. Ergo Marius.) *Secundus conſulatus Marij, anno 650.* Tertio quoq;.) *Anno 651. & 652.*

Sed in quarto conſulatu collegam habuit.)

Quarto Marij conſulatu hæc prælia non aduerſus Cimbros, ſed contra Teutonas ac Ambrones fuere, ubi cæſa dicuntur 200000, capta 90000. Florus in Liuij Epitome lib. 68. ad Aquas Sextias in Gallia: Cimbros autem ſequente anno, hoc eſt quinto Marij conſulatu,

Qu.

Q. Catulus iã Procos.ad Atheſin à Cimbris uictus.ſed idem Catulus iuncto cum Mario exercitu, Cimbros uicit,cæſis centum quadraginta millibus hominum,captis 60 millibus,inquit Florus. Hic author cõfundit & annos & populos:ut Florus in ſua,non autem in Liuij Epitome. Ergo in Liuij Epitome res ita habet: Proximo anno ſecundum Marij conſulatum, C. Manlius Coſ. & Q. Cepio Procos.malè pugnarunt aduerſus Cimbros.Florus libro 64.Quarto autem Marij conſulatu, Marius duobus prælijs Teutonas ac Ambronas ad Aquas Sextias in Gallia uicit. Cæſa 200000, capta 90000.Quinto autem conſulatu Qu. Catulus Procos. ad fauces Alpium iuxta Atheſim in fugam à Cimbris uerſus:ſed Mario cõiungens exercitum,ambo Cimbros uicerunt,cæſa 140000, capta 60000. LXXX mil.) nonaginta, eſt in Floro. Ducem eorum.) Hunc ad Aquas Sextias captum,ait libro 3.Florus.

Abſens quinto eſt Coſ. factus.)

Anno 653.

Velleius Paterculus:Quinto conſulatu circa Alpes in campis quibus nomen erat Raudis,ipſe Marius Coſ. & Procos. Qu.Luctatius Catulus,fortunatiſſimo decertauere prælio: cæſa aut capta amplius C millibus hominum. Hac uictoria uidetur meruiſſe Marius,ne eius nati Rempublicam pœniteret. Tranſierunt.)per Atheſinam uallem.

Sed à Catuli parte fœlicius.)

Florus in ſua Epitome ait,per Tridentina iuga in Italiam prouolutos,ſed haud dubiè per Atheſinam uallem:& depulſo Catulo,poſtea deſcendiſſe in Venetorũ ter-

terram, atq; ibi in Caudio (ut ipſe) aut Raudi (ut Velleius) campo cum Mario certaſſe: ſed uictos ingenti pugna. Trecenti.) *Sic eſt in uetere codice.* Ex his exerc. Marij.) *Mirum quo autore hæc ſcribat.* Belli finis.) *cum Cimbris ac Gallis.*

Sex. Iulio Cæſare & L. Marcio Coſſ.)

M. Liuius Druſus, uir melior quàm fortunatior, Tribunus plebis, Senatui priſcum reſtituere decus cupiens, ut iudicia ab equitib. ad Senatum referret, & maioribus uiribus cauſam ſuſceptam tueretur, Italicos populos ſpe ciuitatis ſollicitauit. cum autẽ morte illius ſocijs promiſſa ciuitas dari non poſſet, irati Italici à Romanis defecerunt, Picẽtes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marucini, Lucani, Samnites. quarto anno finitum eſt, magnis utrinq; cædibus, Romanis tamen uictoribus: quorum præcipui duces fuere, Cn. Pompeius Magni Pompeij parens, L. Sylla, C. Marius, Q. Metellus, Numidici filius, Pius cognomine, ut Velleius enumerat. Florus multos præterea alios cõmemorat. D C L X.) *An. 663. licet al.* D C L. *al.* D C L X I *legatur. Duobus autem annis differt à noſtra ſupputatione: ſed errat.* Libert. æquam.) *id eſt, ciuitatis Rom. ius.*

Perniciofum admodum hoc bellum fuit.)

Florus in Liuij Epitome lib. 72. Qu. Seruilius Procos. in oppido Aſculo, cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo oppido erant, occiſus eſt. Idem lib. 73. Q. Cepio legatus Rutilij, cum obſeſſus proſperè in hoſtes irrupiſſet, & ob eum ſucceſſum æquatum ei cum C. Mario

eſſet

eſſet imperium, ten erarius factus, & circumuentus inſidijs, fuſo exercitu ce cidit. Hæc ille. De utro hic loquatur *author, non ſatis cl aret.* P. Rutil. Coſ.) *An.* 664. Occiſus eſt.) *à Marſis.* Cepio.) *Q. Seruilius Procos.* Porcius Cato.) *cum Cn. Pompeio Strabone, Anno 665. meminit Florus libro 75.*

Duces aute m aduerſus Romanos Pi- centibus.)

Velleius libro 2. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Popedius, Herius Aſinius, Iuſteius Cato, C. Pontidius, Pontius Teleſinus, Marius Egnatius, Papius Mutilius. Florus in Liuij Epitome tres nominat duntaxat: Maracinorum, Hirnium Aſinium: Samnitium, Marium Egnatium: Marſorum, Silonem Popedium, Hierus.) *Herius Velleio, Hirnius Floro.* A. Cluentinus.) *Hic non eſt in Floro.* Et à Cneo Pompeio.) *Strabone, C. Magni Pomp. patre.* A L. Cornel.) *Anno 666.*

Qui inter alia facta egregia.)

Florus libro 75. L. Cornelius Sylla legatus, Samnites prælio uicit, & bina caſtra eorum expugnauit.

In eodem paulo pòſt: L. Sylla Hirpinos domuit, Samnites multis prælijs fudit, aliquot populos recepit, quantisq; Romanorum quiſquam ante conſulatum rebus geſtis ad petitionem conſulatus Romam eſt profectus.

Quadriennio cum graui calamitate.)

Triennio potius.

In eo bello ceciderunt,

Qu. Seruilius Procos. in Aſculo.

L. Poſthumius Prætor, Nolæ.

P. Rut.

P. Rutilius Lupus, à Marſis.
Qu. Cepio, Rutilij legatus.
A. Poſthumius Albinus legatus.
Sulpitius legatus, claßis dux.
L. Porcius Cato Coſ. à Marſis.
A. Gabinius legatus, à Lucanis.

Quinto demum.) *Quarto.*

Anno V. C. DCLXVI.) *Malè erat ſcriptum* DCLXII.

Anno enim 666 Sylla cum Qu. Pompeio Coſ. fuit, atq; eo anno in Aſiam proficiſcens, reuocatus eſt Sulpitiana ſeditione. quæ in locum Syllæ uoluit Marium mitti contra Mithridatem, non L. Syllam: nec tamen id primum bellum ciuile fuit, quando anno 621 ſub Tiberio Graccho ſanguis effuſus eſt. At id nõ fuit aperta acie factum, ut nũc: ſed inter togatos, non armatos. Primùm Rom.) *quod armata manu ac inſtructis aciebus utrinque eſt geſtum.* Mithridaticum.) *aduerſus Mithridatem, regem Ponti potentiß.* Sexies.) *deeſt C. Marius. & ita habet uetus codex: C. Marius ſexies, &c.* Sylla Coſ.) *Anno 666.* In Camp.) *ad Nolam.*

Nam cum Sylla Coſ. contra Mithridatem.)

Huius belli cauſa ſatis luculenter hic enarratur. Cæterùm bellum ciuile hoc, tribus uelut malis ſideribus, ut eſt apud Floris, agitatum eſt. Primo, & leui & modico tumultu, maiore quàm bello, intra ipſos armorũ duces ſubſiſtente ſæuitia. Secundo atrocius & cruẽtius, per totius uiſcera Senatus graßante uictoria. Vltimũ non ciuicã modò, ſed hoſtilem quoq; rabiem ſupergreſſum eſt, cum

cum armorum furor totius Italiæ uiribus niteretur, eo uſq; odijs ſæuientibus, donec deeſſent qui occiderentur. Hæc Florus lib. 3. Hos tres tumultus ad finem uſq; huius libri tractabit author. Diximus.) *paulo antè.* Marius affect.) *iam L X X annos natus, ut inquit Velleius.*

Quare Sylla commotus.)

Primum ſidus ac tumultuoſa procella, qua Reſpublica Romana afflicta eſt, ſæuijt tantũ inter ſeditionis principes. Sylla enim à Sulpitio ac Mario iniuria affectus, reduci exercitu à Nola Romam properat, ac cum ijs in urbe ipſa depugnat, eosq; expulit. P. Sulpitius in uillula latitans, à ſeruo proditus ac retractus, occiſus eſt. Marius filius in Africam euaſit. Pater iam L X X annos natus, nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ in carcerem coniectus: & immiſſo Germano ſpiculatore, ut Velleius Paterculus ait, aut Gallo, ut Florus, qui eum occideret. ille maieſtate uiri deterritus, receſſit: atq; ita Marius euaſit in Africam, fortunæ beneficio ad alteram procellam ſeruatus. Vide Florum in Liuij Epitome lib. 77. & lib. 3. in ſua Epitome. Cum exercitu.) *quem ducturus in Aſiam erat.* Illic.) *in ipſa urbe, ut inquit Florus.* Futuro anno.) 567.

Mithridates enim qui Ponti rex erat.)

Strabo lib. 12. ait ita: In Pontum itaq; Euxinum à Propontide nauigantibus, à læua iacentia Ponti ſiniſtra uocantur: à dextris uerò, ubi Bithyni, Paphlagones ac Cappadoces, ea omnia Euxini dextra nominantur ad

Colchidem uſq;. Mithridatem uerò ab Heraclea, quæ in Bithynia maritima eſt urbs, totã litoralẽ orã poſſediſſe, Colchidem uſq; cõſtat. Vnde patet, non ſatis uerè Florũ in ſua Epitome huius regis deſcripſiße regionem. Iuſtinus lib. 37. de hoc rege hæc habet: Cuius poſtea magnitudo fuit, ut non ſui tantum temporis, uerumetiam ſuperioris ætatis omnes reges maieſtate ſuperarit, bellaq; cum Romanis per X L V I *annos uaria uictoria geſſerit, quem ſummi imperatores Sylla, Lucullus, cæteriq;, in ſumma Cn. Pompeius ita uicerunt, ut maior clariorq; reſurgeret in reſtaurando prælio, damniſq; ſuis terribilior redderetur. Deniq; ad poſtremum non ui hoſtili uictus, ſed uoluntaria morte in auito regno ſenex hærede filio deceßit.* Totum Pont. mare.) *Hoc eſt multũ, ac uix credendum.* Bithynia uoluit ex.) *Hoc factum anno 663.* Mandauit.) *per legatos indicauit.*

A' Senatu reſponſum eſt.)

De hoc Mithridatis reſponſo nonnihil Iuſtinus lib. 37. ad finem, ſed miſcet ibidem Diomedis negotia cum Mithridatis. quod alij non faciunt.

Quare iratus Cappadociam ſtatim occupauit.)

Florus in Liuij Epitome ait, primùm Ariobarzanem Cappadociæ, Nicomedẽ Bithyniæ reges, è regnis à Mithridate pulſos, mox Phrygiam prouinciam iam populi Romani inuaſiſſe, ac Aſiam occupaſſe, duos Romanos duces in uincula conieciſſe: iuſſuq; eius quicquid ciuium Romanorum in Aſia fuit, uno die trucidatum. Hæc Florus tribus libris, L X X V I *ac duobus proximis.* Cappadociam.) *regionem ad Pontum Euxinum.*

Pylæ

Pylæmene & Nicomede.)

Iuſtinus lib. 37. ad finem ait, Nicomedem Bithyniæ regem, cum Paphlagoniam unà cum Mithridate inuaſiſſet, ac Romani per legatos iuberent gentem eam reſti tui in priſtinum ſtatum: reſpondiße legatis, iuſto regi ſe redditurum eam, atq; ita filium ſuũ mutato nomine Pylæmenem Paphlagonum regum nomine appellaſſe: & quaſi ſtirpi regiæ reddidißet, regnum falſo nomine tenuiße. Sic ludibrio legatos habitos Romam rediſſe.

Epheſum.) *Ioniæ urbem primam. Strab. libro 14.*

Interea etiam Athenæ.)

Meminit Florus lib. 78. & 81. & Velleius in 2. de Archelao & Athenarum obſidione. Velleius Athenas excuſare nititur, & miſeram eorum fortunã deplorat. Rhodij oppugnati, ſed non expugnati, fidem erga Romanos ſeruarunt.

Sylla Archelaum.)

Velleius Paterculus ait, Syllam circa urbem ac Piræeum portum, Bœotiam ac Macedoniam, plus C C millia hominum occidiſſe. Piræeum.) *Athenienſem portum.* Syllæ exercitu.) *Hoc uix eſt credibile.*

Primo prælio X X millia hoſtium.)

De his duobus prælijs meminit Flor. libro 82. ac priore quidem prælio C millia cæſa, altero totum Archelai exercitum fugatum ac deletum ſcribit, Archelaum cum regia claſſe ſe tradidiße.

Hac re audita Mithridates cum Sylla.)

Velleius Paterculus ita habet: Tranſgreſſus deinde

in Aſiam Sylla,parentem ante omnia ſupplicemq; Mithridatem inuenit: quem multa cum pecunia ac parte nauium, Aſia omnibusq; alijs prouincijs, quas armis occupauerat, decedere coegit, captiuos recepit, in profugos noxiosq; animaduertit: paternis, id eſt Ponticis finibus contentum eſſe iuſſit. Interim eo tempore.) *Flor. libro 81. Sylla multis prælijs Thracas cecidit.* Dardanos.) *Myſiæ ſuperioris populos.* Scordiſcos.) *ad Adriaticum mare.* Mœſos.) *Myſos al.* Veniſſent.) *ad Syllam.*

Pax inter eos ordinata eſt.)

Florus libro 83. Sylla cum in Aſiam traieciſſet, pacem cum Mithridate fecit, ita ut his cederet prouincijs, Aſia, Bithynia, Cappadocia. Nam dum Sylla.) *Anno 667. Alterum ſidus, quod malè tractauit urbem, quando nobilitas cæſa eſt à Marianis.* In Achaia.) *Græcia.* Fugatus.) *à Sylla.* Corn. Cinna.) *Coſ. anno 667.*

Marius qui fugatus erat.)

Florus lib. 79. L. Cornelius Cinna Coſ. cum Cn. Octauio, proximo poſt primum Syllæ conſulatum anno, cum pernicioſas leges abſente Sylla per uim ferret, pulſus urbe à Cn. Octauio collega, cum Sertorio Tribuno pleb. imperioq; ei derogato, corruptum App. Claudij exercitum in poteſtatem ſuam redegit. Et bellum urbi intulit, accerſito C. Mario cum alijs exulibus ex Africa: qui tempeſtiuè opprimi potuiſſet, ni obſtitiſſet Cn. Pompeij Strab. fraus, & Octauij ſegnities. Cinna igitur & Marius quatuor exercitibus, quorũ duo Q. Sertorio & Cn. Carboni dati, urbem circumſederũt, ac multa mala

perpe-

perpetrarũt. Porrò cum nulla reſiſtendi ſpes eſſet optimatibus, propter ſegnitiem & perfidiam & ducum & militum, Cinna & Marius in urbem recepti ſunt, qui uelut captam eam cædibus & rapinis uaſtarũt, Cn. Octauio Coſ. occiſo, & omnibus aduerſæ partis nobilibus trucidatis: inter quos M. Antonio, eloquentiſſimo uiro, & C. Cæſare. quorum capita in roſtris poſita. In annum ſequentẽ Marius VII ſe Coſ. cum Cinna fecit. ſed mox inito magiſtratu, Idibus Ianuarijs mortuus eſt.

Ille in Italiam traiecit.) *Anno 671.*

Florus libro 3. Scipione Norbanoq́; Coſſ. tertius ille turbo ciuilis inſaniæ toto furore intonuit. Hæc ille. Nam Sylla ex Aſia in Italiam traiecto exercitu, Norbanum primùm apud Capuam fudit, ſub amne Vulturno. Scipionis copiæ ad Syllam defecere. Cn. Pompeius, Cn. filius, conſcripto uoluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Syllam uenerat, ad quem ſe omnis nobilitas conferebat. Quintus annus erat à ſeptimo Marij conſulatu, quo regnarũt per triennium Cinna & Carbo. & tertio Carbonis conſulatu, C. Marius, Marij filius, ſimul Coſ. factus: deſperatis rebus nondum Sylla profecto Romam, Senatum contraxerunt, ac eum iugularunt, multa nobilium cæde adiecta. Mutati Coſſ.) *anno 672. noui Coſſ. facti.*

Sylla contra Marium iuniorem dimicauit.)

Sylla C. Marium, Caij filium, exercitu eius fuſo deletoq́; ad Sacriportum in oppido Præneſte obſedit, urbem Romam ex inimicorum manibus recepit, Marium erum

pere tentantem repulit, ac tandem ad mortem compulit. Pontius Teleſinus Samnitium dux, *ut inquit* Velleius, *contractis circiter 40 millibus fortiſsimæ pertinaciſsimæq; retinendis armis iuuentutis, hoc anno* Calend. Nouemb. *ita ad portum* Collinum *cum* Sylla *dimicauit, ut ad ſummũ diſcrimen & eum &* Rempub. *perduceret.* Multa *decora huius ducis addit* Velleius, *tandem tamen uictus eſt.* Tum *recuperata ex hoſtium manu* Rep. *pulcherrimam uictoriam crudelitate (quanta in nullo homine unquam fuit) inquinauit* Sylla. *octo millia deditorum in uilla publica trucidauit, tabulam proſcriptionis poſuit, urbem & uniuerſam* Italiam *cædibus repleuit.* Hæc *ex* Floro *lib. 88.* Sequente *uerò libro, leges latas à* Dictatore *deſcribit luculenter ac copioſè.* Proſcriptorũ *2000 ex equitibus & ſenatoribus mori iuſsi, ex quorũ prima mulcta reductum eſt ſeſtertiûm ter millies quingentiesq;.*

350000000 HS.

8750000. *coronat.*

Iuniorem.) *filium.* Dimicauit.) *ad* Sacriportum. Contra Lamponium.) *Hunc etiam nominat* Florus. Cerinatem.) Pontium Teleſinum, *habẽt* Florus & Velleius. XII millia.) IIII *millia deditorũ inermium ciuium in uia publica interfici iuſsit.* Cn. quoq; Carbo.) L. Florus *lib. 89.* Cn. Pompeius *in* Siciliam *cum imperio à* Senatu *miſſus,* C. Carbonem, *qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit.* Valerius Max. *li. 5. cap. 3.* Pompeij *ingratitudinem, & li. 6. cap. 2. eiuſdem crudelitatem in* Carbonem *reprehendit.* Libro *uerò 9. cap. 13. eius puſillanimitatem uituperat.*

Annos

Annos unum & XX.) *Velleius in 2 ait, Pompeium tum 23 habuiſſe annos: ſi codex non errat.* Carbone.) *ter Coſ.*

Tranſgreſſus inde in Africam.)

Florus libro 89. Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proſcriptũ, & Hiarbam regem Numidarum, bellum molientes, uictos interfecit. Et IIII & XX annos adhuc eques Romanus, quod quidem nemini cõtigerat, ex Africa triumphauit. Hiarbam.) *Florus Hieram.*

Poſthac Sylla de Mithridate.)

L. Sylla Dictator factus centeſimo uiceſimo anno, poſtquam nemo fuit Dictator ab Hannibalis ex Italia diſceſſu, ut Velleius inquit libro 2. Et quod nemo unquam fecerat, cum faſcibus XXIIII proceſſit, & Rep. ordinata, Dictatura depoſita deceſſit.

IN EVTROPII LIBRVM VI. H. Glareani Annotationes.

H*Ic liber continet hiſtoriam 34 annorum, ab an. V. C. 676. uſq; ad annum 710, quo anno occiſus eſt Iulius Caſar in Senatu.* In Pamphylia.) *legend. Aliud in Macedonia, tertium in Pamphylia ac Cilicia, quartum in Dalmatia, atq; ita proſequitur.* Fortunam.) *caſum ſimilem.* Interempti.) *à Sylla cæſi.*

Cum Sylla Rempublicam compoſuiſſet.)

Sylla deceßit anno 675, poſt cuius mortem multa

belli reliquiæ manebant. Nam bellum Sertorianũ quid aliud quàm Syllanæ proſcriptionis hæreditas fuit? in- quit Florus lib. 3. Ipſe Sertorius ad Fortunatas uſq; inſu- las penetrauit, tandem Hiſpaniam armauit: ubi uir cum uiris facilè conuenit: cui reſiſtere uno Imperatore res Ro mana nòn potuit, additus Metello Numidici filio Cn. Pompeius. Hi copiis uiri diu & ancipiti ſemper acie attriuere. Nec tamen prius bello, quàm ſuorum ſcelere et inſidijs extinctus, octauo ducatus ſui anno (inquit Flo rus lib. 96) perijt.

Q. Cæcilius Metellus.) *Anno 674.*

Florus lib. 90. ita ait: L. Manlius Procoſ. & M. Antonius legatus, ab Herculio Quæſtore prælio uicti ſunt. Item libro 91, ita ait: Q. Metellus Procoſ. L. Herculium Quæſtorem Sertorij, omni cum exercitu cæcìdit. Hic loco L. Manlij, eſt L. Domitius. Meminit L. Manlij Cæ- ſar lib. 3. de bello Gallico. Metellus.) *Pius cognomi ne.* Eius qui.) *Numidici.* Contra Sertorium.) *Vide Flor. lib. 92.*

Ita duobus ducibus.)

Meminit Florus lib. 93. quomodo Sertorius Metellum ac Pompeium à Calagurij obſidione depulſos, coe- gerit diuerſas regiones petere, Metellum ulteriorem Hi ſpaniam, Pompeium Galliam.

Ad Macedoniam miſſus eſt App. Claudius.)

Florus lib. 91. App. Claudius Procos. Thracas plu- rimis prælijs uicit. Secundum fuit hoc Macedonicum bellum. Verodopam.) *Vix hoc nominis apud quen quam*

quam claßicum reperies. Poſt conſulatum.)*quem geßit anno 675.Hic locus in alio exemplari ſic diſtinguitur:* Ap.*Claudius poſt conſulatum leuia prælia habuit,&c.*

Miſſus ei ſucceſſor Cn. Scribonius.)

Florus lib.92.Præterea à C.Scribonio Curione Proconſ.in Thracia res geſtas aduerſus Dardanos.*Plinius libro 2.cap.35.*

Is Dardanos.)

Dardani Myſiæ ſuperioris populi apud Ptolemæum, uicini Dalmatis ac Macedonibus. Idem Florus lib. 95. C.*Curio Proconſ. Dardanos in Thracia domuit.*

Ad Ciliciam & Pamphyliam.)

Florus lib. 93. P. Seruilius Procos. in Cilicia Iſauros domuit,& aliquot urbes piratarũ expugnauit. Tertium.)*Cilicum ac Pamphylicum.*

Miſſus eſt P. Seruilius.)

P.*Seruilij Iſaurici meminit Strabo lib.12.& li.14. Quanquam lib.12.dicit ſe eum uidiſſe: quod de hoc non credo,ſed de eo qui fuit Coſ.cũ C.Cæſare,an.706.Meminit & Florus lib.3.de bello Piratico.* Ex conſule.)*Anno 675 fuit Coſ.* Is Ciliciam.)*regionem litoralem inter Syriam ac Pamphyliam.* Lyciæ.)*regionis litoralis eregionẽ Rhodi.* Phaſelidẽ.) *de hac Strab.li.14.* Iſauros.) *populũ ad Derbã Lycaoniæ, quæ eſt in maxima parte meridionali Cappadociæ, ſecundum Ptolemaicam deſcriptionem. Sed poſtea nomẽ abolitum eſt.* In Iſauriam.) *regionem in confinio Pamphyliæ, Ciliciæ, & Cappadociæ.* Ad Illyricum.)

cum.) IIII *Dalmaticum. Non temerè quicquam de hoc bello apud autores reperias.*

Salonas recepit.)

Salon, ωνοι *Græcè,ut Strabo lib.7. Latinè Salonæ Salonarũ, colonia Romana, memoratiſsima urbs apud omnes in Dalmatia,ut apud Ptolemæum lib. 3. tabul. 5 Europæ.* Iiſdem temporibus.) *Anno 676.*

M. Aemylius Lep.)

Florus lib.90.M.Æmylius Lepidus cum acta Syllæ tentaret reſcindere,bellum excitauit, & à Q. Catulo collega Italia pulſus eſt, & in Sardinia fruſtra bellum molitus periit. Triumphauerunt.) *triumphi fuerunt, aliàs.* Metelli.) *Pij,Numidici filij.* Secundus.) *quia etiam antè triumphauerat ex Africa,ut paulo antè eſt dictum.* Curionis.) *C.Scribonij.* Ex Macedonia.) *ex Dardanis.* Seruilij.) *P. Iſaurici.*

Anno V. C. DCLXXVIII L. Licinia.)

Anno 680.

Meminit Florus lib.93.Idem Florus lib.3.ubi de pace inter Syllam ac Mithridatem facta diſſeruit, hæc addit: Igitur ut extincta parum fideliter incendia,maiore flamma reuiuiſcunt: ita ille de integro auctis maiorẽ in modum copijs,tota deniq; regni mole in Aſiam rurſus mari,terra, fluminibusq; ueniebat. Cyzicum nobile oppidum arce, mœnibus, portu, turribusq; marmoreis, Aſiaticæ plagæ littora luſtrat, hanc ille quaſi alteram Romam toto inuaſerat bello. Bithyniæ.) *quæ ad Pontum eſt Euxinum, & Boſphorum Thracium.* Pace rupta.) *quam cum Sylla fecerat,ut ſuprà dictũ eſt.* Ambo Coſ.) *Lucullus & Cotta.* Cotta.) *M. Aure-*

lius.

lius. Chalcedonem.)*urbē eregionē Byzantij.* To
tam Aſiam.)*minorem.*

Lucullus ei alter Coſ.)

Florus in Liuij Epitome ait, L. Lucullum bis cum Mithridate pugnaſſe: ſemel ante Cyzicum, ita ut Granicus ac Aſopus amnes cruenti redderentur. iterum in Ponto, cæſis 60000 millibus hoſtium. Byzantium.)*in ſiniſtram Ponti partem.*

Nauali quoq; prælio duces.)

Non Lucullus pugna nauali cum Mithridate pugnauit, ſed tempeſtas fœda regis claſſem ita attriuit, ut naualis belli inſtar effecerit. Centum amplius nauium claſſis fœdè perijt, quaſi Lucullus quodam cum fluctib. procellisq; commercio debellandum tradidiſſe regem uentis uideretur, inquit Florus in ſua Epitome.

Anno urbis Romæ.)

Florus in Liuij Epitome lib. 97. de M. Lucullo unum habet uerbum: M. inquit, Lucullus Procon. Thracas ſubegit. Fuit hic annus V. C. 681.

Et in Italia nouum bellum.)

An. 682.

Florus lib. 95. quatuor & ſeptuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt, & congregata ſeruorū & ergaſtulariorū multitudine, Chryſo et Spartbaco ducibus, bello excitato, Claudium Pulchrum legatum & P. Varenum Prætorem prælio uicerunt. Oenomanno.)*in Vet. Ocnomao, & ſic etiam Florus libro tertio.*

Nam multis ducibus.)

Rom. duces à Sparthaco & ſuis uicti;

Claudius

Claudius Pulcher legatus, & *P. Varenus Prætor: libro 95.*

L. Gellius Coſ.	}	Florus li. 96. Cn. Lentulus Coſ. Florus lib. 96.
Q. Arius Prætor		
C. Caßius Procos.	}	Florus 96.
Cn. Manlius Prætor		

Qui benè pugnarunt.

Q. Arius Prætor, aduerſus Chryſum.

A' M. Licinio Craſſo.)

Florus lib. 97. M. Craſſus Prætor primùm cum parte fugitiuorum, quæ ex Gallis Germaniſq́; conſtabat, feliciter pugnauit, cæſis inimicorum XXXV millibus, & *duce eorum Granico. Cum Spartaco deinde bellauit, cæſis cum ipſo millibus XL. Cæterùm Craſſum Florus Prætorem hæc egiße ait: Eutropius uerò, Proconſulē.* Sexcenteſimo.) *adde primo* & *octogeſ. Hic duobus annis diſtat à noſtra ſupputatiõe: ut alibi ſæpe, quod nihil impedit. Fuit enim anno 683.* L. Lucullus.) *Coſ. anno 680.* M. Lucull.) *Coſ. anno 681.* Oppreſſerat.) *fortuna, non ipſe Lucullus.* Paphlagonia.) *Galatiæ parte, quæ Pontum Euxinum ſpectat.* Sinopen.) *oppid. ad Pontum Euxinum.* Amyſon.) *Aminſon, Strab. lib. 12.*

Apud Gabira ciuitatem.)

Verba Strabonis lib. 12. Sub ipſis autem Paryadræ radicib. Cabeira ſita ſunt, ſtadijs C & *L. quàm Megalopolis auſtraliora. Mithridatis ſedes Cabiris erat. Paulò pòſt ita habet: Et cum Põpeius Cabeira ſtruxiſſet in urbis*

bis modū,ac Diopolim *nominaſſet,Pythodorus eā auxit, & Sebaſten, id eſt Auguſtam appellauit. atq; ita Ptolemæus habet.* Armenia quoque minor.) *regio inter Euphratem & Cappadociam.* Sublata.) *erepta.* Poſt fugam.) *é Ponto.*

A' Tigrane.

Strabo lib. 11. *in fine, deſcribit omnes regiones quas Tigranes per uim occuparit: ſed à Lucullo domitum, & Tigranocerta in uicum redacta. Sub Antiocho magno duo eius imperatores fuere, Artaxia & Zadriadas, qui permittente rege imperarunt: quo ſuperato, Romanos illi adorti, ac reges nuncupati per ſe fuerunt. ut Strab. li.* 11. *Zadriadæ filius fuit Artenes Sophenus, Artaxiæ, Tigranes. Artanes meridionales Armeniæ partes obtinuit, Tigranes ſeptētrionales: Artanes aūt à Tigrane ſublatus eſt. Tigranes uaria fortuna uerſatus, latiſſimæ regionis dominus eſt factus. Is condidit urbem quam Tigranocerta uocauit, hominibus* X I I *Græcarum urbium à ſe euerſarum in ea congregatis. quæ occaſio fuit Lucullo minuendæ eius urbis, ac remittendi ueteres in ſuam quamq; urbem colonos, Tigranocertis in paruulum uicum redactis. Strabo libro* X I, *ſub finem.* Armeniæ rege.) *Maioris, ultra Euphratem.* Perſas.) *Parthos.*

Et Syriam & Phœnicis partem.)

Iuſtinus lib. 40. *ait, Syros Tigranem petiſſe in regem, ac per* X V I I I *annos ſumma quiete illud regnum poßediße: donec à Lucullo uictus, etiam Syria ac Phœnice extruderetur.*

Tigranocertam.)

Τιγρανόκερτα eſt generis neutri, pluralis numeri, apud Strabonem. Meminit eius urbis Tacitus li.14, anno VI Neronis. Latini hæc nomina Orientis in a, neutra, teme ré ſæpe uertunt in fœminina. Ciuitatẽ Armeniæ.) *recens ædificatam, ſed nondum perfectam.*

DC. millibus clibanariorum.)

Clibanarij, qui ferro & armis bené muniti certamen ineunt. Nazarius in Panegyrico ad Cõſtant. Operimento ferri equi atq; homines obſcpti, Clibanarijs in exercitu nomen eſt, metaphora à clibani forma ſumpta. Niſibin.) *Meſopotamiæ urbem.* Sed hi.) *legati Luculli.*

Quos in Ponto Lucullus.)

Florus lib. 98. ex horum numero C. Triarium legatum Luculli numerat, quem proſperé aduerſus Mithridatem pugnaſſe dicit. Regiones uictas.) *Cappadociam, Paphlagoniam, minorem Armeniam, Bithyniam.* Auaré.) *ut mos erat Romanorum.* Lucullo paranti.) *Lucio Lucullo.* Contra Perſas.) *Parthos.* Succeſſor.) *Pompeius.* Alter Lucull.) *M. qui Coſ. fuit anno 681.*

Beſsis Romanorum primus.)

Strab. lib. 7. Beßi magna ex parte montem Æmum incolunt, & propter latrocinandum latrones uocitanter. Ptolemæus, Beßicen præturam ponit ad Rhodopen.

Oppidum Vſcudamam.)

Ptolemæus Vſdiceſicam præturam ponit ad Æmum montem. Cæterúm Vſcudamæ nemo, quod ſciam, meminit.

minit. Cabylen.) *Sic uocat etiã Ptolemæus in Thraciæ deſcriptione.* Super Pontum.) *in ripa Ponti, occidua parte.*

Illic Apolloniam euertit.)

Huius Apolloniæ, Mileſiorum coloniæ, meminit Strabo libro 7. Eſt & apud Ptolemæum. ex ea M. Lucullus Coloſſum extulit, & in Capitolio collocauit. fuit autem Apollinis ſtatua, Calamidis opus. reliquæ hic urbes magis Septentrionales ſunt, ad Ponti Euxini occidentale latus: Tomos.) *Vbi Ouidius in exilium relegatus hæſit.* Hiſtrum.) *Iſtropolim uocat Ptolemæus.*

Buciam omnem cæpit.)

Buciam, in altero exemplari. credo Bizonam apud Strabonem dici, quæ media eſt inter Calatidem & Apolloniam, inquit Strabo lib. 7. Sed Eutropius Buciam uelut regionẽ facit, cum addat Omnem: additurus Totam, ſi urbẽ intellexiſſet. Ambo tamen.) *Luculli, L. & M.* Lucullus qui.) *legend. Lucius qui.* Tantorum reg.) *Galatiæ, Cappadociæ, Ponti, &c.* Lucullo.) *Lucio.*

Bellum Creticum ortum eſt.) *Anno 687.*

Creticum bellum, ſi uera uolumus noſcere, nos fecimus, ſola uincendi nobilem inſulam cupiditate. Fauiſſe Mithridati uidebatur, hoc placuit armis uindicare. Florus lib. 3. in ſua Epitome. M. Antonius Prætor bellum aduerſus Cretenſes parum proſperè geſtum, morte ſua finiuit. lib. 97.

Ad id miſſus Cęcilius Metellus.)

Hic Metellus à quibuſdam L, à Floro libro 98.

Q. præ-

Q.prænomen habet. & lib. 99. itidem. Cæterùm Florus eius crudelitatem non poteſt ſatis prædicare. Coſ. fuit anno 686. ſed hæc Procos. egit anno 687. ac biennio poſt.

Libya quoque Romano imperio.)

Cyrenen, ſiue Pentapolim putat. Florus lib. 70. Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomentum Appionis fuit, mortuus, hæredem populum Romanum reliquit, & eius regni ciuitates Senatus liberas eſſe dixit. Hæc ille. Sed uſq; ad hæc tempora ſunt triginta plus anni. Olympiade enim 171 commemorat facta hæc Euſebius, anno primo. Sed Romanos accepiſſe Olympiad. 178. an. 4, qui faciunt annos 32. Iuſtinus lib. 39. ſub finem, ait hunc Ptolemæum Lathuri fratrem, ac Euergetis Phyſconis filium, ſed ex pellice ortum, ac ei Pentapolim datam.
Ptolemais.) *Apollonia & Arſinoe.* Geruntur.) *in Creta ac Cyrene.*

Piratę omnia maria infeſtabant.)

Florus lib. 99. Cn. Pompeius lege ad populum lata, perſequi Piratas iuſſus, qui commercium annonæ intercluſerant, intra quadrageſimum diem toto mari eos expulit: belloq; cum ijs in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros & urbes dedit. Hæc ille in Liuij Epit. Porrò in ſua Epitome, duces numerat, & loca maris mediterranei infeſſa undiq;, ut nuſquam tuti eſſent Piratæ. In fine ita ait: Quid prius in hac mirere uictoria? Velocitatem? Quòd quadrageſimo die parta eſt? An fœlicitatē? quòd ne una quidē nauis amiſſa eſt?

An

An perpetuitatem? Quod amplius piratæ non fuerunt? Velleius lib.2.ait, A. Gabinium trib.pleb.tuliſſe legem, ut Cn. Pompeio imperium æquum in omnibus prouinciјs cum Procos. uſq; ad quinquageſimum miliarium à mari eſſet. Quo S. C. penè totius terrarum orbis imperium uni uiro deferebatur.Hæc ille. Sola tuta non eſſ.) *Quaſi dicat,cum alia omnia eſſent tuta.* Cn. Pompeio.) *ut ſummo illius temporis duci.* Quod intra pauc.) *Plin.lib.7. cap. 26.ait,Pompeium ademiſſe Piratis naueis* DCCCXLVI. Paucos mẽſ.) *imò intra ſequimenſem.* Confecit.) *omnes Piratas expulit.*

Mox ei delatum imperium contra Mithrid.)

Florus lib.C.ita inquit: C. Manlius tribunuſple bis indignatione maxima nobilitatis legem tulit, ut Pompeio bellum Mithridaticum mandaretur. Hæc Florus. Velleius lib.2.hunc tribunum Manilium uocat,ſi codex non errat:ſemper uenalem,& alienæ miniſtrum potentiæ.Ea lege accepta,magnis certatum eſt inter imperatores iurgiјs,cum Pompeius Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem obiјceret imperiј, neuterq; ab eo quod arguebatur mentitus argui poſſet. In Armen. minore.) *quæ inter Cappadociam ac maiorem Armeniam iacet.*

Nocturno tempore prælio uicit.)

Florus lib.101. Cn. Pompeius Mithridatem nocturno prælio uictum,cogit Boſporum profugere.

k Neq;

Neque multo pòſt, cum in ſuos ſæuiret.)

Florus lib.102.Pharnaces Mithridatis filius bellum patri intulit.ab eo Mithridates obſeſſus in regia,cum ueneno ſumpto parum profeciſſet ad mortē,à milite Gallo nomine Bithaco,à quo ut adiuuaretur petierat,interfectus eſt. In ſuos.)*cognatos uel ſubditos.* Inſtinctu.)*obſidione.*

Perijt autem apud Boſporum.)

Cimmerium intellige, quæ regio propriè Boſporana dicitur,Tauricæ inquam Cherſoneſi,ac regionis con traiacentis in Aſia,ubi Achæi habitant.

Tigrani deinde Pompeius.)*Anno* 688.

Florus lib.101.Cn.Pompeius Tigranem in deditionē accepit:eiq; adēptis Syria, Phœnicia, & Cilicia, regnū Armeniæ reſtituit.Hæc ille.Velleius ait:Tigranem Mithridatis ſocerum fuiſſe, filium ipſius prius ad Pompeium ueniſſe, deinde patrem.Cuius adulatoriā refert orationem ad Pompeium,bene longam pro compendio. Tigrani.) *maioris Armeniæ regi.* Artaxata.) *legend. Artaxatis: quæ iam Pompeius cæperat.* Sophene.) *pars Armeniæ maioris.* Sex mill.talent.) 3600000 *coron.*

Pompeius mox etiam Albanis.)

Flor. lib.3.At in Septentrionem Scythicum iter,tanquam in mari ſtellas,ſecutus Pompeius, Colchos cæcidit.Ignouit Iberiæ,pepercit Albanis:regem Colchorum Orodem,poſitis etiam ſub ipſo Caucaſo caſtris,iuſſit in plana deſcendere:Arthacen, qui Iberis imperabat,& obſi-

obſides liberos dare. Orodem etiam remuneratus eſt, ultrò ab Albania ſua lectulum aureum ac alia dona mittentem. Albanis.) qui ſunt ad Septentrionem & occaſum montis Caſpij. Munera.) auream ſellam. Iberiæ.) quæ eſt media inter Colchidem & Albaniã. Arm. minorem.) regionem inter Cappadociam ac maiorem Armeniam. Galatiæ.) regioni inter Bithyniam & Cappadociam. Belli Mithrid.) contra Mithridatem. Pylæmeni) Nicomedis, ut puto, filij. Paphlagoniam.) Septentrionalem Galatiæ partem. Colchis.) regioni ad orientalem partem Ponti Euxini. Mox.) Anno 689.

Mox Ituræos & Arabes uicit.)

Ituræi & Arabes montana tenent Laodiceæ, quæ ad Libanum montem eſt, inquit Strabo lib. 16. & meminit Plinius lib. 5. cap. 23. Strabo addit, maleficos omnes eſſe, receptacula munitiſſima habere, quemadmodũ qui Libanum colunt, quæ omnia Pompeius euertit, quæ ad mare potiſſimum habebant inter Sidona ac promontorium θεῦ πρόσωπον. Seleuciam.) Pieriam opinor. Antiochiæ.) quæ ad Orontem eſt.

Aliquantum agr. Daphnenſibus dedit.)

Vltra Antiochiam eſt Daphne, ad ſtadia 40. mediocris habitatio, & lucus ingens & opacus, fontanis aquis irriguus, in cuius medio eſt fanum & aſylum, Apollinis ac Dianæ delubrum, in quo Antiochenſes finitimi feſta celebrare conſueuerant. Luci ambitus eſt ſtadiorum 80. Strabo lib. 16.

Inde ad Iudæam tranſgreſſus.) *Anno 690.*

Strabo libro 16. Pompeius Iudæorum munitiones euertit, & ipſa in primis Hieroſolyma ui capta ſunt. ea munitio petroſa erat, & benè ſepta, & interius aquis abundans, exterius omnino ſicca. Foſſam habebat in lapide exciſam X L pedũ profunditate, latitudinẽ C C L. è lapide autem exciſo eduƈta erant templi mœnia. Pompeius ea cæpit, obſeruato ieiunij die, dum ab omni opere Iudæi abſtinerent.

M. Tullio Cicerone.) *Anno 691.*

Velleius Paterculus lib. 2. hæc de Cicerone ait: Per hæc tempora M. Cicero, qui omnia incrementa ſua ſibi debuit, uir nouitatis nobiliſſimæ, & ut uita clarus, ita ingenio maximus: qui effecit, ne quorum arma uiceramus, eorum ingenio uinceremur: Coſ. Sergij Catilinæ, Lentuliq́; & Cethegi, & aliorum utriuſq; ordinis uirorum coniurationẽ ſingulari uirtute, conſtantia, uigilia, curaq́; eripuit. Catilina metu conſularis imperij urbe pulſus eſt: Lentulus Conſularis & Prætor iterũ, Cethegusq́; & alij clari nominis uiri, autore Senatu, iuſſu Coſ. in carcere necati ſunt. Cæterùm copioſè Salluſtius hanc hiſtoriam deſcripſit. Nobiliſſ. generis.) *antiquiſſ. familiæ.*

Socij eius deprehenſi.)

Cicero in oratione 3 in Catilinam, nouem hominum perditiſſimorum pœna rempublicã conſeruatam ait. Salluſtius ſocios eius nominat V. Lentulum, Cethegum, Statili-

Statilium, Gabinium, Cæpacium. Sexcenteſimo nonageſimo anno.) *Anno 692.* Metellus.) *Creticus.*

Metellus de Creta triumphauit.)

Plinius libro 7.cap.26.ait,ſequentis anni Coſſ. M. Meſſala, M. Piſone, III Calendas Octobris hunc fuiſſe triumphum tertium. lib. autem 37.cap.2. ubi de eodem triumpho, ait eum pridie Calendas Octobris fuiſſe, ubi eius miracula prodit, cum magna Pompeij increpatiõe. Pomp. de bello.) *Tertius hic fuit Pompeij triũphus, ex Aſia ſcilicet: de alteris duobus ſuperius habuimus.* Fuit.) *ante hunc.* Ariſtobulus.) *Alexandri & Alexandræ F.*

Auri atque argenti infinitum pondus.)

In Plutarcho ſumma eſt 20000 talentûm, quæ faciunt 12000000 coron. Locus in Plinio lib.37. cap.2. planè deploratus eſt, inquit Budæus libro tertio de Aſſe.

Anno V. C. DCXCV.) *Anno 645.*

Hoc anno cœpit bellum Gallicum, quod geſſit Iulius Cæſar, proximo anno poſt conſulatum. numerus hic debebat eſſe, ſecundum Eutropij numerationem, 693, noſtra autem ſupputatione 695. duobus enim annis præcedimus eum. Numerus autem belli Gallici primus eſt, ut poſuimus, 695.

Is primò uicit Heluetios.) *An. 696.*

Vt uideat lector fortunam à Romanis fuiſſe, Helue

tij, qui toties Romanos uicerunt, adeò ſtulti facti ſunt, ut oppidis ſuis incenſis, relicta munitiſſima patria, totius Galliæ imperium capere niterentur. Dedit ea temeritas Romanis occaſionem arripiendi imperij in Galliam, ac deinde totius orbis. hoc autem uoluit DEVS, *qui naſci uoluit in ſumma pace, quæ paulo pòſt fuit ſub Auguſto.*

Heluetios, qui nunc Sequani.)

Heluetij inter Rhenum, Rhodanum ac Iuraſſum mõtem, in quatuor pagos diuiſi, Durgoanum, Limmagianum, Vrſinum ac Arolanum, à quatuor fluminibus Vr, Limmag, Vrſa, Arola. Olim una ciuitas, nunc XIII *urbium ſiue partium, hoc ordine: Tigurum, Berna, Luceria, Vria, Suicia, Syluania, Tugium, Clarona, Baſilea, Friburgum, Salodorum, Schafhuſia, Abbatiſcella. Primæ octo antiquæ uocantur. Baſilea non eſt in uero Heluetiorum tractu, ſed in Sequanis. Schafhuſia, in Germano littore. Abbatiſcella & Clarona, ſemiRhætæ.* Sequani.) *In hac appellatione fallitur. Cæterùm hoc bellum elegãtiſſ. deſcripſit Cæſar li. 7, & Hirt. li. 1. ut nõ ſit opus multa hic cõmẽtari.* Bis tricies cẽt.) *3200000 milliaria. Apud Ptolemæũ aliquãto minor eſt, etiãſi undenos omniũ laterum gradus quater per 500 ſtadia multiplicauerimus. erit enim ſumma ſtadiorũ 22000. quæ ſi multiplicentur per 125 (quantum paſſuum eſt ſtadium) paſſus producentur 2750000 milliaria.*

Germanosq́ trans Rhenum.)

Eodem anno in Germaniam uenit, XVIII omninò dies commoratus. Pontem, quem fecerat per Rhenum, reſcidit: ſed nullam pugnam in Germania fecit. Se-

ſtertiũm

ſtertiûm quadringenties.) 40000000 HS. 1000000 coron. Brytannis mox.) *Anno 699. Hoc factum eſt anno 4. belli Gallici.*

Inter tot ſucceſſus.)

Sueton. in Cæſare, tit. 25. Per tot ſucceſſus ter, nec amplius, aduerſum caſum expertus. In Brytannia claſſe ui tẽpeſtatis propè abſumpta, & in Gallia ad Gergouiã legione fuſa, & in Eburonum finibus Titurio & Aruncuìeio legatis per inſidias cæſis. Hæc Suetonius, longè rectius quàm Eutropius: niſi alij etiam obtinuerint, Cæſarem in Germania malè pugnaſſe. Ipſe certè nòn meminit. Apud Aruernos.) *ad opp. Gergouiam.* Legati eius.) *Vide Cæſ. lib. 5.* DCXCIX.) *Hic nobiſcum conuenit.*

M. Licinius Craſſus collega.)

Florus lib. 3. Aduerſa & dijs & hominibus cupiditas conſulis Craſſi, dum Parthico inhiat auro, ſtrage 11 legionum et ipſius capite multata eſt, quòd tribun. pleb. Atteius exeuntem ducem hoſtilibus diris deuouerat, cæſo unà cum filio Craſſo. Capiti eius amputato infuſum eſt aurum, in contumeliam, & auaritiæ ultionem. In conſulatu ſecundo.) *utriuſq; ſcilicet.* Carras.) *Meſopotamiæ urbem.* Contra omnia.) *imò contra Tribunorum plebis uoluntatem.* A Surena.) *& Sylace.* Orodis.) *Parthorum regis.* Cum filio.) *P. de quo multa Cæſ. lib. 3. de bello Gallico.* Per C. Caſsium.) *qui poſtea Cæſarem occidit.* Perditas res.) *ſub M. Craſſo.* Res.) *Rom.* Perſas.) *Parthos.* Trans Euphratem.) *in Meſopotamiam.*

Hinc iam bellum ciuile ſucceſsit.)

Anno 705.

Hoc bellum eleganter deſcripſit Cæſar *ipſe tribus libris, &* Hirtius *duobus aut tribus.*

Cæſar enim rediens è Gallia uictor.)

Cæſar plebiſcitum impetrauerat, ut abſentis ſui ratio haberetur: id eſt, ut non cogeretur Romæ *in campo Martio adeſſe comitijs conſularibus, ac petere conſulatum more maiorum.* Ita *autem corruperat uniuerſum populum, ut minimè dubitaret de adeptione.* Quare *autem tantoperè cuperet fieri* Cos. *in cauſa erat, quia ſciebat non perpetuò ſe fore in* Gallia *imperatorem.* Vt *igitur poſt* Galliæ *præturam rurſus in imperio eſſet, uoluit ut ſui abſentis ratio haberetur. quod cum magnates nollent, ille noluit exercitum dimittere: cauſatus iniuriã ſibi fieri, quod plebiſcitum in ſe nõ ſeruaretur, & quòd prouincia abire iuberetur ſex menſibus ante ſtatutum tempus: & erãt prætextus iuſticiæ, propter quos armorum gloriam armis uindicare ſtatuit.* A` Marcello.) C. Claudio. Coſ.) *iterum.* A` Bibulo.) *collega* Cæſaris *ante decem annos.* Pompeio.) *genero.* Ad urbem redire.) *ac petere more maiorum.*

Propter quam iniuriam.)

Vera cauſa ciuilis huius belli erat, quòd Cæſar *depeculator erat, id eſt publicæ pecuniæ fur. tria millia enim pondo auri cõſulatu ſuo primo ex* Capitolio *furatus, tantundem inaurati æris repoſuit.* Hoc *ſcribit* Suet. *tit.* 54. *in* Iulio Cæſare. Hæc *omnia inimicis eius erant nota.* Verùm *quãdiu in imperio erat, in ius duci non potuit.* Ne-

ceſſe

ceſſe igitur ei uiſum erat, uel retinere exercitum, uel in magiſtratu eſſe. Nam *ut primùm* Coſ. *factus eſſet, rurſus ei exercitus dabatur, ut eſſet ita rurſus noua cauſa ſpoliandi aliquam prouinciam, ſicut* Galliam *ſpoliauerat, quod copioſè idem* Suetonius *ſcribit eodem titulo* 54. *In* Gallia *(inquit) fana templaq́; Deûm donis referta expilauit, urbes diruit, ſæpius ob prædam quàm ob delictum.* Vnde *factum, ut auro abundaret, ternisq́; mi l libus nummûm in libras promercale per* Italiam *prouinciasq́; diuenderet.* Ab Arimino.) *Piceni oppido.* Milit. congregatos.) XIII *legionem, ut ipſe inquit lib.* 1. Coſſ. cum Pomp.) C. *Marcellus*, L. *Lentulus.* Fugit.) *Capuam.* In Græciam.) *Macedoniam.* Tranſiuit.) *Senatus.* Epirum.) *ad Hadriatici maris regionem.* Achaiam.) *ubi Athenæ.* Parauit.) *Senatus & nobilitas.*

Dictatorem ſe fecit.)

Cæſar libro tertio de bello ciuili, ab initio ſe Dictatorem nominat. At *ubi, & à quo ſit dictus* Dictator, *non dicit.*

Inde Hiſpanias petijt.)

In hoc ad Hiſpanias *itinere* Maſſilia *per* L. Domitium *Ænobarbum miſerè decepta, portus Cæſari clauſit, & Pompeianis aperuit: ſed tandem ab eodem* Domitio *prodita, Cæſari dedita eſt.*

Inde regreſſus in Græciam tranſijt.)

Anno 706.

Cæſar in Græciam profectus, cum apud Dyrrachiū *conſecutus eſſet* Pompeium, *pugnam detrectantem, eum circumuallare decreuit, ut famam quæ per orbem terra-*

rum inclaruerat, Pōpeij minueret, cum increbuiſſet eū à Cæſare obſideri, neq; audere prælio dimicare. Cæterùm in occupandis præſidijs magna ui uterq; utebatur. Cæſar, ut quàm anguſtiſſimè Pompeium contineret: Pompeius, ut quamplurimos colles quàm maximo circuitu occuparet. crebraq; prælia ob eam cauſam fiebant. X V *millia paſſuum circuitu Pompeius amplexus, ut interiore circulo: Cæſar* X V I I I *millia, ut exteriore. Verùm eam munitionem ob magnitudinem perficere non potuit. duabus igitur partibus inuito Cæſare, nec ſine eius clade, Pompeius euaſit. noningentos milites ac* L X *duobus prælijs Cæſar deſiderauit. Equites* C C C C, *tribunos mil.* L. *Centuriones* X X X, *ſigna militaria* X X X I I.
In Græciam.) *Macedoniam.* Aduerſus Pomp.) *Dyrrhachium.* Victus.) *à Pompeio* Fugatus.) *coactus mutare belli rationem.* Quia nocte.) *Hoc non dicit Cæſar.* Dixitq; Cęſar.) *Vide Beroaldum ſuper 36 tit. C. Iulij Cæſ. apud Sueton.* Pharſaliam.) *apud Pharſalum.*

Pompeij acies habuit X L millia.)

Cæſar ipſe lib. 3. de bello ciuili, de Pompeij acie locutus, ita inquit: Numero cohortes C X *expleuerat. Hæc erant millia* L V. *euocatorum circiter duo millia, reliquas cohortes* V I I *caſtris propinquiſq; caſtellis præſidio diſpoſuerat. Dextrum cornu eius riuus quidam impeditus ripis muniebat. quam ob cauſam cunctum equitatum, ſagittarios funditoreſq; omnes in ſiniſtro cornu obiecerat. Hæc ille. quæ ſumma cum Eutropiò minimè concordat. Conſtat autem Cæſarem longe minorē habuiſſe numerum*

merum & peditum & equitum. Florus *in ſua* Epitome *lib. 4. C C C millia ait hinc & illinc ſtetiſſe, præter auxilia regum &* Senatus. *Nunquam ullo loco tantum uirium populi* Romani, *tantum dignitatis fortuna uidit. Sed credo erratum in numero.* Neque meliorib.) *peritioribus in omneis cædes.* Contra Barbaros.) *exteros.*

Pugnatum tamen eſt ingenti contentione.)

Cæſar timens, ne à multitudine equitum dextrum cornu circumueniretur, celeriter ex tertia acie ſingulas cohortes detraxit, atq; ex his quartam inſtituit, equitatuiq; oppoſuit: & quid fieri uellet, oſtendit. monuitq;, eius dici uictoriam in earum cohortium uirtute conſtare. Quod quidem factũ eſt. Nam cum maximè iam pugna arderet, & equitatus Pompeij *à ſiniſtro* Pompeij *cornu urgeret equitatum* Cæſaris, *Cæſar illi quartæ aciei ſignum dedit, qui tam celeriter incurrerunt in* Pompeij *equitatum, ut eorum conſiſteret nemo, omneſq; conuerſi non ſolum loco cederent, ſed protinus incitati fuga mõtes altiſſimos peterent: quibus tamen* Pompeius *maximè confidebat.* Alexandriam.) *Ægypti principem urbem.* A' rege.) *Ptolemæo Auletæ filio.*

Propter iuuenilem eius ætatem.)

Vide patris Auletæ teſtamentum, binis tabulis ſcriptum, apud Cæſarem lib. 3. belli ciuilis, ſub finem. Fortunam.) *aduerſam.* Amicitiam.) *ueram.*

Cæſar lachrymas fudiſſe dici-
tur.)

Lucanus lib. 9. ſub finem:

Vtq; fidem uidit ſceleris, tantumq; putauit
Iam bonus eſſe ſocer, lachrymas non ſponte cadentes
Effudit, gemitusq; expreßit pectore læto.

Mox Cæſar Alexandriam fu-
git.)

Poſt Alexandri Magni mortem, duces eius omnia eius regna ſub titulo adminiſtrationis arripuêre. Sic Ptolemæo Lagi militis gregarij filio, cæterum mirè Alexandro dilecto, Ægyptus obuenit: poſt quē omnes Ptolemæi dicti. Secundus, eius nempe filius, Ptolemæus Philadelphus. Tertius, Ptolemæus Euergetes. 4, Ptolemæus Philopator. 5, Epiphanes. 6. Pt. Philometor. 7. Phyſion. 8. Pt. Lathurus. 9. Alexander. 10. iterum Lathurus, reſtitutus regno. 11. Pt. Auletes. Cui 4 proles, duæ maſculæ, duæ fœmellæ. Maior natu filius, et maior filia: Cleopatra, matrimonio copulati, regnare iußi. Sed frater Ptolemæus ſororem Cleopatram repulit, ac ipſe ſolus dominus eſſe uoluit. Quos cum Cæſar componere uellet, iuuenis Ptolemæus ei bellum mouit: unde Cæſar tandem uictor, ac mortuo Ptolemæo Cleopatræ regnum ſtupri gratia dedit. Ptolemęus.) *iuuenis.* Victus.) *Ptol. iuuenis.* Rediens inde.) *ex Ægypto & Syria.*

Pharnacem Mithridatis magni fil.)

De hoc Hirtius libro quarto: Poſt bellum Alexandrinum Pharnaces fretus diſcordia Romanorum, in ſpem uenit recuperandi regni paterni in Ponto. Deiotarum ex Armenia, Ariobarzanem ex Cappadocia expulit.

pulit. Cum Cn. Domitio Caluino, legato Cæſaris, proſpe rè pugnauit. Vnde elatus, multa tyrannicè in Ponto fecerat. At Cæſar adueniens, una leui pugna & regno eum exuit, & in fugam uertit. Meminit Suetonius titulo 35 & 37, in Cæſare Iulio. De eius triumpho tria celebrantur uerba, Veni, uidi, uici. Mithridatis magni.) Eupatoris.

Qui Pompeio in auxilium.)

Legati Pharnacis apud Cæſarem commemorabant, nulla Pharnacem auxilia contra Cæſarem Pompeio dare uoluiſſe, cum Deiotarus, qui dediſſet, tamen ei ſatisfeciſſet. Cæſar reſpondit, idipſum quod commemoraſſent officium, utilius Pharnaci fuiſſe, qui prouidiſſet ne uinceretur, quàm ſibi, cui dij immortales uictoriam tribuiſſent. Non ergo miſit Pompeio auxilia, quod hic tamen author aſſerit. Negat etiam Hirtius lib. 4.

Tertiò ſe Coſ.) Anno 708. Dictatori.) Cæſari.

Inde in Africam profectus.)

Hoc bellum deſcriptum eſt li. 5. qui de bello Africo inſcribitur. Cruentum planè & ancipitis Martis: poſtrema pugna ad Thapſum urbem omnes Pompeiani, exceptis Põpeij filijs, ac T. Labieno, periere, uaria fortuna, ut libri eius fine uidere eſt. Perijt et Iuba rex, qui huius belli maxima fax fuit. Nobilitas.) Romana. Bellum repara.) contra Cæſarem. P. Cornel. Scipio.) Ita apud Flor. lib. 114. prænomen eſt. Alij enim uocant Q. Metellum Scipionem. Hic etiam ſocer.) Corneliam enim habebat Pompeius, filiam eius. Q. Varro.) M. Varro. Pompeij gener.) Contra hos com-

commiſſo prælio, poſt multas dimicationes uictor fuit Cæſar. Cato, Scipio, Petreius, Iuba, ipſi ſe occiderunt. Fauſtus à Cæſare, &c. Hæc omnia hoc loco amiſſa uidentur. Poſt annum.) *Anno 709. Hoc bellum refertur utrunq; lib. 6. illo mutilo & corrupto, de bello Ciuili.* Se conſulem.) *aſſumpto Fabio per tres menſes.* Ad Hiſpanias.) *contra duos Pompeij filios, Cneum & Sextum.*

Vbi Pompeij filij.)

Quaſi non eſſet uſquam dimicatum, ſic arma rurſus & partes. quantóque Africa ſupra Theſſaliam fuit, tanto Africam ſuperabat Hiſpania, plurimúmque fauoris dabat ducum fraternitas, & pro uno duos ſtare Pompeios. Itaque nuſquam atrocius, nec tam ancipiti marte concurſum eſt. Omnium poſtrema certaminum Munda. Hic cum ueteranorum manus magis pudore quàm uirtute reſiſteret; ablegato equo ſimilis furenti primam in aciem procurrit. Ibi prenſare fugientes, confirmare, per totum denique agmen oculis, manibus, clamore uolitare. Dicitur in illa perturbatione & de extremis agitaſſe ſecū, & ita manifeſto uultu fuiſſe, quaſi occupare manu mortem uellet. Hæc Florus libro 4. Pompeij filij.) *Cnei, in Ægypto cæſi.* Et Sextus Pompeij F.) *legend.* Et Cn. Pompeij.

Agere inſolentius cœpit.)

De abuſu dominationis & poteſtatis eiuſdem, uide Suetoniū tit. 76. in Iulio, & deinde per continuos titulos. Nam cum ei nimij honores attribuerentur, perpetuus conſulatus, Dictatura perpetua, ac Cenſura, ſtatuæ regales,

regales: cognomina, Pater patriæ, imperator: item diui-ni honores, thenſa, aræ, templa, ſimulacra iuxta Deos, ſacerdotes, menſis appellatio: ipſe contemptis omnibus his, dignitates pro libidine conſtituit, nihil amplius remp. eſſe dictitans: Syllam neſciſſe literas, qui Dictaturam depoſuerit, uniuerſo Senatui plurima ac honeſtiſſima offerenti decreta, ſedens pro æde Veneris Genitricis non aſſurrexit. Tribunos plebis uiliſſimis de cauſis dignitate deiecit. Vnde coniurationes in eum factæ, quæ eum ut merebatur peſſundedere. Contra libertatem.) *Emenda, contra conſuetudinem.* Honores.) *magiſtratus.* Ex ſua uoluntate.) *pro libidine conſtitueret.* Populo.) *per populi ſuffragia.* Ad ſe ueniēti.) *cum plurimis honeſtiſſimisq; decretis.* Coniuratum eſt.) *De coniuratione in Cæſarem facta, uide Suetoniū titul. 80. in Iulio.* Duo Bruti.) *M. & Decimus.*

Ex eo genere Bruti qui primus.)

Hoc negat Dionyſius Halicarnaſſeus. Omnes enim Iunij ac Bruti plebeij fuerūt, qui poſtea Coſſ. fuerunt, cum Brutus primus Romanorum Coſ. fuerit patricius. Nullus autem Iuniorum aut Brutorum poſt primum Coſ. cum ex ſolis patricijs Coſſ. fierent, in conſulum catalogo inuenitur.

IN EVTROPII LIBRVM VII H. Glareani Annotationes.

Liber hic 7. hiſtoriam continet annorum circiter centum 38 ab V. C. 710. ad annū 848. Vndecim

poſt

poſt C. Iulium primum Cæſarum, eo ordine quo proſequutus eſt Suetonius, ut ſit finis in Domitiano. An*no urb.* D C C.) *Anno 710. Idibus Mart.*

Interfecto Cæſare.)

Vt primum Cæſar occiſus eſt, occupatum ab interfectoribus Capitolium eſt. Obliuione deinde cædis eius à Senatu decreta, obſidib. Antonij & Lepidi liberis acceptis, coniurati à Capitolio deſcenderunt. Florus lib. 116. Senatus fauebat.) ἀμνηστία *inducta à Cicerone.*

Antonius Coſ. partium Cæſaris.)

Prima ciuilium motuum cauſa teſtamentum Cæſaris fuit. cuius ſecundus hæres Antonius, prælatum ſibi Octauium furens, inexpiabile cõtra adoptionem acerrimi iuuenis ſuſceperat bellum. Hæc Florus lib. 4. Velleius Paterculus HS ſepties millies depoſitum à C. Cæſare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio ait.

700000000 HS

15700000 *coron.*

Miſsi ad eum perſequendum duo Coſſ.)

M. Antonius Coſ. cum impotenter dominaretur, legemq́; de prouinciarum permutatione per uim tuliſſet: tamen Cæſarem quoq; petentem ut ſibi aduerſum auunculi percuſſores adeſſet, magnis iniurijs affecit. Cæſar ſibi & reipub. uires contra eum paraturus; deductos in colonias ueteranos excitauit. legiones quoq; Quarta & Martia, ſigna ab Antonio ad Cæſarem tulerunt, & multi præterea deſciuerunt. M. Antonius, D. Brutum Mutinæ obſedit. Hæc cauſa fuit, Senatui mittendi Coſſ. ac Auguſtum

guſtum contra Antonium. Miſsi.) Mutinam. Duo Coſſ.) Anno 711. primum bellum Mutinenſe. Octauianus.) Octauius habet uet. codex.

Et Octauius adoleſcens.)

Hoc tempore, quando cæſus eſt Iulius, Auguſtus fuẽrat XVIII annos natus, ac dimidium. Dimidium autẽ anni effecit, ut quidam XIX legant, quidam XVIII. Geſsit autem V ciuilia bella, ut inquit Suetonius tit. 9. in Auguſto. Quæ hic author ordine perſequitur, ſicut Suetonius. Cæſaris nepos.) *ex Actia, quæ filia erat Iuliæ, ſororis Iulij Cæſaris.* Hæredem reliquerat.) *ex dodrante. Vide Sueton. tit. 83. in Cæſare.* Nõmen ſuum.) *Cæſaris.* Profecti.) *Mutinam, ubi Antonius obſidebat D. Brutum.* Tres duces.) *duo Coſſ. & Octauius.* Vicerunt eum.) *De hac uictoria uide Sueton. tit. 10. in Auguſto. & de perfidia Auguſti, in 11.*

Fugatus Antonius.)

Suetonius in Auguſto, tit. 12. Sed ut Auguſtus cõgnouit, Antonium poſt fugam à M. Lepido receptum, cæteroſq; duces & exercitus conſentire pro partibus, cauſam optimatum ſine cunctatione deſeruit, ad prætextum mutatæ uoluntatis, dicta factaq; quorundam calumniatus, quaſi alij ſe puerum, alij ornãdum tolerandumq; iactaſſent, ne aut ſibi aut ueteranis par gratia referretur. Hæc ille. Velleius hanc etiam rem egregiè perſequitur. Cæterùm dum Octauius pro Senatu erat, Cicero mirificè eũ laudauit. At cum defeciſſet ad Lepidũ ac Antoniũ, mirè in eum exclamat. Cõfugit ad Lepidum.) *qui tum in Gallia erat.* Patris ſui.) *adoptiui Iulij.*

Romam cum exercitu profe-
ctus.)

Idem Suetonius in Auguſt. tit. 26. Conſulatum uiceſimo ætatis anno inuaſit, admotis hoſtiliter ad urbem legionibus, miſsiſq; qui ſub nomine exercitus depoſcerēt: cum quidem cunctāte Senatu, Cornelius centurio princeps legationis, reiecto ſagulo oſtendens gladij capulum, non dubitaſſet in curia dicere: Hic faciet, ſi uos nō feceritis.

Senatum proſcripſit cum Anto-
nio.)

Inita cum Antonio ac Lepido ſocietate, inter Mutinam ac Bononiam Auguſtus & illi Syllanam proſcriptionem renouarunt. Nihil unquam crudelius actitatum putant hiſtorici: nec deflere quidem quiſquam ſatis dignè poterit, nemo uerbis exprimere. Antonius L. Cæſarē auunculum, Lepidus Paulum fratrem proſcripſerant. Nec Planco gratia defuit, ad impetrandum, ut frater eius Plancus Plotius proſcriberetur: eoq; inter iocos militares, qui currum Lepidi Planciq; ſecuti erant, inter execrationem ciuium uſurpabant hunc uerſum, De Germanis, non de Gallis duo triumphant conſules. Florus lib. 4. in ſua Epitome, C X L: idem libro 120 in Liuij Epitome, ait C X X X Senatores fuiſſe ab his proſcriptos. Sabellicus in 13 titulum Auguſti apud Suetonium, ait Senatores C C C ac 2000 equeſtris ordinis proſcriptos fuiſſe. Cum Antonio.) *unà concordans.* Ant. & Lep.) *qui etiam eum proſcripſerunt.* Interea.) *Anno 712. Secundum bellum Philippenſe.*

Interea

Interea Brutus & Caſsius.)

Poſt Mutinenſe bellum, & triumuirorum conſpirationem, relicto ad urbis præſidium Lepido, Cæſar Octauius cum M. Antonio in Caßium Brutumq́; ſuccingitur, ac apud Philippos uario euentu pugnarunt, ita ut utriuſq; aciei dextera cornua uicerint: hinc M. Antonius Caßium, illinc M. Brutus Auguſtum. Sed tum Caßius uictus, ratus etiam Brutum uictũ, ante nuncium uictoriæ ſibi mortem conſciuit. quod cum reſcißet Brutus, tentata rurſus pugna ac uictus, ſeipſe interfecit.

Ingens bellum.) *in Græcia.* Cæſ. Octauius & M. Anton.) *duo triumuiri.* Lepidus.) *tertius triumuir.* Victi ſunt Ant. & Cæſar.) *lege, Victi ſunt hinc Caßius, illinc Cæſar.* Quæ cum illis bellum geſſerat.) *Hic inſerendum, Antonius & Cæſar interfecerunt.* Sed in Italia.) *Anno 713. Tertium bellum Peruſinum.*

L. Antonius Coſ.)

Fuluia Antonij uxor, ex priore marito P. Clodio Ciceronis inimico filiam ſuſceperat Claudiam, quam duxit Auguſtus, poſt initam cum Lepido & Antonio ſocietatem. Verùm cum Antonius in Ægypto Cleopatræ adhæreret, Fuluia, ut maritum in Italiam eliceret, conſuluit L. Antonio, M. Antonij fratri et tum Conſuli, ut bellum Auguſto inferret, receptis in partes ſuas populis, quorũ agri ueteranis aßignati erant. Auguſtus autem L. Antonium obſeſſum in op. Peruſia, conatum aliquoties erumpere, repulſum, fame coegit in deditionem uenire. Interim à Sexto Pompeio.) *Quartum bellum Siculum.*

A' Sexto Pompeio.)

Sextus Pompeius, Magni filius, poſt bellum Hiſpanienſe, quod fuit anno 709, diu uagatus, ſine ulla loci cuiuſquam poſſeßione, prædatus in mare, Meſſanam oppidum in Sicilia primùm, deinde totam prouinciam occupauit. Saluidenum Auguſti legatum nauali prælio uicit. deinde cum annonæ caritas urgeret Italiam, occluſo ex Sicilia commeatu, pax conuenit, ut Siciliam obtineret. Bis inde, cum pacem non ſeruaret, pugnatum uario cum eo euentu. Agrippa poſtea eum uicit. expulſus Sicilia Pompeius, in Aſiam ad M. Antonium confugit. Verùm bellum aduerſus Antonium moliens, à legatis eius oppreſſus eſt. Cnei.) *Magni.* His qui ſuperſ.) *exulibus ac proſcriptis.* Pax poſtremò.) *ſed non diu durans.* M. Agrippa.) *Auguſti gener.* In Aquitania.) *Galliæ tertia pars eſt.*

Et L. Ventidius.)

Velleius loquẽs de an. 711, quo Auguſtus primùm Coſ. fuit, ita de hoc ait: Vidit hic annus Vẽtidium, per quam urbem inter captiuos Picentium in triũpho ductus erat, in ea cõſularem prætextam iungentem prætoriæ. Idem hic poſtea triumphauit. De hoc multa Gellius lib. 15. ca. 4. Et Valerius Max. lib. 6. cap. 10. Eutropius L. prænomen habet, Valerius P. Florus autem li. 127. habet quidem P. libro uerò 128, L. Plin. lib. 7. cap. 34. habet Pub. etiam. Syriam.) *Romanam prouinciam.* Perſas.) *Parthos.* Parthorum.) *Pacorum fortè legend. ut al. habetur.* Perſarum.) *Parthorum.*

Hic primus de Parthis.)

Florus lib. 127, P. Ventidius Antonij legatus, Parthos præ-

prælio uictos Syria expulit, Labieno duce eorum occiſo. Idem lib. 128. L. Ventidius legatus M. Antonij, Parthos in Syria uicit, regemq́; eorum interemit. Pompeius.) *Sextus.* Nauali præl. uict.) *in Sicilia, ab Agrippa.* Interfectus eſt.) *à legatis Antonij.* Antonius.) *V. bellum Actiacum.*

Qui Aſiam & orientem.)

Suetonius tit. 16. in Auguſto: M. Antonij ſocietatem ſemper dubiam & incertam, reconciliationibusq́; uarijs malè refocillatam abrupit tandem. Hæc ille. Cum autem M. Antonius ad bellum contra Auguſtum incitaretur, uxore Fuluia dimiſſa, ne concordia ducum obſtaret, pace facta cum Cæſare, ſororem eius Octauiam in matrimonium duxit. Florus lib. 127. Tandem Cleopatræ reginæ Ægypti amore implicitus, Octauiæ repudium remiſit: Cleopatræ imperium Romanum promiſit. Vnde motus tandem Auguſtus ad Romani imperij defenſionem, è Brunduſio in Epirum caſtra locat ad Leucadem, in Ambracio ſinu: quò Antonius C C nauibus magnis cum Cleopatra aduenit. Sed cum Antonius uinceretur, Cleopatra prima fugæ dux, cum aurea naui in altum uela dedit. mox ſecutus Antonius: ſed inſtãte ueſtigijs Cæſare, prior ferrum occupauit Antonius. Cleopatra cum fruſtra ueniam ſperaret, ne in triumpho duceretur, admotis ad uenas ſerpentibus, ſic morte, quaſi ſomno ad Antonij ſepulchrum ſoluta eſt. Cleopatram.) *Auletæ filiam.* Contra Perſas.) *Parthos.* Ipſe etiam.) *etiam ipſe pugnauit: ſed infeliciter, quia contra ius.* Fame & peſtilentia.) *imò amore Cleopatræ.* Pro uictore ceſsit.) *quaſi uiciſſet, qui uix euaſerat.*

A' Sexto Pompeio.)

Sextus Pompeius, Magni filius, poſt bellum Hiſpanienſe, quod fuit anno 709, diu uagatus, ſine ulla loci cuiuſquam poſſeßione, prædatus in mare, Meſſanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam prouinciam occupauit. Saluidenum Auguſti legatum nauali prælio uicit. deinde cum annonæ caritas urgeret Italiam, occluſo ex Sicilia commeatu, pax conuenit, ut Siciliam obtineret. Bis inde, cum pacem non ſeruaret, pugnatum uario cum eo euentu. Agrippa poſtea eum uicit. expulſus Sicilia Pompeius, in Aſiam ad M. Antonium confugit. Verùm bellum aduerſus Antonium moliens, à legatis eius oppreſſus eſt. Cnei.) *Magni.* His qui ſuperſ.) *exulibus ac proſcriptis.* Pax poſtremò.) *ſed non diu durans.* M. Agrippa.) *Auguſti gener.* In Aquitania.) *Galliæ tertia pars eſt.*

Et L. Ventidius.)

Velleius loquẽs de an. 711, quo Auguſtus primùm Coſ. fuit, ita de hoc ait: Vidit hic annus Vẽtidium, per quam urbem inter captiuos Picentium in triũpho ductus erat, in ea cõſularem prætextam iungentem prætoriæ. Idem hic poſtea triumphauit. De hoc multa Gellius lib. 15. ca. 4. Et Valerius Max. lib. 6. cap. 10. Eutropius L. prænomen habet, Valerius P. Florus autem li. 127. habet quidem P. libro uerò 128, L. Plin. lib. 7. cap. 34. habet Pub. etiam. Syriam.) *Romanam prouinciam.* Perſas.) *Parthos.* Parthorum.) *Pacorum fortè legend. ut al. habetur.* Perſarum.) *Parthorum.*

Hic primus de Parthis.)

Florus lib. 127, P. Ventidius Antonij legatus Parthos

præ-

prælio uictos Syria expulit, Labieno duce eorum occiſo. Idem lib. 128. L. Ventidius legatus M. Antonij, Parthos in Syria uicit, regemq́; eorum interemit. Pompeius.) *Sextus.* Nauali præl. uict.) *in Sicilia, ab Agrippa.* Interfectus eſt.) *à legatis Antonij.* Antonius.) V. *bellum Actiacum.*

Qui Aſiam & orientem.)

Suetonius tit. 16. in Auguſto: M. Antonij ſocietatem ſemper dubiam & incertam, reconciliationibusq́; uarijs malè refocillatam abrupit tandem. Hæc ille. Cum autem M. Antonius ad bellum contra Auguſtum incitaretur, uxore Fulvia dimiſſa, ne concordia ducum obſtaret, pace facta cum Cæſare, ſororem eius Octauiam in matrimonium duxit. Florus lib. 127. Tandem Cleopatræ reginæ Ægypti amore implicitus, Octauiæ repudium remiſit: Cleopatræ imperium Romanum promiſit. Vnde motus tandem Auguſtus ad Romani imperij defenſionem, è Brunduſio in Epirum caſtra locat ad Leucadem, in Ambracio ſinu: quò Antonius C C nauibus magnis cum Cleopatra aduenit. Sed cum Antonius uinceretur, Cleopatra prima fugæ dux, cum aurea naui in altum uela dedit. mox ſecutus Antonius: ſed inſtãte ueſtigijs Cæſare, prior ferrum occupauit Antonius. Cleopatra cum fruſtra ueniam ſperaret, ne in triumpho duceretur, admotis ad uenas ſerpentibus, ſic morte, quaſi ſomno ad Antonij ſepulchrum ſoluta eſt. Cleopatram.) *Auletæ filiam.* Contra Perſas.) *Parthos.* Ipſe etiam.) *etiam ipſe pugnauit: ſed infeliciter, quia contra ius.* Fame & peſtilentia.) *imò amore Cleopatræ.* Pro uictore ceſsit.) *quaſi uiciſſet, qui uix euaſerat.*

Cogente.)*ad bellum.* Cupiditate.)*impotentia.* Actium.)*Epiri promontorium, in Ambracio ſinu.* Omnes.)*qui pro eo fuerant.*

Cn.Cornelius Gallus.)

Vergilius Ecloga ultima huius amores deflet. doctus Græcè fuit, Euphorionem uertit. Idem Maro plurimũ eum dilexit, & 4 Georgicôn in eius laudem clauſerat. Sed Auguſtus iuſsit mutare nomen in Ariſtæi fabulam. Meminit Suetonius tit. 66. in Auguſto, & Euſebius in Chronicis, Strabo libro 17. XII anno.) V.C. 723. XII annis.)*per XII annos.* Cum Antonio & Lepido.)*duobus triumuiris.*

Ita ab initio principatus eius.)

Quot Cæſar Auguſtus, nemo imperatorum tot annis regnauit. ſolus tamen ſuperatur à Friderico tertio, Maximiliani parente, decennio: is enim in imperio fuit ſolus annis 54. cum Auguſtus 44. duntaxat ſolus.

In oppido Campaniæ Atella.)*Legend. Nola.*

Cornelius Tacitus lib. 1. ubi de ſermone recitat, qui fuit de Auguſto mortuo, ait: Nolæ eum in cubiculo mortuum, in quo pater eius uitam finiſſet. Nola.)*Picentinorum mediterranea, inquit Ptolemæus.*

Romæ in campo Martio ſepelitur.)

Suetonius tit. C. in Aug. Senatorum humeris delatus in Campum, crematusq́. Reliquias legerũt primores equeſtris ordinis, tunicati & diſcincti, pedibusq́; nudis, ac in

ac in Mauſolæo condiderunt : Id opus inter Flaminiam uiam ripamq́; Tiberis, ſexto ſuo conſulatu extruxerat, circumiectasq́; ſyluas, & ambulationes in uſum populi tūc iam publicarat. De Mauſolæo Auguſti multa Strabo lib.5. Geographiæ. Sepelitur.) *crematur, & reliquiæ in Mauſolæum deferuntur.*

Cæterùm anno XLII *imperij Auguſti, in* Bethle- *hem Iudæ naſcitur* IESVS CHRISTVS, *Dominus ac Deus noſter, de uirgine Maria, octauo Calendas Ianuarij, anno ab V. C. 751. Coſſ. Cn. Lentulo Getulico et, M. Valerio Meſſala, cum iam Auguſti imperium firmiſsimum eſſet, & pax latiſsimè pateret. Id autem diuina prouidentia, non Romanorum aut Auguſti fortuna factum eſt. Voluit enim Deus unigenitum ſuum filiū in ſumma pace mittere, quod oracula prædixerant, Eſaiæ 2. De Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hieruſalem: & iudicabit gētes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in uomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium.* Adiecit Aegyp.) *mortua Cleopatra.* Cantabriam.) *regionem Hiſpaniæ citerioris, ad Septētrionem, Oceano propinquam: unde & Oceanus Cantabricus.*

Dalmatiam ſæpe antè uictam.)

Dalmaticum bellum, inquit Suetonius tit.20. in Auguſto, adoleſcēs adhuc per ſe geſsit, in quo uulnera accepit. Cantabricum item per ſe, ſed poſt deuictum Antonium. Reliqua bella per legatos adminiſtrauit. Vide ea omnia titulo uigeſimoprimo apud Suetonium, in Auguſto. Pannoniam.) *regionem ſub Norico, ad Danu*

bium. Aquitaniam.) *Galliæ tertiam partem.* Illyricum.)

Idem Suetonius in Tib.16. Illyricum, quod intra Italiam regnumq́; Noricum ac Thracicum, & Macedoniam, interq́; Danubium flumen & ſinum maris Hadriatici patet, dicitur. Rhætiam.) *quæ hodie in tria fœdera eſt diuiſa.* Vindelicos.) *inter Lycum amnem, & lacum Brigantinum.* Salaſſos.) *Augſtal hode, ſiue Vallis prætoria.* Boſphorum.) *in Aſia, ad Boſphorum Cimmerium.* Panticapen.) *urbem Tauricæ Cherſoneſi, ad eundem Boſphorum.* Vicit.) *prælio ſeu bello coercuit, non uicit.*

Vicit autem prælijs Dacos, German.)

Suetonius tit.21. in Auguſto: Coercuit & Dacorum incurſiones, tribus eorum ducibus cum magna copia cæſis. Germanosq́; ultra Albim fluuium ſummouit. ex quibus Sueuos & Sicambros dedentes ſe traduxit in Galliam, atq; in proximis Rheno agris collocauit. Hæc ille. Ergo uerſu 9 huius ſemipaginæ, illud Quo bello, uidetur ad Druſum referendum: qui contra Germanos pugnauit, ac apud eos occidit. Verùm obſtat quod idem Suetonius in Tib. tit. 9. ait, etiam Tiberium Germanicũ geſſiße bellum: ac eo bello quadraginta millia dedititiorũ traieciße in Galliam: haud dubiè loquens de ijſdem, de quibus hic Eutropius loquitur. niſi quis credat hoc Tiberium feciſſe, quando poſt Varianam cladem in Germaniam redierat, ut titulo 18 recitat Suetonius in Tiberio. Dacos.) *regionem ad Danubium.* Albim.) *Max. Germaniæ fluuium.* Barbarico.) *ſolo ſcilicet.* Per Druſum.)

Druſum.) *Tiberij fratrem.* Priuignum.) *Liuiæ filium.* Tiberium.) *maiorem Neronem.* Pannonicum.) *ſ. bellum.* Quo bello.) *Germanico ſc.*

CCCC millia captiuorum ex Germania.)

Quadraginta legendum, pro CCCC. *nam Romani de Germania nihil habuerunt tempore Augusti, quàm quod ab Vbijs eſt ad Viſurgim, hode à Colonia Agrippina ad* Weſer: *& uſq; ad* Bremen *Albin attigerunt, ſed nihil ſolidæ ditionis illic, nec imperij habuêre. Et ut ait Florus lib. 4. Germania magis turpiter amiſſa eſt, quàm glorioſè acquiſita. Cæterùm ut Romani etiam aliquid in Germania habere dicerentur, finxere duas in Gallia Germanias, ſuperiorem ac inferiorem, ut eſt uidere apud Ptolemæum: ac ueram Germaniam uocarunt magnam Germaniam. quam poſteriores imperatores ſæpe ingreſſi ſunt, ſed nunquam quicquam ſolidi imperij in ea habuerunt.* In Gallia.) *Belgica.* Perſæ.) *Parthi. Vide Suet. tit. 21. in Auguſto.* Craſſ. uicto.) *ad Carras.* Scythæ.) *Hoc idem Suetonius.* Ad eos.) *ad eum.* Galatia.) *Aſiæ regio ad Pontum Euxinum.* Tanto autem.) *Vide Suet. tit. 60. in Auguſto.*

Quas Cæſareas nominarunt.)

Imò tota Mauritania à Malua fluuio uſq; ad Ambſagam flu. Cæſarea appellata eſt apud Ptolemæum, ab inſula Iulia Cæſarea quæ obiecta eſt ei. poſt eū uerò & Tiberius ac alij imperatores multas urbes Cæſareas appellarunt, magno Geographorum incommodo. In Palæſtina.) *Cæſareia Stratonis.* Vrbs clariſſ.) *ad*

littus Palæſtinæ. Ex regnis.) *regnis relictis, inquit Suetonius.* Hab.Rom.) *Hoc planè ſcribit Suetonius iam dicto tit.60.* Cucurrerunt.) *ut clientes.* Diuus.) *inter deos relatus.* Beatiſsimam.) *feliciſsimè rectam ac inſtitutam.* Tiberio.) *priuigno, Liuiæ filio.*

Qui priuignus, mox gener.)

Nihil unquam peius fecit Auguſtus, quàm quod coegit Tiberium relinquere uxorem legitimam Agrippinam, M. Agrippa genitam, neptem Pomponij Attici, ex qua habuit Druſum filium, & rurſus grauida cum eo benè conueniebat: ſed Auguſtus ei ſuam filiam dedit, reiecta altera, ex qua omne malum deinde ortum in Iuliam gentem, ac totum imperium Romanum, per Tiberij ſocordiam. Exemplo enim Tiberij omnes poſteri imperatores de Auguſti familia degenerarunt.

Tiberius ingenti ſocordia imperium.) *Anno 767. V. C. Chriſti autem Anno 17.*

Non tulit Romana regia fucatius ingenium, ac magis ſubdolam mentem, hoc Tiberio: qui omnia in hominum ruinam ac doloſam captionem diſſimulare ſolebat, ita ut populum, Senatum, totum deniq; orbem deciperet. Porrò quamdiu ſub Auguſti auſpicijs fuit, ſatis bene omnia adminiſtrauit. Verùm ubi ille fato conceſſit, ibi uerò tres immaniſſimi uitæ affectus crupère, præter expectationem: crudelitas, libido, auaritia. quæ planè ſcelera, quo minus ex ficta illius perſona fuerant expectata, eo maiorem omnibus gentibus ſtuporem intulere. Nec tantùm mala illa in ſua tempora ſæuiere, ſed peſſimo

mo exemplo, deteſtabili principum carnificinæ fores a- peruerunt. Hinc enim *Caligulæ*, Nerones, Domitiani, Cõmodi, Seueri, *aliæq;* Romani *imperij peſtes extitere, Sabell.* Socordia.) *ad conſiderandum ac agendum.* Nuſquam ipſe.) *nullam expeditionem poſt ſuſceptũ imperium ſibi ſumpſit.* Per legatos.) *per filium ado ptiuum Germanicum*, *Iunium Blæſum*, C. *Silium*, A. *Cecinnam.*

Quoſdam reges per blanditias.)

Suet. tit. 37. in Biberio: *Reges infeſtosq; ſuſpectosq; cõminationib. magis ac querelis quàm ui repreßit: quoſdã per blanditias atq; promiſſa extractos ad ſe non remiſit, ut Maroboduum Germanum*, *Raſcypolim Thracem, Archelaum Cappadocem.*

In quibus Archelaum Cappadocem.)

Cornelius Tacitus lib. 2. initio anni tertij Biberij *ait, Tiberium ideo Archelaum odiſſe, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluißet. nec id Archelaus per ſuperbiam omiſerat, ſed ab intimis Auguſti monitus, quòd florente C. Cæſare, Auguſti adoptiuo, miſſoq; ad res Orientis, in tuta Tiberij amicitia credebatur.* Cuius etiam reg.) *Verba Suetonij tit. 37.* Max. ciuitatem.) *ſedem regum Cappadocum.* Mazaca.) *Meminit huius urbis & Ptolemæus in 5. & Strabo lib. 12. non ita longè ab initio.* LXXIX.) LXXVIII, *Suet. tit. 73. in* Biberio. Om. gaudio.) *De gaudio populi Romani uide Suet. tit. 75. in* Biberio.

Sue-

Succeſsit ei C. Cæſar, cognomento Caligula.)

Prouerbium eſt, Heroum filij noxæ. quod adeò uerum eſt in perfidiſsimo hoc, ſtultiſsimo atq; ſceleratiſsimo imperatore, cum optimum parentem Germanicum haberet, ipſe uelut monſtrum hominis, nihil humanum referens, quàm membra quædam deformia: ut nihil aliud quàm inſanum referret, & facie & factis. Nihil unquam natura produxit magis noxium; ſed miſeria fuit populi Romani, ut noſceret DEI *potentiam, cum ipſe totum orbem uexaſſet armis, ab ſcabioſo lixa pluſquam ignominioſa pati cogeretur. Itaq; non patris natura Caligulæ obfuit, cuius in uita nihil retulit: ſed carnificina illa auita, inexplebilis auaritia, portentoſæq; Capreenſis ſeceſſus libidines, quæ peſtem illam humani generis aluêre, funeſtoq; principatu omnium ſcelerum ſemina fomentaq; turpiſsima præbuerant.* Succeſsit.) *Anno* V.C.790. *Chriſti uerò* 40. Calig.) *à caliga calceamento militari clauis præfixo.* Priuigni.) *ex filio Germanico.* Funeſtiſsimus.) *hominum carnificina.* Qui etiam Tiberij.) *id eſt, qui ita malè ſe geſsit, ut Tiberius peſsimus, iam etiam bonus uideretur.* Bellum contra.) *Vide Sueton. tit.* 43. *in Calig.* Sueuiam.) *Batauiam legend.* Sororibus.) *Druſillæ, Liuillæ, Agrippinæ: Suetonius titul.* 24. *in Caligula.* Natam filiam.) *Hæc non habet Suetonius.*

Cum aduerſus cunctos.)

Suetonius de eius prodigalitate, tit. 37 *in Calig. mira ſcribit. Cæterùm de nouo balnearum uſu notandum, quod Plinius dicit lib.* 13. *cap.* 3. *Vnguenti libras excede-*

re quadragenos denarios. Si quis igitur in dolium indat tres ſummas unguenti centenûm nonagenûm binûm ſextariorum dupondiorum, fient libræ Romanæ 1152. *Hæ ductæ per 40 denarios, efficient ſummam denariorum 46080. qui diuiſi per decem, producunt coronatorum 4608, pro unius diei ac unius ſolij lotione. Vndè non mirum eſt, eum immenſas opes totumq; illud Tiberij Cæſaris uicies ac ſepties millies* HS, *non toto uertẽte anno abſumpſiſſe.*

2700000000 HS

67500000 coron.

Cum aduerſum.) *Vide hæc tit.56. in Calig. apud Suetonium.* Interfectus.) *Tit.58 in Calig. Suetonius.* Anno ætatis ſ. XXXIX.) *Al.* XXIX. *Sueton. tit.59.* Poſt hunc.) *anno Domini 44.* Patruus.) *patris, Germanici ſcilicet, frater.* Druſi.) *Liuiæ ex Tib. Nerone filij, Tiberij Cæſ. fratris.* Magontiam.) *oppid. Belgicæ prouinciæ.* Cum filio.) *Dubium, utrum Germanico, an Claudio.* Nepos erat.) *ex filio Germanico natus.* Mediæ.) *medius legend. id eſt, neq; bonus, neq; malus.* Brytannis int. bell.) *De hac expeditione Sueton. cap.16. in Claud.* Vltra Britanniam.) *Albionem.* Orcades.) *Hæ inſulæ etiamnum hodie ſunt ultra Scotiam, quæ pars eſt inſulæ Albionis.*

Hic medius imperauit.)

Hic adeò ſtupidus fuit, ut mater Antonia portentum eum hominis dictitaret, nec abſolutum à natura, ſed tantum inchoatum: ac ſi quem ſocordiæ argueret, ſtultiorẽ aiebat filio ſuo Claudio. Auia Auguſta pro deſpectiſſimo

mo ſemper habuit. Soror Liuilla *cum audiſſet eum aliquando imperaturum, miſerta eſt populi* Romani, *ut tra dit Suetonius titulo 3. in Claudio.*

Filio autem ſuo Brytannico.)

Inter ſex quas habuit ordine uxores, duæ inſignes ma litia fuêre: Meſſalina *libidinis inexplebilis, quam iuſſit occidi, ut refert* Tacitus *libro* X I. *ad finem, ſeptimo imperij anno.* Altera, *quæ et ultima,* Agrippina, Ger *manici, hoc eſt fratris ipſius filia, quæ prius* Domitio Æ*nobarbo nupta erat, ex quo* Neronem *ſuſceperat: uerùm ut ipſius filius* Nero *in imperium ueniret,* Claudio *uenenum dedit. inde & filius* Nero *eadem arte uſus,* Britan *nicum* Claudij *filiũ ſuſtulit. tandem poſt multa ſcelera etiã matrem, ut precium dignum parricidij.* Britannico.) *à* Britannia *deuicta.* Is uixit.) *Sueton. titu. 45. in Claud.*

Poſt mortem conſecratus eſt.)

Funeratusq́; eſt ſolenni principum pompa, & in numerum deorum relatus: quem honorem à Nerone *deſtitutum, abolitumq́;, recepit mox per* Veſpaſianum. Succeſsit huic.) *anno Domini 57.* Nepos C. Ca lig.) *quia ex ſorore eius* Agrippina. Auunculo ſuo.) *Caligulæ, matris fratri.* Diminuit.) *amiſſa* Armenia.

Inuſitatæ luxuriæ ſumptuumq́;.)

De *immodica* Neronis *prodigalitate,* Suetonius *titulo 30. in* Nerone *(nihil tamẽ ibi de unguentis) ita ait:* Laudabat *mirabaturq́; auunculum* Caium *nullo magis nomine, quàm quod ingentes à* Tiberio *relictas opes*

in

in breui ſpacio prodegiſſet,2700000000 HS.hoc eſt 67500000 coron.De cœnis autem tit.27 ita ait: Indicebat & familiaribus cœnas,quorum uni mellita quadragies HS conſtiterunt.

4000000 HS

100000 *coronatorum.alteri pluris aliquanto roſaria.*

Retibus aureis piſcaretur.)

Suetonius titulo 30,in Nerone:*Piſcatus eſt rete aurato,purpura coccoq; funibus nexis:id eſt,duobus precioſiſsimis coloribus, expoſitore Antonio Sabellico.*

Blatteis funibus.)*id eſt,purpureis, à uerme blatta.*

Infinitam partem Senatus interfecit.)

Hic eſt Nero,*quem* Plinius *libro 6. capite 8. facem humani generis:libro autem 22.cap.22.terrarum uenenum uocat,omnium bipedum nequiſsimus,monſtrum hominis, ac feris beluis truculetior,omni ſidere nocentior, ultimus de ſcelerata gente Iulia,quæ* Rempub.*oppreſſerat.Nihil hic ſceleris, quod libuit,nõ eſt auſus:donec terris intolerabilis, damnatus morte,ipſe ſibi mortem intulit,digniſsimus qui multis morti bus cruciaretur. Sed habet haud dubiè præmium nunc apud inferos dignũ meritis,qui tot innocentes Chriſtianos morti dederit,ſæuiens tãtoperè,ut nemo magis potuerit.* Vide Suet. *tit.37.*

Bonis omnibus hoſtis fuit.)

Tacitus libro decimoſexto,anno XII *Neronis hæc habet :* Trucidatis tot *inſignibus uiris, ad poſtremum* Nero *uirtutem ipſam excindere concupiuit.* Hæc *ille.* De *pudicitia autem eius paſsim proſtrata,Suetonius abominanda*

bominanda de eo refert tit.29. Quin etiam auſus eſt di-cere, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis par te purum eſſe. Ideoq; profeßis apud ſe obſcœnitatem, cætera quoq; conceßiſſe delicta. Cantaret in ſcena.) *Suetonius tit.23. Cantāte Nerone, ne neceßaria quidem cauſa excedere theatro licitum erat. Vide etiam tit. 20. & 21. apud Suetonium.*

Parricidia multa commiſit.)

Ex *Suetonio tit.33. in Nero. & ſequentibus. Parricidia & cædes à Claudio exorſus eſt. Britannicum, filium Claudij, proximè adiecit: tertiò matrem perdidit. Quartò amicam Lepidam. Deinde uxores, primùm Octauiam, ſecundò Poppæam, tertiò Antoniam Claudij filiam. Viros innumeros: primùm Coſ. Veſtinum, A. Plācum iuuenem, item priuignum Rufum Criſpinum, Senecam præceptorem. Deinde in uniuerſos proceros ſæuijt, motus ex Babylonis cuiuſdam aſtronomi uaticinatione. Tandem in uniuerſum Senatum ſæuire cœpit. Nec ullus poſthac adhibitus delectus aut modus interimendi quoſcunq; libuiſſet, quacunq; de cauſa. Suetonius.* Fratre.) *Britannico.* Vxore.) *Octauia & Poppæa.* Matre.) *Agrippina.* Vrbem Rom.) *Vide Sueton. tit. 38. & Tacit. lib. 15. Annus X Neronis.* Nihil omnino auſus.) *quia muliebria paſſus, uir non erat.*

Britanniam penè amiſit.)

Tacitus meminit huius hiſtoriæ Britan. lib. 14. an. Neronis 7. In eo bello ait Romanorum ciuium ac ſociorum ad ſeptuaginta millia cæſa, ob iniuriam quam in Boodiceam milites Rom. commiſerant. Duo ſub hoc.) *Camulodunum ac Londinum. Tacitus addit etiā*

Verulanium. Armeniam.) *ad Euphratem.* Parthi.) *Vologeſes rex.* Legionesq́3.) *Hoc idem etiam Sueton. dicit. ac Corn. Tacitus dubitat.*

Duæ tamen prouinciæ ſub eo factæ.)

De his duabus prouincijs uide Suetonium titulo 18. at D. Ægidius Scudus in Rhætiæ deſcriptione cap. 32. de Cotijs meminit, & Cor. lib. 17. in Valentis itinere. Ponti autẽ Polemoniaci meminit Ptolemæus in Cappadociæ deſcriptione, in quo ſunt τὰ κάβειρα, Cabeira Mithridatis regia. Alp. Gothiæ.) *Cotiæ.* Rege def.) *Cotio mortuo.* Per hæc.) *ſcelera.* Rom. orbi.) *imperio orbis.* Ab omnibus ſimul.) *Suet. tit. 47.* A' Senatu.) *tit. 49.*

Quæ pœna erat talis.)

Suetonius titulo 49. Vt puniatur more maiorum: hoc eſt, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus uirgis ad necem cædi. Furca capiti.) *ut leuaretur uultus eius omnibus conſpiciendus.* De ſaxo.) *ſc. Tarpeio.* E' palatio.) *quod in urbe erat.* Suburbano.) *uilla, aut prædio urbi proximo.* Liberti.) *Phaontis.* Salariam.) *à Sale dictam, quæ in Sabinos ducit Salem. Plinius lib. 31. cap. 7.* Nomentanam.) *qua Nomentum itur, oppidum prope Præneſte in Latio. Martial. Si uicina tibi Nomento rura coluntur.* Ad quartum mil.) *iter unius horæ.* Interfectus eſt.) *Suet. tit. 49. Ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis.* Thermas.) *Meminit uno uerbo Suetonius titulo 12. in Nerone. Martial. Quid Nerone peius? Quid thermis melius Neronianis?* XXXII ætatis an.)

die,quo quondam O*ctauiam interemerat.Suetonius titulo 57.* Atq; in eo.) *Sueton. tit.1.in Galba,ubi & longam oſtentorum fabulam reperies.* Huic Ser. Galba.) *De Sulpitia gente. Anno Chriſti 71. Vide Sueton.tit.9.ac 10 in Galba,quomodo electus ſit hic imperator.item in 11.*

Ser.Galba ſucceſsit.)

Galba primùm militibus in imperio gratus,ut poſt Neronem deterrimum,deinde quod ſperabant magnũ donatiuum:uerùm auaritia ſenis id dilatum, inclinauit in Othonem militum animos.Tacitus libro 17. Nobilitatis.) *ſtemmatis,quia pronepos Q. Catuli Capitolini.* Cum LXXIII an.) *Hoc idem ait Sueton. tit.ultimo in Galba.*

Mox ab uniuerſo exercitu.)

Caeſo Nerone,Romanorum uariae cogitationes.Milites munera ac principum largitiones expectare, qualẽ ſub Nerone habuerant. At Galbae uox,pro Republica honeſta, ipſi anceps,inquit Tacitus;effecit, ut milites haud minus principum uitia amarent,quàm olim uirtutes uerebantur. Vox eius erat,legi à ſe militem,non emi, Tria deinde uariè imperium affecere.Primùm ordinum laeticia ac affectus in urbe,aliter patres, aliter equites: plebs, populi integra pars,obaerati,ſerui,clictes,exules, affecti ſecundum exercituum mentes,aliter urbanus miles,aliter prouincialis habebat. Deniq; Galbae aetas alijs irriſui & faſtidio erat,aſſuetis iuuentae Neronis.Tertiũ prouinciarum habitus uarius. Priuata eius uita.) *antequam eſſet Imperator factus.* Militaribus.) *ut in Germania ſub Caligula.* Ciuilibus.) *in Afri-*

ca

ca ac Hiſpania geſtus. Sæpe Coſ.) Semel Coſ. legendum. Vide Sueton. tit. 6. in Galba, de eius honoribus. Solum enim ſemel fuit Coſ. ordinariè per ſex menſes.

Proconſul.) imperio proconſulari. Dux.) primas. Breue imp.) ſeptem menſium. Ad ſeueritatem.) De eius ſeueritate uide Sueton. tit. 6. ubi milites in eius ſeueritatem, ſub Getulico mollius habente, ſuccinuerunt hunc uerſum troch. tetr. catal. Diſce miles militare: Galba eſt, non Gteulicus. Othonis.) Syluij, qui poſt eum rexit. Imperij menſe.) ita habet etiam Suetonius. In foro.) ad lacum Curtij, qui erat in foro Romano. Vide Suet. tit. 20. in Galba. Aurel. uia.) qua in Hetruriam itur.

Otho, occiſo Galba, inuaſit imperium.)

Otho eo anno natus uidetur, quo CHRISTVS crucifixus eſt, nempe 18 Tiberij, authore Euſebio. à prima adoleſcentia prodigus ac procax, adeò ut ſæpe flagris obiurgaretur à patre, ut inquit Suetonius tit. 2. in Othone. Deinde per anum quādam Neroni inſinuatus, facilè ſummum inter amicos locum tenuit, congruentia morum. Porrò omnium conſiliorum ſecretorumq́; Neronis particeps: ſed per Poppæam raptam alteri, in Neronis indignationem incidit, ut ablegaretur in Luſitaniam. Atqui ut regiones à Nerone deficiebāt, ipſe Galbæ adhæſit, ingenti ſimul ſpe imperij naniſcendi concepta, tum ex affirmatione Seleuci Mathematici, tum quòd ſperauerat fore ut adoptaretur à Galba. Verùm cum ille Piſonem quendam nobilem ei prætuliſſet, ad uim cōuerſus effecit, ut occiſis Galba ac Piſone, ipſe imperator

perator à militibus,quos antea largitione corruperat, crearetur. Inuaſit imperium.) *octauus imperator eſt factus,anno Chriſti 71.* In priuata uita.) *antequam eſſet princeps.* In imperio.) *poſtquam factus eſſet imperator.* Galbam.) *cum Piſone.* Vitellius) *qui in Germania legionibus præerat.* Germanicianis.) *ijs qui erant in Germania.*

Bello contra eum ſuſcepto.)

Cornelius Tacitus,non multis folijs ab initio lib. 18. narrat duas pugnulas proſperas ad Alpeis in Ligurib. ab Othonianis factas.In Corſica etiam cæſum D. Pacarium Vitellianum.Rurſus & Placentiam à Vitellianis ducib.bis infeliciter oppugnatam.Deniq; ad Othonis caſtra malè pugnatum à Vitellianis,nouiſſimè uerò apud Bebriacum fraude Vitellianorum illectus ac ſuperatus Otho,ſtatim moriendi impetum cepit, ac Vitellio imperium reliquit. Bebriacum.) *Cremonenſis agri uicum.* Copias.) *reſiduas,ſiue ſepoſitas ad ſecundos caſus,& accerſendos.* Petentibus.) *orantibus.Vide Sueton.idem copioſè differentem tit.9.in Othone:et diligentius decimo.* Tanti.) *tantæ dignitatis.* Voluntaria.) *ſibi ipſi illata.* XXX & octauo.) *Verba prorſus ex Suetonio,cap.11.*

Dein Vitellius imperij potitus.)

De Vitellij progenie copioſè Suetonius in Vitellio. De patris uerò adulatione multa tit.2.Tacitus autem li. 5.anno XX Tiberij,quo primùm factus eſt Coſ.Vitellius,pater huius imperatoris,ita inquit: L. Vitellius regendis prouincijs priſca uirtute egit, unde regreſſus ac formi-

formidine C. Cæſaris, familiaritate Claudij turpe in ſeruitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorij dedecoris habetur: ceſſeruntq́; prima poſtremis, & bona iuuentæ ſenectus flagitioſa obliterauit. Imperij pot.) IX imperator factus, anno Chriſti 71. Honorata.) in honore à Caligula & Claudio babita. Pater.) L. Vitellius. Tres.) 786. 795. 799.

Hic cum multo dedecore imperauit.)

Cum Vitellij imperium firmiſsimum uideretur, utpote Germanicis legionib. fultum, primùm in eum alienatio exercituum facta eſt, quod promptiſsimum quemq; Othonianorum cẽturionũ interfici iuſſerat. Altera cauſa, quòd ſub eius imperio Italia grauius atque atrocius quàm bello affligebatur, ob militum perfidam licentiam. Acceſsit tertia cauſa, fœda & inexplebilis libido. Quartò, eius tyrannis. Ita omnes rationes in Veſpaſianum intentæ, præſertim Syria, cui præerat Mutianus. Is oratione eleganti excitauit Veſpaſianum. Acceſsit mox primus Antonius, mox legiones Pannoniæ ac Mœſiæ, cum prius ex Syria, Iudæa ac Ægypto nouem illi eſſent legiones. Primùm in Cremonenſi agro primus Antonius cum Vitellianis proſperè pugnauit. Iterum deinde ab eodem Antonio prorſus profligati ſunt Vitelliani.

Graui ſæuitia.) crudelitate, de qua tit. 14. Suet. in Vitellio. Ingluuie.) de ea tit. 13. in Vitellio Suet. De die.) Epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in ientacula, & prandia, & cœnas, comeſſationesq́;, inquit Suetonius. Cœna.) ſcilicet aduentitia, non indicta ab imperatore. Vitellius frater.)

ter.)L. *Sueton. cap.* 13. *in Vitellio.* Piſcium.)*le-ctiſsimorum.*

Quam ei Vitellius frater exhibuit.)

Cæterùm Vitellius ut cœnam fratris ſuperaret, patinam inſtituit, quam Mineruæ clypeum dictitabat. In hac ſcarorum iecinora, phaſianorum ac pauonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murenarum lactes à Carpatho uſq; fretoq; Hiſpaniæ per nauarchos ac triremes petitarum commiſcuit. Hæc Suetonius titul. 13. *in Vitellio. Eandem patinam decies* HS 1000000 HS. 25000 *coron. conſtitiſſe, ait Plinius lib.* 35. *cap.* 12.

Hic cum Neroni ſimilis eſſe.)

Suetonius in Vitellio tit. XI. *Et ne cui dubium foret, quod exemplar Reipub. eligeret, medio Martio campo adhibita publicorum ſacerdotum frequentia, inferias Neroni dedit.* Similis eſſe.) *in regenda Republic.* Præ ſe ferret.) *omnibus palàm faceret.* Exequias.) *inferias, Suetonius.* Quæ.) *qui ipſe Nero potius.*

A' Veſpaſiani ducibus occiſus eſt.)

Cum iam Flauiani, id eſt qui pro Veſpaſiano erãt, aliquoties Vitellianos uiciſſent, Vitellius ſalutem ſibi à Sabino fratre Veſpaſiani urbis Prætore, ac millies HS *pepigit: ſed mox pœnitentia ductus, Flauium Sabinum & reliquos Flauianos, nihil iam metuentes, in Capitolium ui ſubita compulit, ſuccenſoq; templo Iouis Opt. Max. oppreſsit, ut ſcribit Suetonius in Vitellio tit.* 15. *& Tacitus lib.* 19. *ſub finem.*

100000000 HS. 2500000 *coron.*

Veſp.

Veſp. ducibus.)*ab Antonio primo.* Interfecto.) *in tumultu urbis.* Sabino.)*Flauio.* Cum Capitolio.)*incenſo oppreſſit.* Dedecore.)*Sueton. tit.* 17. Nudus.)*ſeminudus. Sueton. laniata ueſte, Tac.* Erecta.)*reducta, Suetonius.* Et capite.)*atq; etiam mento mucrone gladij ſubiecto, Suetonius.* Ad mentum.)*infeſtis mucronibus coactum modò erigere os, et offerre contumelijs, Tacitus prorſus ad finem libri* 19.

Poſtremò iugulatus.)

Suetonius tit. 17. *ad finem: Apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus atq; confectus eſt, & inde unco tractus in Tyberim.* Menſe XVIII.) *omnes octo menſes commemorant. de die nihil alij.* Veſpaſianus.) *Imperator X. ſed VII apud Euſebium. Anno Chriſti* 72. Palæſtinam.)*Iudæam.* Obſcurè natus.)*Sueton. tit.* 1. *in Veſpaſ.* Optimis.) *principibus.* Priuata uita.)*ante adeptum imperium.* A' Claudio.)*V imperatore.* In Germaniam.)*prouinciam Rhenanam.* In Britan.)*Meminit Suetonius in Veſp. tit.* 4. Et bis.)*Non habet Sueton.* Duas ualidiſſ.)*Nemo nominat.* XX oppida.)*ſuperq; XX oppida, ait Suetonius.*

Inſulam Vectam Britanniæ proxim.)

Vectis uocatur apud Plinium lib. 4. *cap.* 16. *Ptolemæus ponit inter Britanniam ac Galliam. & in Græcis eſt* βίηκτις. *Plinius autem ponit inter Hyberniam ac Britanniam, hodie Vbic. Cum autem Romani antea habuerint Galliam & Britanniam, mirum quomodo illā inſulam non habuerint. Vnde non immeritò lector du-*

bitabit,utri potius, Plinióne an Ptolemæo in huius inſu læ poſitione ſubſcribat. Vectam.) *Vecten, Sueton.* Proximam.) *Non dicit à qua parte iaceat.* In imperio.) *poſtquam factus eſt imperator.*

Pecuniæ tamen auidior fuit.)

Sunt qui putent, eum neceßitate coactum ad colligendum pecuniam, ob inopiã ærarij, de quo initio principatus teſtificatus eſt, profeſſus quadringenties millies opus eſſe ut Reſpub. ſtare poſſet. Idq́; etiam ueriſimilius uidetur, quando malè partis optimè uſus eſt. Suetonius tit.16. in Veſpaſ. Faciunt autem

4000000000 HS

1000000000 *coronatorum.* Auditor fuit.) *Sueton. tit.16. in Veſpaſ.* Ita.) *tum ſc. tamen.*

Nec facile ante eum cuiuſquam principis.)

Veſpaſianus rerum experientia, uſu exercituum regendorum, ingenij acrimonia egregiè doctus, ad gubernacula imperij multis amicorum hortatibus permotus uix tandem uenit. Verſabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum uiro militari. Suas legiones ciuili bello inexpertas, Vitellij uictrices, & apud uictos plus querimoniarum quàm uirium, fluxam per diſcordias militum fidem, & periculum ex ſingulis. Quæ cum omnia perpenderet animo nutanti, amicorum legatorumq́; uocibus, præcipuè uerò Mutiani oratione excitatus, aſſumpſit imperium, quod egregiè adminiſtrauit, ut eius ſtemmatis clarius initium fuerit, quàm aliorum nobilißimorum interitus: egregiè firmus aduerſus militarem largitionem, eoq́; exercitu meliore.

Vt

Vt qui maieſtatis quoque contra ſe.)

Meminit Suetonius tit.15.in Veſpaſiano, exemplúm que adducit Heluidij Priſci, de quo Tacitus non longè ab initio lib.XX ac deinde. Sub hoc Iudæa.) *Meminit Sueton.tit.4.in Veſpaſ.* Achaiam.) *Sueton. tit.8.* Lyciam.) *Aſiæ.* Rhodum.) *Lyciæ inſulam.* Byzantium.) *Thraciæ oppid. hodie Conſtantinopolim.* Samum.) *inſulam Cariæ.* Liberæ.) *libertate nulla rationabili cauſa donatæ.* Thraciam.) *regionem ad Pontum Euxinum.*

Ciliciam Tracheam.)

Strabo libro 14 duplicem deſcribit Ciliciam: Tracheam, id eſt aſperam, quæ in montibus: & campeſtrē. Trachea occidentem uerſum, ac Septentrionem: Campeſtris à Solis Iſſum uſq; propriè Cilicia. Comagenem.) *Regio eſt parua κομμαγηνὴ, inter Amanū montem & Euphratem, cuius caput Samoſata. Strabo lib. 16.* Regibus amicis.) *populi Romani.* In prouinc.formam.) *id eſt, in quas pro regibus iam prætores mitterentur.* Offenſarum.) *Tit.14. Suetonius.* Conuicia.) *Tit.13. Suetonius.* Diligens.) *Vide tit.8. in Sueton.* De Hieroſol.) *de Iudæis.* Per hæc.) *ſcilicet geſta.* Cunctis.) *omnibus gentibus. Vide Sueton. tit.penult. in Veſp.* In uilla prop.) *ad Cutilias, id eſt lacum in agro Reatino. Sueton. tit.24.* Circa Sab.) *Reate enim eſt in Sabinis.*

Imperij nonum & diem ſeptimum.)

Euſebius ait, eum regnaſſe annis nouem, menſibus

X I, diebus 22. Ergo annis X, minus 8 diebus, quod & Sextus Aurelius Victor ait X annos. Nonum.) *Omnes alij aiunt decimum.* Geniturам.) *natiuitatem, geneſim, horoſcopum. Suetonius hæc omnia titulo ultimo.* Aut filios.) *quod factum eſt.* Succeſſuros.) *in imperio.*

Huic Titus filius ſucceſsit.)

Sicut eadem terra cicures gignit & feras, frumenta & tribulos, ſentes & floſculos: ſic ex uno Veſpaſiano, ueluti ex eodem fonte, dulcedo amarorq́; proceſſit. Quid enim dulcius Tito? Quid amarius Domitiano? ille mitis, placidus, clemens: hic ſæuus, truculentus, immanis. Ille uirtutum ſcrinium, hic flagitiorum officina. Sed ut ſolent res humanæ, deteriores plerunq; ſunt fortunatiores, ita & ſceleratus Domitianus per X V an. in genus humanum ſæuijt: Titus triennium explere non potuit. Et inuenit ille buccinatores Martialem, Quintilianum, ac alios quoſdam dominationi eius ſeruientes: Titus autem apud poſteros inclytum nomen ac ſolidă laudem inuenit, cum illi nemo non maledicat, ut dignus eſt. Titus fil.) *X I Imperator, ſed V I I I apud Euſebiū. Anno Chriſti 82.* Et ipſe.) *ut pater.* Vt amor.) *Sueton. tit. 1. in Tito.* Latinè egit.) *Vide tit. 3. apud Sueton.* In oppugnatione.) *Tit. 5. Sueton. in Tito.* Ciuilitatis.) *modeſtiæ.*

Vt nullum omnino puniret.)

Hæc aliter Suetonius tit. 6. in Tito: Suſpectiſſimum quemq; ſibi haud cunctanter oppreſſit, in his Au. Cecinnam confodi iuſſit, ex qua cæde multum inuidiæ contraxit. Præter ſæuitiam ſuſpecta in eo etiam luxuria erat,

rat, comeſſationes, libido, propter exoletorum & ſpadonum greges: & Berenices reginæ amor, & rapacitatis fama. Sed ut princeps factus, omnia in bona uerterunt, ut tit. 7. proſequitur Suetonius. Facilitatis.) *Hæc conformiter Sueton. tit. 8. ad longum, in Tito.* Vt nulli quicquam.) *ne quem ſine ſpe dimitteret.* Ab amicis.) *domeſticis.* Reprehenderetur.) *quòd plura polliceretur quàm præſtare poſſet.* Ab Imperatore.) *principe.* In cœna.) *dum cœnaret.* Nihil.) *ſcilicet beneficij.* Dixerit.) *memorabilem uocem.*

Hic Romæ amphitheatrum ædificauit.)

Suetonius in Veſpaſiano tit. 9. meminit amphitheatri à patre ædificati. Et in Tito tit. 8. amphitheatri rurſus meminit, ſed patris, ut putant commentatores. fieri autem poteſt, ut à patre non omnino perfectum, à filio Tito conſummatum fuerit. Dilectus.) *ab omnibus.* Morbo.) *febri. Suetonius titulo penultim. in Tito. Idibus Septembris, ſiue 13 die Septembr.* In ea qua pat. uilla.) *ad Cotylias lacũ in agro Reatino.* Menſ. octo.) *duos, Sext. Aurel. & Sueton. tit. ult. in Tito.* Alt. & XL.) *Sic Sueton. tit. ultimo, & Euſebius 42.* Nocte irrup.) *priuſquam edicto conuocaretur, inquit Suetonius.* Congeſsit.) *exhibuit.* Inter diuos.) *in diuorum numerum.* Domitianus mox.) *XII Imperator, Anno Chriſti 84.* Iunior.) XII *annis.*

Primis

Primis tamen annis moderatus.)

Sueton.tit.2.in Domitiano: Simulauit & ipſe mirè modeſtiam. & tit.3. Circa adminiſtrationem imperij aliquando ſe uarium præſtitit, miſtura quoq; inæquabili uitiorum atque uirtutum: donec uirtutes quoque iniuria deflexit. Sed titulo nono, plenius de eius initio principatus: & quomodo delapſus in crudelitatem, tit. X, ac deinde.

Interfecit nobiliſsimos.)

Domitianus ſub patre etiamnum uiuente ſtupris ac adulterijs principem agebat, ut inquit Tacitus li. X X, ab initio. cum haberet egregia patris ac fratris exempla, maluit Tyberium falſa ſimulatione, Caligulam ſtulticia ac temeritate, Neronē crudelitate imitari, paulatim per omnes gradus ſcelerum creſcere, etiam in Chriſtianos turpiſſimus latro deſæuijt. tanta ſuperbia tandē efferatus, ut Dominum ac Deum ſeſe uocari, ſcribi, coli uoluerit, imò præceperit. In eo omnia ſcelera ita certarunt, ut penes quod uictoria eſſet, uix diſcerni potuerit: ſubdolo animo, ſtoliditate puerili, iactantia Thraſonica, uanæ gloriæ affectatione famoſus tyrannus. Tandē pœnas luit, non tamen tot ſceleribus dignas: ſed abſq; dubio ſedet calidè apud Plutonem Plutonicus deus. Nobiliſsimos.) *Decem enumerat Suet. tit. X.*

Dominum & Deum primus ſe.)

Suetonius tit. 13. in Domitiano: Pari arrogantia cum procuratorum ſuorum nominis formalem dictaret epiſtolam, ſic cæpit: Dominus & Deus noſter ſic fieri iubet.

bet. Vnde inſtitutum poſthac, ut ne ſcripto quidem ac ſermone cuiuſquam appellaretur aliter. Auream.) *ex ſolido auro & argento, ac ponderis certi.* Conſobrinos.) *De Flauio Clemente patruele Sueton. tit. 15.* Superbia.) *Tit.13. Suet.* Expeditiones.) *De his Suetonius tit.6. in Domitiano.* Sarmatas.) *hodie Polonos, ac eis uicinos.* Cattos.) *hodie* Katzenelbogen. Dacos.) *populum inter Sarmatiam Europæam ac Danubium, hodie Tranſſyluania dicitur.* Publice.) *Forte legend. Duplicem: ut & Suetonius habet, & al. codex.* Calamitates.) *exercituum ſtrages.* Appius Sab.) *Oppius eſt in Suet. tit. 16.* Conſularis.) *Anno Chriſti 86.*

Et Cornelius Fuſcus.)

De hoc Cornelio Fuſco Tacitus lib. 18. ubi Mœſici ac Pannonici trahunt Dalmaticum militem ad defectionem contra Vitellium. Et Suetonius titulo 6. & Iuuenal. Satyr. 4. Præf. prætorij.) *id eſt, cohortiū prætorianarum.* Multa opera.) *plurima & ampliſſima. Suetonius tit. 5. in Domitiano.*

In his Capitolium.)

Capitolium Romæ ter conflagrauerat. ſemel Coſſ. Scipione & Norbano, an. ab V. C. 671. Iterum anno 821, ſub Vitelliano tumultu. Tertiò, unà cum Veſpaſiani interitu. à Domitiano magnificētius elegantiusq́; refectum ſub titulo tantum ſuo, ſine ulla priſtini authoris memoria, inquit Suetonius, impenſa XII talentûm. 12000 tal. authore Plutarcho: hoc eſt, 7200000 coron. Forum tranſitorium.) *quod nunc Neruæ dicitur.*

Odeum

Odeum.) *ᾠδεῖον, locus ubi cantatur, locus choro & ſymphoniacis, imò poetis experientiam facientibus deputatus. Meminit & Ammianus Marcellinus lib. 16. inter alia urbis miracula. In Chronicis Euſebij plura enumerantur, perperã addita: ut Traiani forum et Thermæ, cum Traianus nondum eſſet in imperio.* Iſium.) *in Iſidis honorem.* Serap.) *in honorem Serapidis.* Stadium.) *in quo athletæ exercebantur.*

Vniuerſis exoſus eſſe cœpiſſet.) *Vide inſidias in hunc tyrannum, apud Suetonium titulo 17. Stephanus Domicillæ procurator, primus inguina eius ſuffodit: occurrerunt alij, ita ut ſeptem uulneribus conficeretur, 14. Calend. Octob. cadauer eius ſandapila per ueſpillones exportatum. Phyllis nutrix in ſuburbano ſuo Latina uia funerauit, inquit Suetonius.* Per ueſpillones.) *ſandapilarios.*

IN EVTROPII LIBRVM VIII H. Glareani Annotationes.

O*Ctauus hic liber hiſtoriam annorum complectitur 139. à Cocceio Nerua uſq; ad Maximinum, immanem illam beluam: XII omnino imperatorum apud Euſebium, qui non perpetuò collegas numerat.* Vetere & Valente Coſſ.) *Anno urbis condita 848.*

Nerua ſucceſsit.) *Cocceius Nerua,* XIII *Imperator.*

Huius uitam Dion Caßius Nicæus deſcripſit. Oppi-

do

do Narnienſi natum, ſcribit Sex. Aurel. Victor. In priuata uita.) antequam eſſet Imperator. Nob. mediæ.) mediocris.

Imperator factus, æquiſsimum ſe præbuit.)

Cæſo Domitiano, ſtatuæ omnes, tum aureæ, tum argenteæ, in illius honorem conſtitutæ, ſubitò conflatæ fuerunt. Nerua omnes qui impietatis in deos rei fuerunt, eos abſolui uoluit. Exules in patriam reduxit, ſeruos inuidos in dominos multauit, ad ſuſtentandam pauperum uitam centies quinquagies HS. erogauit, 15000000 HS. hoc eſt 375000 coronatorum. In curia illud iurauit, ſuo iuſſu neminem Senatorum occiſum iri. quod ſacramentum quamuis etiam inſidijs petitus eſſet, inuiolatum ſeruauit. Deniq; ob ſenium contemptus, Vlpium Traianum Crinitum adoptauit, moxq; in Curia Cæſarem deſignat, uirtuti uiri, non patriam aut genus ſpectare oportere. Erat enim Traianus, ut Dion ait, Hiſpanus, cognatione nihil attingens Neruam.

Traianum adoptando.)

Dion in Nerua, ut diximus, ait, Traianum genere Hiſpanum, & ex Italia oriundum non fuiſſe. Victor ex urbe Tudertina. Tuder autem oppidum Picenorum, ut ait Strabo li. 5. & Plin. li. 3. cap. 14. Vbi Ptolemæus ponit Traianum, eius tempore fortè mutatum nomen. Euſebius autem ita ait: Traianus Agrippinæ in Gallijs imperator factus, natus Italicæ in Hiſpania. Plin. autem li. 3. ca. 1. Ilipa inquit cognomẽ Italica, propè Hiſpalim. Quod & Ptolemæus habet. Vnde apud Victorẽ legendũ Turditana, nõ Tudertina. Poſt annũ.) ita Euſeb.

&

& Dion. Dies octo.) IX *Dion*, X. *Sex. Aurelius.* Aetatis LXX.) LXV. *Dion*, LXVIII *Egnatius.*

Succeſsit ei Vlpius Traianus.)

Vlpius Traianus ex Turdetania Baeticae Hiſpaniae ex opp. Ilipa, quae Italica cognominata eſt, natus, ut à Nerua adoptatus, iuramentum fecit de nemine innocente trucidando, quod ſeruauit. uxor eius Plotina, de qua multa Plinius in Panegyrico. Regnare cœpit 42 natus annos. Hic amari ac obſeruari quàm timeri malebat. Decebalum Dacorum regem bis uicit, unde Dacicus nominatus eſt. Item poſtea Armeniam ingreſſus, eam ſubegit, unde Optimus dictus à Senatu. Poſtremò Parthos proſequutus eſt Cteſephonta uſq;, quae ultra Babylonem eſt urbs. & ſinum Perſicum ingreſſus, in Indiam naues miſit, unde Parthicus dictus eſt. ſub eo Antiochiae ingẽs terraemotus fuit. Succeſsit.) *Anno Chriſti* 101. Italicae.)*ex urbe Tudertina, inquit Sex. Aurel. Victor. Ilipae, quae Italica cognomine, ut Plinius.* Hiſpania.) *Baetica.* Pater eius.) *Traianus, de quo Plin. in Panegyr. non longè à fine.* Primus.) *ſc. ex hac familia.* Agrippinam.) *Vbiorum urbem.* In Galliis.) *Belgis.* Inuſitatae.) *maximae.* Defenſum.) *utcunq;.* Nobiliter ampliatum.) *magnificè auctum.* Diffudit.) *terminos extendit.* Vrbes.) *has nemo nominat.* Reparauit.) *recuperauit.*

Daciam Decibalo uicto ſubegit.)

Traianus, ut author eſt Dion, per Danubium pon-

tem

tem fecit, incredibilis penè ſtructuræ. erant pilæ ex quadrato lapide; quorum altitudo centenûm quinquagenûm pedum erant, præter fundamenta: latitudo ſexagenûm pedum. denique earundem diſtātia, centenûm ſeptuagenûm pedum: & fornicibus iungebantur, erantque tempore gelationis per eum pontem itinera in hoſtes. Sed Hadrianus amolitus eſt pontis partē, timens ubi nihil timendum erat. Daciam.) *inter Danubium ac Sarmatas regionem. Secunda fuit hæc expeditio in Daciam.* Decibalo.) *Dacorum rege.* Quos nunc.) *Hos populos non temerè reperias apud ueteres Geographos.*

Ea prouincia decies centena millia.)

Mille paſſus, id eſt iter quadrantis horæ. mille igitur millia eſſēt horæ 250: quæ ſi per 8 diuidātur, faciēt dies 31 & ⅔. Et latinè dixit decies centena millia, quod uulgus hodie mille millia. Decies centena millia.) *id eſt, mille millia paſſus. Euſeb. intelligit autem miliaria Gallica.* Armeniam.) *Tertia exped. in Armeniam.* Sarmato.) *Parthanaſirem uocat Dion.* Albanis.) *populo ad maris Caſpij latus occidentale.* Iberorum.) *populi ad occaſum Albaniæ.* Sauromatarum.) *Sarmatarum.* Boſphoranorum.) *qui ſunt ad orientem Boſpori Cimmerij, uel qui utrinque ad Boſporum Cimmerium accolunt.*

Arabum & Oſdroenorum.)

Pro Arabum & Oſdroenorum, legendum puto Achæorum & Heniochorum, ut ſit uictoria uelut contra Mithridaticum imperium, omnium populorum qui ſunt

uicini Armenijs à Septentrione. Meminit Dion. Adiabenos.) *in Aſſyria ponit Ptol. Quarta in Parthos expeditio.*

Marchomodes occupauit.)

Ptolem. Mardoceam, ſiue, ut Græcus codex habet, Amardoceam regionem ponit in Chaldæa. Quòd ſi ad rubrum mare, hoc eſt, ſinum Perſicum iuit Traianus, ut Dion ſcribit, oportuit eam regionem prius ſubegiſſe. Marchomodes.) *Amardoceos, prope Chaldæos.* Antemuſium.) *in Meſopotamia.* Perſidis.) *Impropriè hoc dicit.* Seleuciam.) *reg. ad Babylonem.* Cteſiphontem.) *urbem ſupra confluentẽ Tigris & Eufratis.* Edeſsios.) *Meſopotamiæ populos.* Mare rubrum.) *ſinum Perſicum.* Ibi.) *in Oriente.* Medenam.) *Mediam lege, id eſt ſupra Arbelam & Gangamela.* Arabiam.) *maximè Petræam, ut inquit Dion. Quinta in Arabes & Indos exped.* Claſſ. inſtituit.) *Sed nihil effecit, uiſo Oceano, queſtus ingraueſcens ſenium, ac Romam redire ſtatuit.*

Gloriam tamen militarem ciuilitate.)

Ciuilẽ uitam Traiani deſcribit. Cæterùm cum duo ſint quæ ab egregijs principibus expectentur, ſanctitas domi, in armis fortitudo, utrobiq; prudentia, Traianus ea uit ut nihil horum in eo deſideraretur. Ciuilitate.) *humanitate & temperantia.* Aequalem.) *beneuolum.*

Conuiuia cum ijſdem indiſcreta.)

Dion: In amicorum domos ſæpius, uix quatuor comitantibus

tantibus,etiam ſine ſatellite diuertebat, & familiarius cum his recumbens quieſcebat. Indiſcreta.) *indiuiſa.* Nullum ſenatorum.) *quod iuramento aſſeruerat.* Fiſcum.) *Principis loculum.* Mediocritate.) *in fortuna mediocri.*

Orbem terrarum ædificans.)

Dion: *Complura & ualde quidem neceſſaria ædificare curauit, ut portus & ædes publicas.* Vias *item muniuit.* Immunitates.) *priuilegia uocant.* Omni eius ætate.) *quæ in* Imperio *fuit.* Per Senatũ,) *ſc. damnatus eſt.*

Per orbem terrarum Deo proximus.)

Dion *de uicto* Decebalo: Mox *ad* Traianum *deductus, illum humi procumbens ſuppliciter adorauit. Hodie uocant* den füßfall. *Sed apud gentiles permiſerant ſe uerè adorari, primùm* Perſæ *ac* Medi & Babylonij: *deinde eum diabolicum honorem etiam appetiuit* Alexander. Poſtremò *et* Rom. *tyranni, cum ille honor ſolius ſit* Dei. Comis.) *benignus & familiaris.* Priuatis.) *ijs qui in nullo eſſent imperio.* E Perſide.) *ab oriente.*

Apud Seleuciam Iſauriæ profluuio.)

Dion *ait eum interijſſe apud* Selinunta Ciliciæ *urbẽ.* Euſebius *utriuſq; loci meminit.* Victor *obticet, et* Egnatius. Iſauriæ.) *quæ* Pamphyliæ *regio eſt.* Profluuio.) *aqua intercute, quidam aiunt.*

Obijt autem anno ætatis

LXII.)

Ætas huius uariè apud autores proditur. Euſebius LXIII an. menſ. 9. Sex. Aurelius Victor LXIIII annos. Dion LXI annos, mẽſ. 6. dies 15. Quia ait 42 an. cœpiſſe imperare, ac per XIX an. fuiſſe in imperio. In foro.) *Traiani dicto.* Vſq; ad noſtram ætatem.) *uſq; ad Valentinianum ac Valentem, anno Chriſti 368.* Principibus.) *Imperatoribus.* Niſi.) *Ne ſis, habet alterum exemplar.* Auguſto.) *qui per 56 annos regnauit.* Melior.) *quia ille optimus eſt dictus.* Vel aſſentantibus.) *Hic adde, uel uerè laudantibus.* Aelius Hadrianus.) *Anno Chriſti 120. Huius uitam ſcripſerunt Dion & Æl. Spartianus.* Operam dante.) *id procurante.* Conſobrinæ.) *Domitiæ Paulinæ.*

Aelius Hadrianus.)

Hadrianus Imperator Hiſpanus origine, initio principatus IIII uiros conſulares occidit. unde magnam ſibi conflauit inuidiam, quam tamen apud Senatum purgare conatus eſt. fuit ingenio ad omnia imitãda nato. Vnde magna in omnes ingenioſos flagrauit inuidia, ita ut multos ſubuerterit, multos occiderit. Conſtitutiones quaſdam utiles fecit. unã de theſauris. Si quis in ſuo reperiſſet, ipſe potiretur. Si quis in alieno, dimidium dono daret. Si quis in publico, cum fiſco æqualiter partiretur. Item ſeruos à dominis occidi noluit, ſed eos iuſſit damnari per iudices, ſi digni eſſent. Maieſtatis crimina non admiſit. Ignotorum hæreditates repudiauit: nec notorum accepit, ſi filios haberent. Ergaſtula ſeruorum ac libero-

liberorum tulit. Lauacra pro ſexibus ſeparauit. In collo quijs etiam humilimorum ciuiliſsimus fuit, deteſtans eos qui ſibi hanc uoluptatem humanitatis ſub prætextu principis eriperent.

Natus eſt ipſe Italicæ.)

Æl. Spartianus ait eum Romæ natum, IX *Calend. Februar. Veſpaſiano* VII. *Tito* V. *Coſſ. Tutorem ſuum Traianum fuiſſe, in Græciam miſſum,* XV *anno ad patriam rediſſe, ac militiam iniſſe, uenandi uſq; ad reprehenſionem ſtudioſus, ideoq; à Traiano abductus à patria, ac pro filio habitus.* Prouincias tres.) *in Oriente.* Addiderat.) *Rom. imperio.*

Reuocauit exercitus.)

Cauſatus eſt Hadrianus, tam longinquas regiones obtineri non poſſe. ſed uera cauſa erat, quòd ipſe cum longius imperium promoueri non poſſet, promotũ defendere noluerit. Ne multi.) *Cauſa.* Eò.) *in Daciam.* Ad agros.) *tanquam in colonias.*

Dacia enim diuturno bello.)

Duas enim expeditiones in Daciam fecerat Traianus, ut tradit Dion: priore, qua Decebalum ad deditionem, ſequente ad mortem rebellantem compulit. Exhauſta.) *hominibus ſpoliata.*

Orbem Romanum.)

Imperij Romani circuitum: Gallias, Germaniam, Britanniam, Hiſpanias, Achaiam, Aſiam, Siciliam, Africam, Ægyptum, totum Illyricum, &c.

Et multa ædificauit.)

Æl. Spartanus: Cum opera ubiq; infinita feciſſet, nunquam ipſe niſi in Traiani patris templo nomen ſuum

 ſcripſit.

ſcripſit. Græco.) *ita ut à nõnullis Græculus diceretur, inquit Æl. Spartian.* Non magnam clementiæ.) *quia quos aliquandiu amauit, poſtea perdidit.*

Diligentiſsimus tamen circa æra-rium.)

Æl. Spartianus: Et in concione & in Senatu ſæpe di xit, ita ſe Rempublicam geſturum, ut ſciret populi rem eſſe, non propriam. Vox imperatore digna.

Et militum diſciplinam.)

Idem: Militem, quaſi bellum immineret, ſemper exercuit, tolerantiæ documentis eum imbuens. frigora ac tempeſtates ita patienter tulit, ut nunquam caput tegeret. In Camp.) *apud Baias.* Maior ſexag.) *Anno LXII. menſ. 5. diebus 17. Æl. Spart. & Dion.* An. XXI.) *Ita Euſebius.* Menſe X. die XXIX ipſius.) *Hæc non ſunt in altero exemplari.* X.) XI. *Æl. Spart.* V. Dion.

Senatus ei tribuere noluit.)

Acta eius irrita fieri Senatus nolebat: nec appellatus eſſet Diuus, niſi Antoninus rogaſſet.

Ergo Hadriano ſucceſsit T. Antoninus.)

T. Antoninus Fuluius Pius ab Hadriano in filium adoptatus, cum antè eius eſſet gener, Numæ collatus fuit, uir forma conſpicuus, ingenio clarus, morib. clemens, ſingularis eloquentiæ, ſobrius, diligens agricultor, mitis, largus, alieni abſtinens: & omnia hæc cum menſura, & ſine iactantia. In cunctis poſtremò laudabilis. Idem trientariũ fœnus (id eſt, de C. IIII) exercuit, ut patrimo nio ſuo plurimos iuuaret. Prouinciæ ſub eo cunctæ floruerunt.

ruerunt. quadruplatores ſub eo extincti ſunt. Victus *fuit talis, ut eſſet opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus. Certè ab hoc imperatore* Antonino *ceptum nomen* Antoninus *ita clarum fuit omnibus gentibus, ut etiam parricida* Baßianus *eius nominis cauſa amaretur.* Hadriano.) *ſocero & patri adoptiuo.* Anno Chriſti 141. Boionius.) *quòd ex Boijs natus eſſet,* Nemanſo *oppido.* Pius nominatus.) *ob 5. cauſas, apud* Capitolinum. Ita ut.) *lege ut ille, ſ.* Numa Pomp. Romulo, *ita hic, ſ.* Ant. Pius Traiano *comp.* Priuatus.) *cum nondum eſſet in imperio.* In Imperio.) *dum fuit* Imperator. Acerbus.) *aſper, durus, moleſtus.* Benignus.) *liberalis.* Prouincias.) *regiones imperij.* Bonis honorem.) Capitolinus: *Fuitq́; ea conſtantia, ut ſeptenis & nouenis annis in prouincijs bonos præſides detineret.*

Regibus amicis uenerabilis.)

Capitolinus *enumerat* Pharaſmanem, Pachorum, Abagarum, Rimothalcem, *ad amicitiam deductos literis & authoritate: populos per legatos uictos,* Britanos, Mauros, Germanos *et* Dacos. *item* Iudæos, Achæos, Ægyptios *ac* Alanos *tumultuantes repreßit.* Venerabilis.) *in honore habitus.*

Pius propter clementiam dictus eſt.)

Quinque *cauſæ referuntur cur* Pius *eſt dictus.* 1. *quòd ſocerum ſuum* Annium Verum *ſenem manu præſente* Senatu *leuarit.* 2. *quòd quos* Hadrianus *occidi iuſſerat, ſeruauit.* 3. *quòd infinitos honores exhibuerit*

poſt mortem Hadriano. 4.quòd Hadrianum à uolunta ria morte continuerit. 5. à moribus clementiſſimis. Secundam tertiam & quintam probat Egnatius.

Vitæ anno LXXVIII.)

Capitolinus ait, eum natum Domitiano XII Cor. Dolobella Coſs.qui fuit ann. CHRISTI 88. *Et mortuus anno 162, uel 163, ut eſt apud Euſebium, ergo uixiſſet annos 74, uel 75.* Imperij XXIIII.) *Al, codex,* XXIII.

Poſt hunc imperauit M.Antoninus Verus.)

M. Antonini pater Annius Verus, qui in prætura deceſſit. Eiuſdem nominis etiam auus, qui iterum Coſ. fuit, patruus Annius Libo: amita Galleria Fauſtina Auguſta, Pij uxor: mater, Domitia Lucilla: uxor Annia Fauſtina, Antonini Pij filia. Gener, qui et frater adoptiuus, L. Verus Ceionij filius, quem ſecum Cæſarem ac Auguſtum regnare uoluit. Sed L. Verus delicijs incunte ætate corruptus, X duntaxat annis cum ipſo in imperio fuit. quo mortuo, ipſe Marcus ſolus regnauit per annos VI. poſtea uerò Commodum filium per annos tres regnare ſecum paſſus eſt. De huius imperatoris uirtutibus nemo ſatis dignè dixerit, qui fuit frugi ſine contumacia, uerecundus ſine ignauia, ſine triſtitia grauis, atq; hoc omni tẽpore, et quo priuatus uixit, & quo in imperio fuit: fœliciſſimus certè imperator, niſi hæredem Commodũ reliquiſſet poſt annũ imperij XVIII, ætatis uerò LIX. M. Ant. Verus.) *M. Antoninus philoſophus, L. Ælius Antoninus II Auguſti, Anno Chriſti 163. Huius Veri*

ri uitam Capitolinus deſcripſit. Salentino.) *Malem nio Daſumnij filio, qui Lupias condidit.*

Cum eo L. Aelius Antoninus Verus.)

Hadrianus cum filijs careret, adoptauit ſibi filium Antoninum cognomento Pium, ea lege, ut is ſibi adoptaret M. Antoninum ac L. Verum Ceionij filium, quem prius Hadrianus adoptauerat: ſed is L. Aelius mortuus eſt ante Hadrianum. ita Pius uenit in eius locum. Quidam aiunt Pium ab Hadriano coactum ſibi Marcum adoptare, ac poſtea Marcum iuſſum adoptare L. Verum, Ceionij filium. Vtrunq; Spartianus in Ceionio ſcriptum reliquit. Huius L. Veri pater, breuis uitæ fuit, habuitq; 7 appellationes:

L. Ceionius, Commodus Verus,

Annius Verus, Aelius Verus,

Commodus Lucius, Aelius Cæſar,

L. Aelius Cæſar. Atq; ita in numiſmatis aureis ac argenteis. Hi.) *duo, M. & L.* Genere.) *Vterque ab Antonino Pio adoptati erãt, ergo ob hoc fratres. Cæterùm L. Marci filiam in uxorem habuit.* Verus Annius.) *L. Aelius nepos.* M. Antonini.) *Pij.* Filiam.) *Lucillam.* Valeriam.) *Galeriam, in M. apud Capitolinum.* Iuniorem.) *quæ etiam Fauſtina.* Qui.) *Parthi.* Poſt uict.) *in Parthis.* Tum primùm.) *quia ſub Hadriano ac Pio quieuerunt.*

Bellum contra Parthos geſsit.)

Capitolinus in Marco: Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologeſus paratum ſub Pio, Marci & Veri tempore, indixit, Arideo Corneliano qui Syriam tunc adminiſtrabat fugato.

Verus Antoninus ad id profe-ctus.) *Capitolinus in M. Et Verus quidem poſteaquam in Syriam uenit, in delicijs apud Antiochiam & Daphnem uixit, armisq́; ſe gladiatorijs & uenatibus exercuit, per legatos bellum gerens. Sed in Vero multa alia eius uitia enumerat.* Per duces.) *Statium Priſcum, Auidiũ Caßium, Nartium Verum.* Cum CCCCC milibus.) CCC *mil. habet Euſeb. in Chron. quod eſt uerißimilius.*

Parthicum triumphum reuexit.) *Capitolinus in Vero: Romam inde ad triumphum inuitus, quòd Syriam quaſi ſuum regnum relinqueret, redijt, & pariter cum fratre triumphauit.* Eodemq́; ſocero.) *quia eius filiam habuit Luciliam, ut Capitolinus in Vero, non ita longè ab initio.*

Obijt tamen in Venetia.) *Magnus Romæ timor belli Marcomannici fuit, ut Capitolinus ait in Marco: ad quod profecturus Marcus, Lucium ſecũ duxit inuitũ. Libetius enim domi delituiſſet apud ſcorta, inerteſq́; uoluptates. cum autem ibi quædam acta eßent Lucio urgente, etiam M. domum redire ſtatuit. In eo itinere perijt Lucius, ut dignus erat, haud nactus quas cupiuit uoluptates.* A' Concordia.) *inter Aquileiam & Vincentiam.* Altinũ.) *inter Vincentiam ac Veronam, apud Ptol.* Caſu.) *euentu.* ἀπόπληξιν.) ἀποπληξίαν. Parum ciuilis.) *arrogantis.*

Poſt

Poſt eum, M. Antoninus ſolus.)

Non eſt hic nouus imperator, ſed idem qui L. *Verum ſecum acceperat in adminiſtrationem imperij. Quod admonemus, quòd in alijs Cæſarum codicibus tituli mirè ſunt confuſi. Annus hic fuit Chriſti 173.* Solus.) *abſq; collega.* In infantia.) *Eadem uerba Capitolinus habet in Marco.*

Philoſophiæ deditus.)

In M. uita Capitolinus enumerat propè duodeuiginti uiros Grammaticos, Rhetores, Philoſophos, tum Græcos tum Latinos, qui ei adfuerunt, aut quos ipſe audiuit. Stoicæ.) *quæ Zenonem habebat autorem.* Eum.) *Marcum.* Generum eſſe ei.) *ſibi, Hadriano.* Perueniret.) M.

Succeſſorem parauerit Hadrian.)

Capitolinus in Marco ait: Marcum ita dilectum fuiſſe ab Hadriano, ut pro Vero eum nominaret Veriſſimum: & eum ſucceſſorem imperij deſtinaſſent, ſi ætas ei maturior fuiſſet. Vt tamen deſiderio ſuo ſatis fieret, Pium hac lege adoptaſſe, ut is Marcum adoptaret, ac M. item L. Verum Ceionij filium. Quamuis, ut dictum eſt, Hadrianus iuſſerit Pium tum Marcum tum L. ſibi adoptare, ut quidam tradiderunt. Ei.) *ſibi potius, ſcilicet Hadriano.* Perueniret.) *Marcum.*

Per Apollonium.) *De huius Apollonij faſtu Capitolinus in Antonino Pio.*

Latinas

Latinas autem literas eum Fronto orator.)

Puto M. Frontonem, eum quem ſæpe citat Gellius, & maximè libro 3. cap. 26. ubi uirum conſularem uocat. Et numeratur ſecundo Vlpiani anno in Coſſ. Catalogo, Anno Chriſti 102. Aequo iure.) *non ut princeps, ſed ut priuatus.*

Bellum ipſe unum geſsit Marcomannicum.)

Marcomanni in Germania populi ere gione Panno niæ ſuperioris, hodie Merchen, inter Viennam Auſtriæ ac ſyluam Boemicam. Morauiam quidam appellant. Marcomannicum.) *contra Germanos ad Danubium.* Quantum.) *quàm magnum: hoc eſt, quo nullum fuit hominum memoria maius.*

Quòd uniuerſi exercitus perierant.)

Creditum eſt, quando ſiue fatum, ſiue natura, ſiue, quod rarius eſt, Deus mundum omnibus calamitatibus affligere uoluerit, hunc Marcum in imperium rerum promotum, qui omnibus ſuccurreret: quod equidem ſtrenuè fecit. fuere autem bella ſub eo ubiq; ſæuientia, terræmotus, inundationes, peſtilentiæ, fames, incendia. His publicis ærumnis Marcus quaſi defenſor omnibus obiectus eſt. Perierant.) *peſte.*

Sub hoc enim tantum caſus peſtilentiæ.)

Iulius Capitolinus in L. Veri uita ait, ipſum L. Verum eius fati fuiſſe, in eas prouincias per quas rediit Ro

mam

mam uſq; luem ſecum detuliſſe uiſum. Poſt uict. Perſ.) *ſub* L. Vero.

Apud Carnuntum)

Pannoniæ oppidum. Plinius lib. 4. cap. 12. poſt Danubij deſcriptionem ita ait: Superiora autem inter Danubium & Hercinium ſaltum, uſq; ad Pannonica hyberna Carnunti, Germanorumq́; ibi confinium. Hæc Plinius. Andreas Althamer in Danubij deſcriptione ita ait: Intra Viennam ad Danubij alueum Petronella maximi & uetuſti oppidi ueſtigium iacet, Carnuntum dixere ueteres.

Quadi.) *Marcomannis uicini.*

Quadi hodie dicuntur, ut Althamer tradit, Voitlandi ad montem Piniferum, feutelberg *ad Ægrum urbem. Ex quo monte quatuor flumina in quatuor mundi partes effluunt, Sala ad Septentrionem, Mœnus ad occid. Naba ad Merid. Æger ad ortum.* Vandali.) *ad Viſtulam flu. olim.* Sarmatæ.) *Poloni, & eis uicini.* Sueui.) *Teutones, Senones.* Omnis barbaria.) *XVII populos enumerat Capitolinus in Marco.* Commodo.) *ſceleratiſsimo nebulone.*

Ad huius belli uſum.)

Meminit & Iulius Capitolinus in Marco, & Sext. Aurelius in eodem, de hac Marci pietate in patriam. Belli.) *Marcomannici, ſiue Germanici.* Largitiones.) *quas in milites erogaret. Sextus Aurelius.* Indicere.) *imperare.* Aliquid.) *ſc. extra ordinem.* Inſtrumenta.) *Eadem uerba ſunt Sex. Aurelij: hoc eſt, ornamenta imperatoria.* Sectione.) *auctione, Capitolinus.*

Pocu-

Pocula cryſtallina & murrina.)

Murrha gemma, unde uaſa murrhina. quidam putant murrham eſſe humorem qui in Oriente, maximè Parthiæ regno ſub terra condenſatur. Vide copioſè Plinium li.33.cap.2. Gemmarum.) *quas in ſanctiore repoſitorio Hadriani repererat.* Habita.) *celebrata.*

Multumq́ auri redactum.)

Capitolinus: Tantumq́ auri redactum, ut reliquias belli Marcomãnici ex animi ſententia perſolueret. Victoriam.) *auctionem factam.* Edit. munerum.) *in munere publico: Capitol.* Simul.) *una mißione: Cap.* Exhibuiſſe.) *ſagittis interfectos: Cap.* Virt. & manſuet.) *fortitudine & clementia.* Obijt.) *in Pannonia: Bendoboni, ait Sex. Aurel.*

XVIII Imperij anno.)

Haloander tribuit ei 19 annos, ſicut Euſebius: at Capitolinus cum Eutropio ſentit. Cæterùm apud eundẽ Capitolinum M. natus eſt anno CHRISTI *123. mortuus anno 181. uixit ergo annos 59. atq; ita habet Sext. Aurelius Victor & Bap. Egnatius.* Vitæ LXI.) *Facilis lapſus huius numeri, in tranſpoſitione* IX. XI. *legend. enim* LIX.

Huius ſucceſſor L. Antoninus Commodus.)

Omnium nebulonum & latronum atrocißimus, mõſtroſus hic Commodus, clarum fecit prouerbium hoc, Heroum filij noxæ. Ex bono patre ſceleratus filius, optimis præceptoribus commendatus. Sed uicit naturæ malitia

tia omnẽ diſciplinã. Vt primùm pater eſt mortuus, aureis præbuit aulicis corruptoribus, quib. etiã ſub patre clanculũ moriger fuit. Initiũ mali à fœmina ortum. Lucilla ſoror Commodi, quæ nupta fuerat Vero, poſt Veri mortẽ à Cõmodo commodè tractata. Cæterùm poſtquã Commodus uxorem duxit, coacta cedere imperatoris uxori, adeò id ægrè tulit, ut aduerſus fratrem occultã ſeditionem mouerit. ea cum malè ceßiſſet, ingens Commodo in Senatũm Romanum odium concitauit, ita ut inde Commodus nunquam benè commodarit urbi. unde Perennius occaſionem nactus bona reorum piſcãdi, tantus congeßit diuitias, ut ad imperium occupandũ aſpirarit. Sed ut is oppreſſus, Cleander non minor tyrannus ſucceßit. quo cæſo, deinde cædes promiſcuè durarũt, donec per concubinam Martiam ac alios coniuratos ipſe ſtrangulatus eſt. Commodus.) *Ael. Lampridius hunc deſcripſit. Fuit autem hic Commodus, omnibus incommodus, Anno Chriſti 182.* Cum huiuſmodi hominibus.) *ſeruitijs.* Strangulatus.) *quæ aliorum omnium eſt opinio.* Annis XII.) *XIII. al.*

Huic ſuccefsit Pertinax.)

Romanum imperium eò iam deuenerat, ut ſæpe fœda Barbarorum militum colluuies, non ſuffragijs, ſed inſanis tumultibus dominum orbi daret: nec alia ſuccedendi lex, niſi mactato ſuperiore principe. id quod in Pertinace probè uiſum eſt, qui inuitus imperium accepit, iam animo præſagiens latronum immanitatem, quã miſerè perijt. quidam tamen aiunt, inuiſum etiam militibus fuiſſe potißimum ob auaritiam, quod inſigne uitium putatur in principe, Sed ea erant fata huius. Succeſsit

ceſsit Pertinax.) *Anno Chriſti 195. Iulius Capitolinus hunc deſcribit.* Grandæuus.) *quia ſeptuagenario maior. Euſebius.*

Vt qui ſeptuagenariam attigiſſet ætatem.)

Euſebius in Chronicis ait, hunc ſeptuagenario maiorem fuiſſe, cum præfecturam urbis ageret. Sex. Aurel. VII ac LX annos, Egnatius LXI habuiſſe dicunt. At Capitolinus ait natum anno CHRISTI 128, cæſum anno CHRISTI 195. non exceßiſſet igitur 68 annos. Poſt eum.) *Anno Chriſti 195.* Saluius.) *qui & Didius apud Spartianum & Sex. Aurel. Hunc deſcripſit Ael. Spartianus.*

Saluius Iulianus Rempublicam.)

Hic Mediolanenſis, nobilis, diues ac iuriſperitus, authore Herodiano, ingenti pecunia imperiũ à prætorianis militibus licitatus emit, qui per magnum ſcelus Pertinacem innocentem occiderunt. Duo igitur ingentia grauabant uirum odia: alterum militum, quòd eis promiſſa dare non poterat: alterum populi, quòd perfidus in optimum principem fuiſſe traderetur. Saluij Iuliani.) *quia eius auus erat apud Spartianum.* Perpetuum edict.) *Quale hoc fuerit, non explicant authores.* Miluium pontem.) *qui propè Romam fuit.* Palatio.) *principis aula.* Vixit menſes 7.) *Ita Sex. Aurelius Victor & Egnat. Haloander 2 menſ. dies 5 habet. Sed & Spartianus ait menſibus duobus, diebus 5.*

Hinc

Hinc imperij adminiſtratio-
nem.)

Vt Commodus cæſus eſt, & mox Pertinax, nec reli quiſſent hæredem, multi imperium inuaſerunt: Romæ Didius Iulianus, in Syria Peſcennius Niger, in Gallia Clodius Albinus: in Pannonijs ac Illyrico, Septimius, ue hemens homo negotijs gerēdis, ac ferox, uitæq́; aſſuetus duræ & aſperæ, promptus excogitandis rebus, acer e- xequendis.

Septimius Seuerus.)

Seuerus, ut Pertinacem cæſum audiuit, Iuliani perfi- dia, ſomnio quodam motus ad ſpem nanciſcendi impe- rij, cum ſciret Pertinacis memoriam apud exercitus Il- lyricos ſacram, ut qui Pertinax ſub M. Antonino multa memoratu digna geſſiſſet, militum animos ad uindican dam eius cædem incitauit: ſimulans, non ſe quidem im- perium quærere, ſed ultum ire tanti principis ſanguinē, longè aliud in lingua promptum quàm in animo recon ditum gerens. Habita itaq; ad exercitus oratione, ſtatim militum fauſta acclamatione factus eſt imperator. quo facto, ſtatim in Italiam duxit exercitum, ac Romam ar matus inuadit. Prætorianis, qui Pertinacē occiderant, doloſè exarmatis, in Syriam proficiſcitur: ac Nigro i- bidem deuicto, redit in Galliam ad Clodium Albinum deuincendum. Ita prorſus omnibus deuictis, in Parthos, Armenios ac Arabes exercitu ducto, multa tropæa cele breſq́; uictorias reportauit: quas omnes ipſe ſua crude- litate fœdauit, & filij ſceleribus obumbrarunt, ac in ni hilum redegerunt. Seuerus,) *ſæuus potius ac crude lis, Anno Chriſti 196. De quo Ael. Spartianus.* Tri-

politana.) *maritima, ad latus Syrtis maioris: aut inter duas Syrtes.* Fiſci.) *loculi principis.* Milit. tribun.) *militum dux.* Var. officia.) *quæſturam, præturam, tribunatum plebis, Conſulatum.* Peruenit.) *Imperator factus.* Eius Pert.) *Imperatoris.*

Parcus admodum fuit.)

Aelius Spartianus: Hic tam exiguis ueſtibus uſus eſt, ut uix tunicæ eius aliquid purpuræ haberent, cum hirta chlamyde humeros uelaret, cibi parciſſimus, leguminis patrij auidus, uini aliquanto cupidus, carnis frequenter gnarus.

Bella multa.)

Herodianus lib. 3. poſt cæſum Albinum comparat Seuerum Iulio Cæſari, Auguſto ac Cn. Pompeio. Sed omnibus præfert.

Peſcennium Nigrum.)

Peſcennij huius Nigri uita deſcripta eſt, ab Aelio Spartiano: & meminit etiam Herodianus in ſecundo ac tertio libris. Cæterùm Herodianus poſt pugnam inter Seuerum ac Nigrum ad Iſſicum ſinũ, ubi Darius ac Alexander olim conflixerunt, ait Nigrum Antiochiam confugiſſe, ac in ſuburbio eius occiſum: Aemylianum autem eiuſdem Nigri ducem, Cyzici cæſum. Rebellauerat.) *ſe Imperatorem ſalutari paſſus erat.* Cyzicum.) *urbem Myſiæ minoris, ſupra Phrygiam, ad Propontidem.* Interiores.) *Felices.* Adiabenos.) *Aſſyriæ populos.* Arabes.) *Nabathæos, ſiue Petræos.*

Sub

Sub eo etiam Clodius Albinus.)

Herodianus lib.2.ad finem refert, qua aſtutia Albinum circumuenerit Seuerus uerſipellis Afer, ut qui eum Cæſarem ſuum ſalutaſſet, nẽpe cum in Oriente aduerſus Nigrum pergeret. Verùm cum iam rediſſet, Albinum doloſe perdere conatus eſt. ille cum dolum ſenſiſſet, aduerſum Seuerum ſe muniuit. At Seuerus orationẽ apud exercitus de infidelitate Albini habuit, ac apud Lugdunum cum eo conflixit ac uicit: habuitq́; occaſionem Seuerus, multos occidendi Senatores ac uiros illuſtres, qui, uel Nigri uel Albini reb. fauiſſe, ut longè melioribus uiris, credebantur. Clodius Albinus.) *Scripſit eius uitam Capitolinus.* In occid. Pert.) *Hoc nemo alius tradidit, quod ſciam, præter Capitolinum.* Se.) *Imò Seuerus eum ita fecerat.* Lugdunum.) *Galliæ urbem.*

Et literis doctus.)

Ael. Spartianus ait, eum literis Græcis ac Latinis eruditiſſimum fuiſſe: decimooctauo anno publicè declamaſſe, poſtquam Romam ſtudiorum cauſa uenerat. Latum clauum à Marco Antonio accepiſſe: adoleſcentiam plenam furorum, nonnunquam & criminum habuiſſe.

Nouiſsimum bellum.)

Herodianus libro 3. narrat: Poſtquam inter Baſſianum, Caracallũ ac Getam, Seueri filios, ingens diſſidiũ eſſet, ita ut pater etiam nihil boni inde auguraretur, nuncium ex Britannia ueniſſe, res Britannicas expoſcere, ut Imperator ipſe adeſſet, alioqui omnia caſura. Seuerũ

id latè accepiſſe,tum propter noua trophæa demerenda,tum componendos filios, ſi ex urbis delicijs deducerentur. In Britannia.) *Anglia hodie.* Recept. prouincias.) *in Britanniæ meridiei partibus.* A mari ad mare.) *& ſic hodie ſeparatur Scotia ab Anglia.* Eboraci.) *Brigantum oppido, in media inſula.*

Diuus appellatus eſt.)

Herodianus initio lib. 4. tradit ſolennitatis ritum mirificè, quomodo Cæſares in numerum Deorum referebantur. Baſsianum.) *Caracallam.*

Sed Baſsiano Antonini nomen.)

Spartianus perhibet, à patre Seuero Baßiano Antonini nomen impoſitum. Vide, ubi de morte Seueri.

Nam Geta hoſtis publicus.)

Hoc nemo, quod ſciam, ſcribit: ſed à fratre Baßiano occiſus eſt ſupra matris pectus, cum irruiſſet, ac eum nihil tale expectantem inuaſiſſet.

M. igitur Aurelius Anton. Baſsian.)

Vincit natura uel artem uel induſtriam, ſi gratia Dei deſtituatur. Quod in hoc Baßiano nimis clarũ euaſit. hic ut puer omnib. fuit charus, ita in adoleſcẽtia eius uideri potuit cuius eſſet naturæ: crudelior namq; continuò uiſus eſt. Vir deinde factus, patrem retulit uafricie, crudelitate etiã lõgè ſuperauit, initio facto à fratre Geta, quem contra ius & fas in ſinu matris occidit, ut Herodianus tradit. furijs deinde actus, ac conſcientiæ ſtimulis,

mulis, primùm conatus eſt Getæ matrem occidere: ſed territus, ne augeretur fratris cæſi crudelitas, Lætũ, qui inter ſuaſores Getæ mortis primus fuerat, primum occi dit, ac alios cædis eius conſcios, cum antea matrem Getæ ac alias mulieres cæſi mortem flentes, occidere tentarẽt. Sed hoc hic libet primùm oſtendere, Herodianum dice re lib. 4. *utriuſq; matrem* Iuliam *fuiſſe. at* Spartianus *in* Seuero *ait,* Seuerum *duas habuiſſe uxores:* Martiam, *ex qua* Baßianus: *&* Iuliã, *ex qua* Geta *natus ſit.* Quod *uidetur ueriſimile.* Et Baßianum *iratum nouercæ, & fratrem non uterinum minus amaſſe: præterea plus au ſum in nouercam, quàm in ueram matrem.* Aurel. Anton.) *Seueri filius maior.* Caracalla.) *à ueſti mento quod dederat, demiſſo uſq; ad talos.* Spart. in Se uero. Fuit *hic* Anno Chriſti 214.

Morum ferè paternorum fuit.)

Sceleratus Caracalla *occidit præterea patruelem* Afrum Pompeianum, M. *Philoſophi ex filia nepotem:* Papinianum, *iuris aſylum ac legalis doctrinæ theſaurũ: item* Petronium, *item* Papiniani *filium, & promiſcuè qui Getæ fauiſſe dicebantur: deniq;* Pertinacis *impera toris filium.* Alexandro Magno *ſimilis uideri uoluit, ac* Syllæ. Alexandriæ *in* Aegypto *magnas cædes fecit.* Tandem *in* Meſopotamia *ſuorum fraude meritò cæſus eſt.* Paternorum.) *eadem crudelitate ac ſæuitia præditus, qua pater* Seuerus. Lauacri.) *thermarum.* Antoninianæ.) *Eas plurimum lau dat* Spartianus.

Vt qui nouercam ſuam Iuli-
am.)

Sequitur opinionem Spartiani hic author, Iuliam Baſsiani nouercam fuiſſe. ea, ut erat pulcherrima, nuda magna corporis parte uiſa eſt à priuigno Baſsiano, qui cũ diceret, Vellẽ ſi liceret: illa reſpõdiße fertur, Si libet licet. Ān neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Scelerata hæc uox nunc aßiduè accinitur auribus regum: utinamq́; etiã non à Theologis ac Iuriſperitis. Defunctus eſt.) *cæſus à Martiali milite, ut autor eſt Herodianus.* Oſdroene.) *Meſopotamiæ regione.* Parthos.) *quos periurio feſellerat.* Funere pub.) *quia combuſtus Edeſſæ, eiusq́; oſſa delata ſunt Romam.*

Opilius deinde Macrinus.)

Hic Macrinus ignobilis & ſtemmate & uita, ignominia à Caracalla notatus, ac uitæ timens, curauit occidendum Caracallam: ac odio Caracallæ, manſit per annum in imperio. Verùm qui dederãt imperium milites, ijdem eum exuerunt, atq; unà cum filio occiderunt Diadumeno. Cum fil. Diadum.) *quia diademate inſignito, Anno Chriſti 220.* Præfectus.) *unà cum Audentio.* Ex temp. breu. t.) *quia per XIIII menſeis duntaxat regnarunt.* Pariter.) *ut per milites uenerant ad imperium, ita per milites ſunt occiſi.* Creatus.) *ſc. à ſceleratis militibus.* Poſt hos.) *Anno Chriſti 221.* Aurel. Ant.) Belgabel, *Heliogabali Dei ſacerdos.*

Crea-

Creatus poſt hos M. Aurel. Anton.)

Hic imperator dignus non eſt, de quo quiſquam loquatur. Turpitudine enim omnes alios uicit. Verùm id conſideratione dignum, quomodo hic ſceleratus homo in imperium uenerit. Erat Iulia ſecunda Seueri, ut inquit Spartianus, uxor: ea ſororē habuit Mœſam, quæ uiuente ſorore diu in imperatoria aula fuerat, magnam nacta pecuniam. Eam Lampridus Variam uocat. Vnde & quidam Helgabelum Varium uocant. Ea duas filias habuit, quarum maior natu Soæmis ab Herodiano in 5 uocatur, à Lampridio uerò Semiamira, à noſtro, Semia. ita & Sex. Aurel. Syra additur, quia ex Emiſſa Syriæ urbe erat. Ex ea genitus Heliogabalus, & ex Caracalla, qui eam ſtupraſſe dicitur: minor uerò Mœſæ filia Mammea dicta eſt, ex qua Alexander conſobrinus Helgabali, tanto omnium optimus, quanto Helgabel omnium peſſimus. Hic igitur Helgabel poſt cæſum Baſſia. Caracallum cum Macrinus ſordidè ſe gereret, uiſus in ſuo habitu, Deo Helgabel ſacrato, & audito quòd Caracallæ filius eſſet, de Antoninorum genere, ſimul & matrem ingentem poßidere pecuniam, omnes in eum inclinati milites Imperatorem crearunt, ac contra Macrinum inita pugna defenderunt: fortunatus imperator futurus, ſi cor ac aliquid hominis habuiſſet. Beſtia erat. Caracal. filius.) *ex Soæme conſobrina Caracallæ natus.* Heliogabali.) *Solis apud Syros.*

Expectatione.) *quia Antoninus credebatur ex inceſtu Caracallæ natus.* Probris.) *ſceleribus.*

Bienniocꝫ poſt & VIII menſibus.)

Ita & Sext. Aurelius, & Egnatius, cum Eutropio de annis ſentiũt. Euſebius, & eum ſequutus Haloander, IIII annos tribuunt. Herodianus prorſus in fine lib. 5. dat eius imperio ſexennium. Tumultu.) *militum, qui maluerant Alexandrum.* Semiaſyra.) *Duæ dictiones ſunt Semia Syra. In Græco exemplari Herodiani Σοαμὶς dicitur.*

Succeſsit huic Aurelius Alexander.)

Alexandri uita non eodem modo deſcripta eſt ab authoribus. Sext. Aurelius ac Herodianus non magnoperè laudant. Ille bonis Reipublicæ ærumnoſum fuiſſe aſſerit: hic malè pugnaſſe in Perſis, ac auaritiæ cauſa, maximè matris, meritò occubuiſſe. Lampridius fœliciſſimè, cum authore noſtro, aduerſus Perſarum regem Artaxarem, ut Herodianus, Artaxerxem, ut Lampridius, pugnaſſe ſcribit. Sed hæc in medio relinquimus. Ipſe Alexander, ut Lampridius author eſt, à iuuenili ætate ad duas res aſſuetus eſt, ad literas & ad arma. Duo nomina imperium adeptus à Senatu oblata reſpuit, nempe ut Antoninus ac magnus Alexãder appellaretur. Vrbem à ſpurcitijs Heliogabali repurgauit. In dicundo iure, doctos adhibuit iudices: fures peſſimo odio proſecutus eſt. Adorario mnino noluit. Inuitos, nõ ambientes, in Rempublicam ſuſcipiendos eſſe ait. Cum ſui ei obijcerent, quòd facilitate ſe contẽptibiliorem faceret: Sed ſecuriorem, inquit, atcꝫ diuturniorem. Trientarium fœnus publicum exercuit. Rem militarem ſeueriſſimè rexit, ita

&

& integras legiones exauctorauit. In diſciplinis mirabilis, maximè in mathematicis. Succeſsit.) Anno Chriſti 225. Alexand.) Mamææ filius, quæ Soæmes ſoror erat. Iuuenis.) X V annos natus, ut Herod. Xerenorum.) Oſdroenorum al. Euſeb. tamen Xerxem Perſarum regem inquit. Seueriſsimè.) cum contra eum inſurrexiſſent milites, contumeliæ cauſa uocauit eos Quirites, uulgò Bürnpeler, &c. Scrinij.) ſecretorum. Iuris cond.) opt. iuriſperitum. Fauorabilis.) multo omnium fauore habitus. In Gallia.) apud Moguntiacum. Mil. tumultu.) propter matris auaritiam.

XIII imperij anno, & die VIII.

XIII *imperij annos, omnes authores Alexandro adſcribunt: præter unum Herodianum, qui ei dat* XIIII. *Ætatis annos mirè uariant. Sext. Aurelius dat ei 26 annos. Sic Herodianus. Egnatius 29. Lampridius adijcit tres menſes ad 29 annos, ac 7 dies.* Die VIII.) IX, *Lampridius.*

IN EVTROPII LIBRVM IX. H. Glareani Annotationes.

IN hoc nono libro eſt hiſtoria circiter 71 annorum, à Maximino patre uſq; ad Conſtantinum Chlorũ, & Maximianum Galerium. Poſthunc.) Anno Chriſti 238.

Maximinus.)

Hic imperator Thrax ignobilis, paſtor primùm, mox

in exercitu Seueri lixa, deinde miles. Sed corporis robore paulo pòſtinualuit, ut inter Seueri ſtipatores eſſet. ſub Caracalla ordines duxit. ſub Macrino, quòd eũ oderat, militare deſijt: Belgabel ignominioſè eum accepit, ſed tamen hæſit. Ab Alexandro honeſtè ſuſceptus, honeſtius tractatus. Sed ingratiſſima belua optimum imperatorem cæcidit. Deinde adepto imperio, perfecto in Germania bello, cum crudelitate in omnes ſæuiret, ingens odium in ſe Senatus & omnium ordinum excitauit, ac hoſtis iudicatus eſt. poſtremò cum Aquileiã obſideret, nec expugnare poſſet, Prætoriani milites relictis ſuis caſtris, ad Albanum montem, ac ad eum profecti, trucidarunt. Hic latro longitudine plus octo pedes habuit, admirandi roboris. Capitolinus: Amphoram uini uno die hauriebat, & X L libras carnis deuorabat.

Ex corp. mil.) *miles duntaxat.* A' Pupieno.) *Maximo, aut eius militibus.* Cum filio.) *Maximino iuniore.* Poſtea.) *Anno Chriſti 240.*

Tres ſimul Auguſti fuerunt.)

Cum Maximinus, poſt uictoriam in Germania partam, tyrannide in omnes intolerabili eſſet, primùm in Africa ab eo deſcitũ eſt, atq; ibi per uim Gordianus ferè octogenarius imperator factus eſt, à S. P. Q. Romano confirmatus. Verùm ibidem à Senatore quodam, cui nomen Capelliano, Mauritaniæ præfecto, oppugnatus, cæſo in pugna filio, ipſe ſibi mortem conſciuit. Quare territus P. R. duos Auguſtos creauit, Maximum Pupienum ac Clodium Albinum (Balbinum alij uocant) ac Gordiani nepotem Cæſarem. Maximus contra Maximinum

minum miſſus, Balbinus Romæ retentus eſt. Intereàque cum audiret hæc omnia contra ſe facta, ira commotus Romam ire cõtendit: quo itinere Aquileiam oppugnat. ubi non ſolum conatu fruſtratus, ſed militum etiam orta ſeditione cæſus eſt. omnibus igitur pacatis, ut uidebatur, Maximini milites occultum dolorem in omnium lætitia diſſimulantes, occaſionem expectabant, quo ulciſcerentur ſe. Cum igitur ludi eſſent theatrales, facto ad palatium concurſu, ad mortem Maximinum ac Balbinum depoſcebant. illi autem cum ſedare milites conarentur, alter alteri ſuſpectus, ne ad eum ueniret imperium, occaſionem dederunt militũ furori, ut uterq; diſcerperetur. ſic Gordianus nepos, decimumtertium tunc annum agens, Imperator eſt factus.

Cuius frater ſenior Gordianus.)

Omnes authores tres faciunt Gordianos: patrem ſenem, ac filium eius, in Africa tumultu Capelliano mortuos, ſub Maximino: tertium nepotem. quanquam neſcitur certò ex filia' ne an ex filio, qui in Africa cum patre perierit, natus ſit. Frater.) *auus legendum.* Soli Gordiano.) *nepoti.*

Gordianus admodum puer.)

Gordianus III nepos, poſt ſuorum ac aliorum Auguſtorum Pupieni ac Balbini cædes, Auguſtus appellatus, qui antea erat Cæſar, magnæ ſpei iuuenis: ſed fata hunc abſtulerunt, fraude Philippi Afri hoc modo. Erat Gordiano ſocer Miſitheus, doctiſſimus uir, quem ob eximiam eloquẽtiam & ſingulares uirtutes dignum ſua parentela Gordianus iudicauit. Is ſocer bello Parthico egre-

egregiè exercitui omnia neceſſaria prouidētia ſua prouiderat. unde Philippus eum timebat, ac mortem eius machinatus dicitur, ut ipſe in Miſithei locum acceptus, ipſum iuuenem imperatorem perderet: quod & factum eſt. Admodum puer.) *annos 13 habens, apud Herodianum. Iunius Cordus* XVI *tribuit.* Tranquillam.) *Miſithei filiam.* Ianum gem.) *Iani templū, ut oſtenderetur indictum bellum. Capitolin. Hic porrò Gord. nepos imperare cœpit Anno Chriſti 241.* Ad orientem.) *in Meſopotamiam.* Erumpere.) *ultra Eufratem.*

Interfectus eſt fraude Philippi.)

Sublato Miſitheo, qui omnia prouiderat exercitui neceſſaria, Philippus aſcitus in eius locum, primùm curauit, ut naues frumentariæ auerterentur: deinde in ea loca ducerentur milites, in quibus nihil annonæ: inde odium in principem, ut qui iuuenis eſſet, nec ſciret regere exercitum. Inde corrupit etiam duces, ut depoſcerent eum qui poſſet per ætatem regere exercitū: atq; eo perfecit, ut omnes depoſcerent eum: nec ullis precibus ad ullā conditionem admiſerunt, ſed ad necem dederunt.

Circeſſo.) *in Capitolino Circeia legitur, ſi codex non errat.* Eufrati.) *flu. qui terminat Romanum & Parthicum imperium.* Exequias.) *Videtur exequias poſuiſſe pro reliquiis.* Diuum appell.) *in numerum deorum retulit.*

Philippi duo, pater & filius.)

An. Chriſti 247.

Sceleratus hic Philippus ſe Chriſtianum finxit, ut ſcelus

ſcelus in Gordianum apud uulgum leuaret. Boſtris Arabiæ Petrææ oppido natũs, per militiã ad honores uenit, & per ſcelus ad imperium. Sed ut in Gordianum ſceleſtè egit, ita in eum Decius: ut ſciamus, nullum malum impunitum manere, nullũ bonũ irremuneratum. Inuaſerunt.) *per ſcelus.* Reducto.) *ex Parthis, ubi Gordianum occiderunt.* Profecti ſunt.) *imperfecto bello.* Romæ.) *conditæ.*

Ingenti ludorum apparatu.)

Exhibita in his ludis, elephãti XXXII, alces X, tigrides X, leones manſueti LX, leopardi cicures XXX, hyænæ X, hippopotamus I, rhinoceros I, archeleontes X, camelopardali X, onagri XX, equi feri XL, gladiatorum mille paria. Gordianus parauerat ea ad triumphum Parthicum, ſed Deo aliter uiſum. Veronæ.) *Venetorum urbe.*

Poſt hos Decius è Pannonia.)

Hic Decius multas uirtutes bellicas, ac honores ingẽtes uno ſcelere inquinauit, perſequutiõe peßima in Chriſtianos innocentes excitata, qua diuum Laurentium igne exußit. Sed ſuos inultos non reliquit Deus. Vt enim Philippus hypocriſeos peccatum luit, ita hic inuidiæ et crudelitatis ultionem non effugit. Iuſtus eſt DEVS, *nos iniqui, quantumuis nonnunquam homines nos prædicent. Porrò Decij duo, pater & filius, imperio ſunt potiti Anno Chriſti 252.* Bubaliæ.) *Bibalin uocat Ptolemæus, inter Saum ac Danubium.* In Barbarico.) *in Dardanis, in Myſia.* Interfecti.) *à Scythis.*

Gallus

Gallus Hoſtilianus.) *Anno Chriſti 254.*

Hunc Sex. Aurelius Victor Virium Gallum uocat. Cæterùm Hoſtilianum Perpennam à Senatu imperatorem creatum, qui non multo pòſt peſtilentia conſumptus dicitur: Egnatius tantum Gallum, Pomponius Lætus Trebonianũ Gallũ uocat. hic ab eodẽ Læto dicitur Decij proditor fuiſſe, aduerſus Scythas in Myſia: quib. cum poſtea fœdus ignominioſum feciſſe dicitur, ita ut etiam tributum ijs ſolueret, quod ſub imperatoribus nemo ante eum fecerat. Interamnæ.) *ἰντέραμνα Straboni dicitur, ac ita etiam Plinius lib. 10. cap. 28. ἰντεραμνία Ptolemæo.*

Aemylianus obſcuriſsimè natus.)

Sub Gallo Hoſtiliano hic in Aſia imperator factus, quod aduerſus Scythas ſiue Sarmatas adeò egregiam operam nauauerat, ut inuidiæ eſſet Gallo ac Voluſiano. Sed his expeditionem in Æmylianum molitis, ac mox cæſis, cum maioris nobilitatis ac famæ uir Valerianus à militibus qui in Alpibus erant, electus eſſet, milites eius, ne ciuile bellum aliud naſceretur, & inſpecta eius humilitate, eo occiſo ad Valerium defecerunt.

Hinc Licinius Valerianus.) *Anno Chriſti 256.*

Trebellius Pollio Valerianorum genealogiam ponit. Valeriani ex duabus uxoribus ſingulos filios, Valerianum iuniorem & Gallienum: deinde Gallienum Saloninum, Gallieni filium, Valeriani nepotem. Sext. Aurelius filium putauit. Cæterùm horum regimen ita habuit,

buit, ut ſenior Valerianus cum Gallieno filio regnarit per 7 annos. Tum uerò mortuo Valeriano ſeniore, Gallienus fratrem Valerianum iuniorem ſecum Auguſtum fecit per 5 annos: quo mortuo, Gallienus ſolus triennio, non abſq; magna imperij Romani calamitate, regnauit. Cæterùm haud conſona de hoc Valeriano authores prodidere. Sex. Aurel. ſtolidum eum & multum inertẽ narrat, neq; ad aliquem uſum publicum, officio, conſilio uel geſtis accommodatum. Contrà Trebellius Pollio mirè hunc laudat, adducto Senatuſconſulto in eius rei teſtimonium. Pomponius Lætus ait eum fuiſſe hominem maioris ſpei ac opinionis quàm fortunæ: id quod res ipſa oſtendit. Priuatus enim fœliciſsimus fuiſſe dicitur, at poſt adeptum imperium infeliciſsimus. nec infelicitatis parua portio fuit, talem filium genuiſſe, Gallienum inquã, ex quo maior imperij calamitas nata eſt, quàm ullo unquam imperatore, ut in Gallieno patebit. In Rhetia.) *Alpina prouincia.* Norico.) *ad Danubiũ, ſupra Pannoniã,* Gallienus.) *filius.* Horũ.) *Valeriani et Gallieni.* Infelicitate.) *Valeriani.* Ignauia.) *Gallieni.* Rauennam.) *oppid. ad Picenum.* Meſopotamia.) *reg. inter Tigrim & Eufratem.* Ignobili.) *miſera.* Eo.) *Valeriano.* Ceruicib.) *tergo. Hoc meruit ille, perſecutione in innocẽtes Chriſtianos facta.*

Gallienus cum adoleſcens.) *Anno Chriſti 268.*

Gallienus imperator Romani imperij certa perniciees, neq; de patris apud Parthos capti ultione, neq; de imperij ruentis miſeria quicquam penſi habens, uolupta-

tibus

tibus immerſus:initio tamen imperij aliquid boni fecit, dum uiueret pater. At deinde deſidia ac ingenti uecordia occaſionem dedit omnibus hominib. irridendi eum, ita ut XXX *tyranni in diuerſis* Romani *imperij prouincijs aduerſus eum inſurrexerint.* E *quibus multi ſtrenui uiri: ut* Poſthumius *in* Gallia, Lollianus Victorinus, Ingenuus, Regillianus, Aureolus. *In* Oriēte Macrianus, *cũ filijs:* Odonatus, *ac ipſius uxor* Zenobia, *poſt mariti mortem* Principis *officio fungens (in tantum contemptum uenerat* Gallienus) *de quorum numero multi ad imperium coacti, pòſt à militibus deſerti, nonnulli ſuopte ingenio moti, quidam etiam inutiles. De quibus omnibus* Trebellius Pollio *ad longum tractat.* Poſtremò *inſidiæ ei factæ ab* Heracliano *ac* Martiano, *aſſumpto etiam* Cecropio Dalmatarum *duce, à cuius percuſſoribus cæſus dicitur* Gallienus. Primùm feliciter) *cum patre* Valeriano. Mox commodè.) *cum fratre iuniore* Valeriano. Ad ultimum.) *ſolus.* Iuuenis.) *filius ſub patris imperio.* Illyrico.) *regionibus ad* Danubium. Murſiam.) *in* Pannonijs. Ingenuo.) *uiro ſtrenuo.* Purp. ſumpſerat.) *Imperator fuerat factus.* Trebelliano.) *Iſaurorum duce.* Diu.) *quamdiu uixit pater.* Mox.) *poſt patris mortem.* Habenas.) *gubernacula.*

Alemanni uaſtatis Gallijs.)

Alemanni, ex Germanico Allerleymann, *nomen deductum, id eſt, collecti milites ex* Germanis, Rhenanis, Gallis, Rhetijs, *ac* Vindelicis *ad lacum* Brigantinum, *uulgò* Hoch Teütſchlandt. Dacia.)

Tranſpa-

Tranſpadana regio. Adiecta.) *imperio Romano.* Græcia.) *Attica, Peloponneſus, Achaia. Trebellius.* Pontus.) *Bithynia.* Gothos.) *Getas, ac Scythas. Trebellius addit, templum Epheſiæ Dianæ ſpoliatum ac incenſum.*

Pannonia à Sarmatis.)

Trebellius Pollio: Gallienus prouinciarum defectionem quaſi leuiſſimarum rerum iacturum ioco eludere ſolebat. Cum enim nunciatum eſſet Ægyptum defeciſſe: Quid, inquit, ſine lino Ægyptio eſſe non poſſumus? Cum Scytharum incurſione uaſtatam Aſiam accepiſſet: Quid, inquit, ſine aphronitris eſſe non poſſumus? Aphronitrum autem eſt ſpuma nitri, quod in Aſia laudatiſſimum concreſcebat. Martialis lib. 14.

Ruſticus es, neſcis quid Græco nomine dicas?
Spuma uocor nitri, dicor & Aphronitrum.

Sarmatis.) *Europæis.* Quadisq́.) *populi prope Marcomannos,* Voitländer. Germani.) *inferiores, ut Catti, Franci, Burgundiones.* Tarraconem.) *Scipionum oppidum: unde Tarraconenſis Hiſpania dicta.* Parthi.) *Perſæ.* Syriam.) *quæ citra Eufratrem eſt.* Vindicare.) *occupare.* De ſper. reb.) *ob Gallieni leuitatem ac deſidiam.* Poſthumius.) *uir egregius.*

In Gallia obſcuriſſimè.)

Hic inter XXX tyrannos, qui ſub Gallieno Romanas prouincias inuaſerunt, apud Trebellium ſecundus numeratur. Sed uir laudatus fuiſſe dicitur, quem Valerianus Gallieni parens plurimi fecit, quiq́; per 7 annos Gallias antè uaſtatas egregiè reſtituerat: ſed à Lollia-

no altero. tyranno cæſus eſt. Extat Valeriani *epiſtola apud Trebellium ad Gallos miſſa, de Poſthumi eximijs uirtutibus.* Obſcuriſsimè natus.) *ſed qui principis locum mereatur, ut Valerianus imperator dicit apud Trebellium.* Per annos decem.) *ſeptem, inquit Trebellius, ſemel in Gallieni, iterum in Poſthumi uita.*

Conſumptas.) *malè perditas.* Virtute.) *fortitudine.* Moderatione.) *gubernatione.* Reparauerit.) *reſtituerit, inſtaurauerit: Trebellius.* Interfectus eſt.) *in Gallia.* Moguntiacum.) *oppid. ad confluentem Mœni & Rheni.* Lolliano.) *aduerſario eius.*

Res nouas moliente.)

Lollianus quartus apud Trebelliū tyrannus, occaſio fuit, ut Poſthumus qui Gallias inſtaurauerat, occideretur. Ipſe etiam mox, cum non minus ceperit benefacere Galliæ, à Victorino, Victoriæ filio, interemptus eſt.

Poſt eum Marius.)

Marius in ordine XXX *tyrannorum ſeptimus eſt. ex fabro ferrario triduò tantum imperauit: una die factus imperator, alia imperauit, tertia cæſus eſt, ut* C. *Caninius Rebilius apud Suet. in Iulio, tit. 76. Cōſul Ro. adeò uigilans, ut ſub eius conſulatu nemo ſomnum ceperit. fuerat enim duntaxat dimidio die Coſ. Nullius manus uel ad feriendum uel ad impellendum fortiores fuiſſe narrantur. talitro hominem occidere potuit. Vide eadem de Tiberio referentem Suetonium, titulo 68.* Purpuram ſumpſit.) *poſt Victorinum, inquit Trebellius.* Interfectus eſt.) *ab operario ſuo, in officina olim fabrili.* Victorinus.) *Victoriæ, ſiue Victorinæ*

næ filius. Poſtea.) *poſt Poſthumium ac Lollianum.*

Victorinus poſtea Galliarum.)

Hunc Iulius Aterianus apud Trebellium, omnibus imperatoribus præferendum putat, ſi una eius libido non obfuiſſet, qua cuncta bene geſta cõtaminauit. Quintus in tyrannorum ordine. Actuario quodam.) *qui acta celeri ſcriptione excipit, Actuarius dicitur. Sabell. in Suet. tit. 53. in Cæſ.* Huic.) *Victorino. at alij aiunt Mario.*

Succeſsit Tetricus Senator.)

Poſt Galliæ imperatores Poſthumum, Lollianum, Victorinum, Mariũ, quintus hortatu Victoriæ ſiue Victorinæ, poſt cæſum ipſius filium, imperator factus eſt Tetricus: ab Aureliano tandem uictus, cui uolens ſe dedidit, & in triumpho unà cum Zenobia Odonati uxore ductus: ultimò ab eodem Aureliano factus totius Italiæ corrector, ac in ſummo honore habitus. Aquitaniam.) *Galliæ partem.* Burdegalam.) *Vbiſcorum Biturigum oppidum. Auſon. Burdigala eſt natale ſolum, clementia cœli Mitis, &c.* Agerentur) *per quinq; iam dictos uiros.*

In Oriente, per Odenatum.)

Trebellius Pollio: Niſi Odenatus princeps Palmyrænorum capto Valeriano, feßis Romanæ Reipublicæ uiribus, ſumpſiſſet imperium, in Oriente res perditæ eſſent. Tres filios habuit, Herodem ex priore uxore, Herẽnianum ac Timolaum ex Zenobia: quæ nouercali odio in Herodem priuignum, cum Mæonio Odenati conſobrino conſilium inijt, ut quidam putant, ut Odenatus

cum filio Herode, quem nimis indulgenter enutriuit, tollerctur. quod & factum eſt. Paulo poſt & ipſe Mæonius cæſus à militibus. Perſæ.) *Parthi.* Cteſiphontem.) *oppid. ſupra concurſum Tigris & Eufratis.* In occidente.) *Gallia.* Oriente.) *in Syria.*

Fraude Aureoli ducis ſui.)

Hunc quoq; exercitus Illyrici in contemptum Gallieni imperiū accipere coegerūt; ſed ipſe pro Gallieno Macrienum cum filio expreßit. cum eum autem Gallienus expugnare uellet, nec poſſet, aſſumpſit eum, pace inita, ſocium contra Poſthumium: poſt Gallieni autem mortem à Claudio cæſus eſt. Fraude.) *unà cum Heracliano ac Martiano.* Ducis ſui.) *ſcilicet contra Martianum.* Imperij.) *quo ſolus imperauit.*

Claudiusq́; ſucceſsit.) *Anno Chriſti* 271.

Claudius hic imperator mirè à Trebellio laudatur, qui ait eum Gothorū ac Scytharū C C C X X *millia uno prælio ferè attriuiſſe. Sex. Aurelius ait, ægrè dimidiam ſuperfuiſſe partem. Locum pugnæ nec hic autor, nec Trebellius commemorant, Sextus Aurelius ait, ad Benacum lac pūugnatū cum Alemannis. Ego per Alemānos intelligo Gotthos. Et quod alibi legitur in ſylua quæ Lugana dicitur, intelligo de Lunæ ſylua ad Marcomannos. Nec in Italia pugnatum cum Gothis, ſiue Alemannis, ſed in Illyrico.* Gothos.) *Alemannos, Sarmatas, Scythas.* Ingenti prælio.) *terra ac mari, inquit Trebellius.* Tenax.) *amator.* Intra biennium.) *quia anno uno ac* I X *menſibus, autore Euſebio.*

Ingen-

Ingenti cum honore decora-
uit.)

Sextus Aurelius ait cauſam huius honoris fuiſſe, quòd cum libri Sibyllini conſpecti eſſent, ibi prædictum, Si Rempublicam Romanam ſaluam uellent, ut primi dicendæ ſententiæ morte id fieret. Cum igitur eo tempore Pomponius Baſsus ſe obtuliſset, non paſſum hoc Claudium, ſed primas imperatorē habere, ipſum ſe obtuliſſe, ac fata impleſſe. Clypeus.) *ſtatua aurea decem pedum, inquit Trebellius.* Stat. aurea.) *argentea, librarum mille quingētarum. 1500 lib. argent. 15000 coron.*

. Quintilius poſt eum.)

Qui de hoc ſcribunt, aiunt eum, ut primùm Claudij mors Romam denunciata ſit, à Senatu Romano imperatorem electum: à militibus autem, ſecundum Claudij morientis ſententiam, Aurelianum. Quod cum audiſſet Quintilius, primùm aduerſus Aurelianū concionari auſum: ſed à militibus non auditum, uenas ſoluiſſe, ac ſic expiraſſe, ſeptimadecima die poſtquam imperator eſt factus.

Poſt eum Aurelianus.) *Anno Chriſti 273.*

Hic in re militari magnus, corpore ualidus, utputa barbarus, ad occidendos homines natus, militibus horrendus, quibus arctiſsimas dedit leges, quas multas Flauius Vopiſcus recitat. Valerianus imperator eum ueneratus eſt, ac nonnihil ueritus. dona eius apud eundem Vopiſcum enumerantur. Dimicauit contra Francos ac Sueuos, Sarmatas ac Marcomannos. nimis diligens in

ſuperſtitione Deorum, & pietatis Chriſtianæ hoſtis crudelis, ſeuerus, truculentus. Et ut idem Vopiſcus ait, princeps magis neceſſarius quàm bonus, miſerè perijt, ut debuit pietatis ſanctæ perſequutor. Dacia.) quæ ad Danubij ripas eſt. quidam eum Syrmij, oppido inferioris Pannoniæ, natum aiunt. Bello.) militari diſciplina. Immodici.) nimis arrogantis. Gothos.) Francos, Germanos, & Sarmatas. Romanam ditionem.) per Gallieni ſocordiam imminutam. In Gallia.) in Occidente. Electus.) contra ſuam uoluntatem. Apud Catalaunios.) Schalun hodie, in Campania Francica.

Ipſo Tetrico prodente.)

In hoc Tetrico ambitioſior æquo uiſus eſt Aurelianus. Vnde poſtea quaſi pœnitens, eum magnæ parti Italiæ circa Lucanos correctorem fecit: imò totius Italiæ, ſi Trebellio credimus, in Tetrico ſeniore. Virgiliano.) 6 Æneidos, Palinuri ad Æneam.

Zenobiam quoque occiſo marito.)

Hæc uirago de Cleopatræ ac Ptolemæorum gente ſe iactabat. poſt Odenatum uirum regnauit, de qua elegans epiſtola eſt Aureliani ad Senatum Romanum, qua purgat ſe a diuerſis eos qui ei turpe putabant fuiſſe, de muliere triumphaſſe. At ille oſtendit, talem illam fuiſſe in adminiſtranda re bellica, ut non fruſtra Odenatus Parthos uſq; ad Cteſiphontem propulerit, unius huius mulieris arte ac conſilio. Zenobiam.) Palmyræ urbis dominam, unde & regio Palmyræna in Syria. Orientem.) Syriam, & alias ibidem nationes. Tenebat.)

nebat.)*ſub Gallieno.* Antiochia.)*quæ ad Orientem eſt.* Orientis.) *à Zenobia.* Occidentis.) *à Tetrico.* Tetrico.)*Galliæ præſide.* Zenobia.) *Odenati uxore.* Correct. Lucaniæ.) *ita Eutropius & Sextus Aurelius.* Priuatus.) *non amplius Imperator.*

Zenobia autem poſteros.)

Trebellius: Huic ab Aureliano uiuere conceßum eſt: fertúrque uixiße cum liberis matronæ iam more Romanæ, data ei poſſeßione Tiburti, quæ hodiéque Zenobia dicitur.

Hoc imperante etiam monetarij.)

Meminere obiter & Sextus Aurelius & Vopiſcus: Fœliciſsimo Rationali ſeditionis authore. de quo eſt epiſtola Aureliani Imperatoris apud Vopiſcum, quam ſcripſit Vlpio patri.

Et Fœliciſsimo Rationali interfecto.)

Aurelianus hunc Fœliciſsimum in epiſtola ad Vlpiũ, ait ſeruorum ultimum fuiſſe, cui procurationem fiſci mandauerat. magno conſtitit Aureliano ea uictoria, 7000 ſuorum militum interemptis.

Vltima crudelitate compeſcuit.)

Flauius Vopiſcus: Dicitur præterea huius fuiſſe crudelitatis, ut pleriſq; Senatoribus ſimulatam ingereret factionem coniurationis, quo facilius eos poſſet occidere. Etiam filij ſororis.)*Hoc & Fla. Vopiſcus &*

Sextus Aurelius ſcribunt. Diſciplinæ.) *in qua enu-tritus erat, ut eximius latro.* Diſſolutor.) *malorum ac ſeditioſorum.*

Vrbem Romam muris.)

Meminit Vopiſcus, cum eius rei cauſa: et cui princi-pi permiſſum ſit promouere pomœrium, narrat. Fir-mioribus.) *& laxioribus, inquit Sex. Aurelius.*

Templum Soli ædifica-uit.)

Ex Palmyra Orientis urbe ab Helgabali templo hãc Solis uenerationẽ ſumpſit, de qua multa Flauius Vo-piſcus. Intermiſit.) *uaſtam reliquit.* Mœſia.) *quæ citra Danubium eſt.* Occiditur.) *Hæc ex Sex-to Aurelio.* Serui.) *Mneſthei, notarij ac liberti.*

Serui ſui fraude.)

Mneſtheus Aureliani libertus ac ſcriba, cum ei Cæ-ſar minatus eſſet, ac ipſe ſciret non fruſtra illum mina-ri ſolere, occidendi Aureliani conſiliũ hoc modo cœpit. libellũ, ſiue breue, ut Vopiſcus loquitur, cõſcripſit, mix-tis nominibus & reorum & amicorum, imperatoris manum imitatus, quaſi imperator ipſe omnes occiſurus eſſet. Qui cũ fidẽ ei haberent, quòd etiã ipſius nomẽ illic inſertũ eſſet Aurelianũ in itinere facto in eum impetu occiderũt. Mneſtheus poſtea ſurreptus ad ſtipitem, be-ſtijs obiectus eſt, inquit Vopiſcus in Aureliano. No-mina pertulit.) *Hæc ijſdem uerbis Sextus Aurelius.* Eius.) *Aureliani.*

Quod inter Conſtantinopolim & Heracl.)

In Thracia Byzantium eſt, quæ nunc Conſtantino-polis

polis.Heraclea eſt uerſum Iſthmum Cherſoneſi.quanquã & Perinthus quoq; Heraclea Ptolemæo dicitur. in prætura καινικῇ*.In alio exemplari eſt Cænophrurium,* καινοφρούριον*, id eſt noua cuſtodia.quæ lectio placet magis quàm Zenophrurium.* Stratæ.)*uiæ. Hactenus Sex.* Inulta.)*quia tres imperatores ſequentes,eos exquiſitos occiderunt.*

Imperauit annis V,menſeis VI.)

Ita Euſebius. At Vopiſcus ait,eum imperaſſe annis VI, *minus paucis diebus. differentiã fecit opinor, quòd poſt Aureliani mortem fuit interregnum* VII *menſium, dum exercitus petunt à Senatu qui daret principẽ. contrà Senatus uoluit,ut exercitus darent. ita res extracta eſt in* VII *menſem.*

Tacitus poſt hunc.)*Anno Chriſti* 278.

Flau. Vopiſcus refert huius Taciti decreta:ut capitale eſſet,ſi quis publicè priuatímue argento æs miſcuiſſet: ſi auro argentum,æri plumbum. Vitæ continentiſſimæ fuiſſe dicitur,ita ut uini ſextarium tota die non ebiberit,& ſæpe intra heminam.Sex. Aurelius ait,eum Tarſi occiſum : Euſebius, apud Pontem. Suſcepit imp.)*à Senatu electus.* Morte præuentus.)*Quidam militari tumultu cæſum uolunt,quidam morbo.*

Florianus,qui Tacito ſucceſſerat.)

Florianus non Germanus,ſed uterinus Taciti frater,quaſi imperiũ hæreditariũ eſſet, poſt fratrem imperiũ arripuit,nec à Senatu,nec ab exercitib. electus. Cæ

terùm ut auditum eſt Probum imperatorem factum, ut Sext. Aurelius, uenis inciſis, ut Flauius Vopiſcus & Euſebius ſcribunt, à militibus Tarſi cæſus interijt. In imperio fuit.) *eodem anno.*

Poſt hunc Probus uir illuſtris,) *Anno Chriſti 279.*

De Probi imperatoris probitate ac uirtutibus multa proſequitur Flau. Vopiſcus. Syrmij in Pannonia inferiore natus dicitur. A' puero honeſtis ſtudijs deditus, & corporis exercitio ſub IIII Imperatoribus militauit, Valeriano, Gallieno, Claudio, ac Aureliano. ab omnibus his donatus in eam familiam uenit, ut poſt Aureliani Tacitiq; mortem ſtatim imperator eligeretur. Contra multas barbaras gentes pugnauit, Marmaridas, Francos, Sarmatas, Parthos. ad Neccarum & Albim Germanos ſummouit, & Galliæ ciuitates ab eis occupatas è manibus eorum forti eripuit manu. Atq; ita uniuerſum imperium Romanum ab omnibus barbaris tutum reddidit, ut gloriaretur breui fore, ut nullis opus eſset militibus. quæ cauſa una mortis eius fuit: mox enim inde à militibus cæſus eſt. Vir illuſtris.) *nobiliore matre quàm patre, inquit Vopiſcus.* Gloria mil.) *non natiuitate.* Gallias.) *LX urbes.* A' barbaris.) *Germanis ac Sarmatis.* Præl. felicitate.) *quib. 40000 occiſa ſunt, 9 regibus captis.*

Scilicet Saturninum in Oriente.)

Duo Saturnini, qui hiſce temporibus inuaſerint, referuntur. alter ſub Gallieno à militibus factus imperator, ab iiſdem mox cæſus eſt: alter ſub Probo in Oriente eadem

dem à militibus paſſus, quæ prior Saturninus. In Oriente.) *Palæſtina.* Proculum.) *Porcum Albigaunenſem.* Bonoſum.) *amphoram, non hominem.*

Proculum & Bonoſum.)

De Bonoſo Aurelianus imperator dicere ſolebat. Non ut uiuat natus eſt, ſed ut bibat. laqueo finiuit uitã. Vnde iocus in eum, Amphorã pendere, nõ hominẽ. Longo grauiq; certamine à Probo ſuperatum ait Vopiſcus.

Vineas.) *Sexti Aurelij uerba.* Gallos.) *ergo ante Probum in Gallia ac Pannonia non fuere uites.* Syrmium.) *oppid. inferioris Pannoniæ.* Mœſiam.) *ad Danubium, iuxta Dacos.* Conſeuit.) *Hactenus Sext.* Prouincialibus.) *Gallis & Pannonibus.* Pace parta.) *per uniuerſum orbem.*

Dixit, breui milites neceſſarios.)

Flau. Vopiſcus tres cauſas Probi mortis recitat. Primã, quòd milites nunquam ocioſos permiſit. Secundam, quòd dixerat breui fore, ut nullis militibus opus ſit. Tertiam, quòd in patria ſua amplanda ad ſordida ac ſeruilia miniſteria milites coegiſſet. Quod milites ægrè ferentes, tumultum excitarunt: quem cùm effugere uellet, in ferratam turrim conceſſit, atq; ibi eſt cæſus. Syrmio.) *ad oppid. Pannoniæ inferioris.* In turri ferrata.) *Hanc turrim ſpeculæ cauſa ædificatam ab eo latiſſimam, ſcribit Vopiſcus.*

Poſt

Poſt hunc Carus eſt factus Aug.)

Anno Chriſti 285.

Cari imperatoris patriam Sext. Aurelius, quem hic author ſæpe ſequitur, Narbonem fuiſſe, ſcriptis prodidit. Vopiſcus autem uarias authorum narrat opiniones de eius patria. Bonus dici meruit imperator, quamuis maiorem natu filium malum reliquerit, Carinum inquam: cum minor natu Numerianus probæ indolis fuiſſe dicatur. Hic Carus paucis diebus Sarmatas uicit, occiſis XVI. millibus, captis XX millibus hoſtiũ. deinde in Perſas profectus, utra Babylonẽ uictor euaſit, ſed periȷt fulmine, ut quidam: alȷ morbo interiȷſſe ſcribunt.

Sarmatas.) *Europæos.* Perſarum.) *Parthorum.* Profectus.) *cum Numeriano.*

Corchen & Cteſiphontem.)

Vopiſcus ait, Meſopotamiam ab eo captam, ac Cteſiphontem uſq; perueniſſe. in altero Eutropȷ codice legitur: Seleuciam ac Cteſiphõtem urbes nobilißimas cæpit. Fortaßis Seleucia aut Carræ legendum. nam Corchen non inuenias temerè apud authores.

Numerianus quoque filius.)

Hic Cari minor natu filius, egregiè moratus, eloquentia præpollens, ut Vopiſcus inquit, cum patre in Perſas abiȷt, cum Carinus maneret in Occidentis imperio, idq; factum propter ætatem puerilem: alioqui Numerianus conſtitutus fuiſſet in Occidente.

Im-

Impulſore Apro.)

Aper Arrius Cari imperatoris præfectus fuit, ut Vopiſcus tradit: magnæ adeò autoritatis, ut Carus filio ſuo Numeriano Afri filiam daret, ac Aprum ſocerum Numeriani faceret. Quo beneficio Aper elatus, inuadendi Imperij conſilium cæpit, à Numeriani *cæde. Sed exercitus iuſſu uindex eius mortis fuit* Diocletianus, *poſtea Auguſtus.* Dolo occultaretur. *) ſcilicet ut ipſe Aper interea imperium arriperet. Sextus Aurelius: Quouſq; Aper inuadere poſſet imperium.* Ipſius.) *Numeriani.* Eum.) *Numerianum cæſum.* Diductis.) *amotis tegumentis.*

Fœtore commoti.)

Vopiſcus in Numeriano: Vt res eſt prodita, omnes inuaſerunt Aprum, cuius factio latere non potuit. eumq; ante ſigna & principia protraxere. Ingens facta concio: quæſitus uindex Diocletianus.

Interea Carinus,)

Homo omnium contaminatiſſimus, adulter frequens, iuuentutis corruptor, ut primùm pater in Parthos abijt, omnia tyrannorum officia exercuit. Mimis, meretricibus atq; lenonibus palatium impleuit. in corporis uoluptatibus ac gulæ illecebris ſuperauit propemodum Caligulam, ita ut pater Carus eum ſuum negaret: & Conſtantium, qui poſtea Cæſar, in locum eius ſurrogare uellet, ac illum occidere. Nec ei defuit ad uindicandum ſubimet imperium, uigor mentis: qui contra Diocletia*num multis prælijs conflixit.* Carinus.) *Cari natu maior filius.* Parthos.) *Perſas.* Nobilia.) *nobilium uirorum.* Condiſcipulis.) *qui cum eo ludum uiſi-*

uiſitauerant. Auditorio.) *ſchola.* Pœnas dedit.) *cæſus eſt.* Perfide.) *qui ſub Caro ac Numeriano militauit.* Auguſtum.) *Imperatorem.* Numerianum.) *Cari minorem natu filium.* Perdidiſſet.) *amiſiſſet. Fuit hic annus Chriſti 287.*

Diocletianum Imperatorem creauit.)

Sext. Aurelius: Diocletianus ante ſuſceptum imperium Diocles dictus eſt, à matre Dioclea: poſt imperium autem aſſumptum, Graium nomen in Romanum conuertit morem. Creauit.) *exercitus.* Dalmatia.) *Salonis urbe littorali.* Obſcuriſsimè.) *humillimis parentibus.* Libertinus.) *Ita Sext. Aurelius.*

Et cum iuxta eum Aper.)

Cum apud Tungros in Gallia miles adhuc gregarius Diocletianus cum Druyde muliere auarè rationem uictus ſolueret, à muliere de ſorditate accuſatus: Tum largus ero, inquit, cum imperator fuero. Ibi illa Diocletiano: Cum Aprũ occideris, imperator eris. Et cum deinde ſedulus in apris occidendis eſſet, tandem ultor cædis Numeriani, Aprum fatalem ſe apprehendiſſe dixit. Aper.) *Numeriani ſocer.* Numeriano.) *genero ſuo. Euſebius in Chronicis ait, iuraſſe Diocletianum, nõ ſine Apri ſcelere Numerianum occiſum.*

Diocletiani.) *ut uindicis necis Numeriani.*

Poſtea Carinum omni odio.)

Verũ eſt quod uulgò prouerbio dicitur, nõ omnia poſſumus

mus omnes. Non uni dij dedere omnia. Non omni Deus omne dedit. Nemo eſt omnis homo, Non omnes omnibus artes. Non fuiſſet alius melior imperator Diocletiano, ſi manum à piorum ſanguine continuiſſet, & ſibi diuinum honorem non tribuiſſet: hoc eſt, ſi ſeſe hominem miſerum cognouiſſet. De eius in Chriſtianos edicto meminit Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria libro 8. Iuſſit etiam ſe adorari, homo ſtolidus, cum cacaret per poſteriora, ut alij homines. Carinum.) Cari maiorem natu filium. Viuentem.) in Occidentis imperio. Murgum.) Mœſiæ oppidum. Ab exercitu.) Illyrico. Fortiorem.) quàm Diocletianus.

Inter Viminatium atque aureum.)

Meminit Viminatij in Myſia ſuperiore Ptolemæus βιμινάκιον λεγίων ad Danubium. Montem autem aureum eſſe in Mœſia, ſatis patet ex Probi hiſtoria ſuperius habita.

Cum tumultum ruſtici in Gallia.)

Bellum ruſticum fuit in Gallia ſub Diocletiano, quale in Germania anno Domini 1525. Gard, lingua antiquâ Gallica eſt collectio: & Puren, id eſt, Ruſticorum. Vnde Purengard, eſt ruſticorum collectio ſiue exercitus, quod nomen neq; Græci neq; Latini rectè pronunciare potuêre. In altero codice Chronicorum Euſebij legitur Progaridarum, propius ad linguã Gallicam Purengard. Ruſticani.) Al. ruſtici. Baucadarũ.) Burgardarũ. Cæſarẽ.) mox Auguſtũ. Carauſius.) Vide lõgũ hyperbatõ uſq; ad hæc uerba,

purpu-

purpuram ſumpſit, &c. Serenæ militiæ.) *ordinariæ, iuſtæ.*

Belgicæ & Armoricæ.)

Armoricæ ciuitates ſunt ad Oceanum occiduum, ac patrem Septentrionalem Galliæ, ubi hodie ducatus Britanniæ, deſcriptæ à Cæſare fine lib. 2. Comment. de bello Gallico, & ſeptimo, ubi de Gallorum exercitu ante Alexiam. Sunt autem hi populi:

Veneti	Wäner
Vnelli	Vnelich. *Spurij ſunt Romæ quoq;.*
Oſiſini	Hoſenſchiner
Curioſolitæ	Küriſlut
Aulerci	Owlercher
Rhedones	Redener
Ambibarri	Handimbart.

Sic Armoricæ, Armenrich, *ſicut* Armeniäken. Belgicæ.) *e regione Britanniæ.* Armoricæ.) *ciuitatũ Lugdunenſis Galliæ, ad mare Britannicum & occiduũ.* Accepiſſet.) *ab imperatore.* Franci.) *Germani ad Mænum amnẽ.* Saxones.) *ad Albim flu.* Barbaris.) *Germanis.* Captis.) *à Cauſio.* Prouincialibus.) *quibus Franci & Saxones abſtulerant.* Imperatoribus.) *Diocletiano ac Maximiano.* Conſultò.) *per dolum.* Admitti barbar.) *Germanos in Gallias.* Hoc ſe occup.) *non Imperatores, quorum tamen exercitus habebat.*

Purpuram ſumpſit, ac Britannias.)

Ordo in hoc longo hyperbato eſt: Poſt hæc tempo ra

ra etiam Carauſius purpuram ſumpſit, & Britannias occupauit. Britannias oc.) *imperium Britanniæ obtinuit, per 7 annos.* Omnem orb.) *Romanum imperium.*

Et Carauſius in Britannijs.)

In quatuor mundi partibus turbæ erant: quare duobus Auguſtis, ac duobus Cæſaribus opus erat. In Britannijs.) *duabus inſulis.* Oriente.) *Ægypto.* Quinque gent.) *Quingentiani quinquagenarij.* Orienti.) *in Aſia & Syria.* Conſtantium.) *ſcilicet Chlorum.* Maximianum.) *Galerium Armentarium.*

Quorum Conſtantius per filiam nepos Claudij.)

Trebellius in Claud. Claudius, Quintilius, & Criſpus tres fratres fuerunt. Criſpi filia Claudia. Ex ea & Eutropio nobiliſſimo gentis Dardanæ uiro, Conſtantius Cæſar eſt genitus. Hæc Trebellius. Loquitur autem de Conſtantio Chloro, magni Cõſtantini patre. ergo Claudius hic etiam origo fuit Conſtantino, ut Conſtantio. quod ideo admonemus, quod in libris Trebellij iam Cõſtantij, iam Conſtantini legitur Claudius origo fuiſſe, cum amborum fuerit. Eutropius autem putauit Claudiam Claudij imperatoris fuiſſe filiam, cum fuerit Criſpi fratris eius, ſecundum Trebellium. Claudij.) *Imperatoris, qui ante Aurelianum fuit, anno Domini 271.* Maximianus.) *Hæc alibi non ſunt.* Galerius.) *Armentarius Maximianus.* Dacia.) *ripenſi, inquit Sextus Aurelius.* Sardyca.) *Non temere hanc repe-*

ri.us apud autores. Conſtantius.)*Chlorus,Magni Conſtantini pater.* Herculei.)*Maximiani.*

Theodoram accepit.)

Pomponius Lætus ait, Cæſares hoſce Auguſtorum adoptatos fuiſſe filios.Itaq; abdicare coactos priores uxores: Armentarium Diocletiani,Chlorum Herculei filium factum. Accepit.)*reiecta Helena,priore uxore,ex qua Conſtantinum Magnum iam ſuſceperat.* Fratres.) *ſed non uterinos.* Tentata.)*à Max. Herculei ducibus: Pomponius.* Recepta.) *in manus Imperatorum.* Lingonas.) *oppidum in finibus Lothoringorum.*

Circa Lingonas.)

Cæſar lib.4.de bello Gallico: Situs Lingonum optimè ex ſitu Moſæ habetur. Moſa profluit ex monte Moſeco,qui eſt in finibus Lingonum,hodie Langres lingua Parlarica: Moſch *antiqua Galloru̅ lingua hic mons uocatur. Ex quo alij Voſegum, alij Vogſum tranſpoſitis ſyllabis enunciarunt.Sed uterq; error accidit ex ignorātia ueteris Gallicæ linguæ,qua hodie Heluetij utu̅tur.* Barbaris.)*Alemannis.* Aduentante.)*ad murum urbis.* Exercitu.)*Romano,aut fortè Alemannorum.*

L X ferè millia Alemannorum.)

Pomponius Lætus ait Alemannos profligatos,tum per Romanos qui antea illic profugerant ex aduerſa pugna, tum per ciues Lingonenſes. Profligauit.)*extinxit.* Quinquegentianis.) *ueteranis militibus.*

Do-

Domitis Quinquegentia-
nis.)

Pomponius Lætus ac Egnatius aiunt, Quinquegentianos, quinquagenarios milites eſſe, et ſupra eum numerũ ueteranos. Qui omnia diripientes, ſibi imperium in Africa parare cupiebant. Achilleum.) *qui Ægyptum inuaſerat.* Interfecit.) *beſtijs obiecit.* Narſeium.) *Perſarum regem.*

Inter Gallinicum Carrasq́.)

Gallinicum locum in Meſopotamia, à uictoria contra Gallos dictũ, uix reperias apud ueteres. Quid ſi Nicephorum legas? quod equidẽ malim. Inconſultè.) *nõ bene exploratis rebus omnibus.* Pulſus.) *à Narſeo.* Ad Diocletianum.) *in Syriam.* Inſolentia.) *increpatione.* Per aliqua paſſ.) *mille paſſus, inquit Pomponius, & Ammianus li. 14 ad finem.* Purpuratus.) *quia Cæſar erat.* Vehiculum.) *Imperatoris.* Sap. auo.) *abnepote Saporis, at nepote Hormiſdæ.*

ARTAXERXES

Tritauus	Regnaus	*Pater*
Atauus	Sapores	*Filius*
Abauus	Hormiſd.	*Nepos*
Proauus	Vararanes	*Pronepos*
Auus	Vararaces	*Abnepos*
Pater	Vararanes	*Atnepos*
Filius	Narſes.	*Trinepos.*

Ipſum in ultimas regionis ſolitu-
dines.)

Pomponius Lætus, haud ſcio quo authore, dicit,

Narſeum uulneratum in montes pulſum. Sed cum con ualuerit, pacem poſtulaſſe: ac promiſſam primùm, tandem etiam datam cum fœdere, ut Perſæ ab Armenijs, Meſopotamia, Aſſyria & V. nouis prouincijs abſtinerent. Ouans regreſſ.) *gaudens reuerſus.* Simul.) *Imperator Diocletianus cum genero ſuo Cæſare Armentario Galerio Maximiano.*

Carpis & Baſternis.)

Ptolemæus, in Sarmatia Europæa ſupra Daciam ponit Baſternas ac Carpianos, ad paludem Amado cũ, unde Boryſthenes fontes ducit. Carpates etiam mons ipſis eſt tum ad occaſum, tum ad meridiem. in ijs regionibus hodie degunt Podolij, Lituani & Rutheni. Carpis.) *Sarmatis in Europa.* Diocletianus moratus.) *Nunc de Diocletiani moribus.* Al. inuidia.) *per alios.* Diligentiſſ.) *in rep. gubernanda.* Regiæ.) *tyrannicæ.*

Adorariq́ ſe iuſsit.)

Vt Deum. Hoc didicerat à regibus Perſarum. unde & Alexander Magnus, & poſtea Romani tyranni, monſtra hominum, non homines. Cuncti.) *imperatores.* Gemmarum.) *ex gemmis.* Calceamentisq́.) *Hoc didicerat à Caligula, monſtroſo imperatore.* Prius.) *ante Diocletianum.* Communia,) *cum alijs Romanis.*

Herculeus autem propalàm ferus.)

Sextus Aurelius de Herculeo ita inquit: Aurelius Maximianus cognomento Herculeus, ferus natura, ardens libidine, conſilijs ſtolidus, ortu agreſti Pannonioq́, inte-

interijt ætate ſexagenarius, annorum X X *imperator. Genuit ex* Eutropia *Syra muliere* Maxentium *&* Fauſtam, *coniugem* Conſtantini, *cuius patri* Conſtantio *tradiderat* Theodorũ *priuignum.* Prop. ferus.) *apertè crudelis.* Inciuilis.) *immodeſti.* Aſperitatem.) *atrocitatem.* Horrore.) *toruitate.* Indulgens.) *repugnans. Cæterùm obſeruandum hoc loco, ſeptem eſſe præcipua, quæ malum faciunt principem.* 1. *Nimia licentia.* 2. *Rerum copia.* 3. *Amici improbi.* 4. *Satellites deteſtandi.* 5. *Eunuchi auariſſimi.* 6. *Aulici uel ſtulti, uel deteſtabiles.* 7. *Rerumpublicarum ignorantia.* Autor fuit.) *id eſt, perſuaſit. Vide Vallam lib. 5. cap.* 30. Priuatam uitam.) *abdicato imperio.* Concederent.) *ipſe & Herculeus collega ſe darent.*

Vt in priuatam uitam concederent.)

Flau. Vopiſcus: Diocletianum iam priuatum dixiſſe ferunt, nihil eſſe difficilius, quàm bene imperare. Colligunt ſe 4 *uel* 5, *atq; unum conſilium ad decipiendum imperatorem capiunt. Dicunt quid probandum ſit. Imperator, qui domi clauſus eſt, uera non nouit. cogitur hoc tantum ſcire, quod illi loquuntur. facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à Repub. quos debebat retinere. Quid multa? ita bonus, cautus, optimus uenditur imperator.* Stationem.) *munus.* Viridioribus.) *ualentioribus.*

Pompa ferculorum illuſtri.)

Ferculum à ferendo dicitur, pompæ triumphalis geſtamen, ſupra quod ſigna deorum ac urbium ſimu-

lachra hoſtiumq́; ſpolia ferebantur. Vtitur Liuius in Romulo, *quamuis* Perottus *illic pro ferculo pheretro legendum putet. Cæterùm de hoc* Diocletiani *ac* Maximiani *Auguſtorum triumpho multa* Pomponius Lætus, *ut nullus ethnicus copioſius. Porrò nulla res æquè oſtendit* Romanos *ſtultos & toti humano generi graues fuiſſe dominos, atq; ipſi triũphi, in quibus ut pueri puppis, ita iſte ſtolidus ac grauis toti orbi populus applaudebat ſuis latronibus: quibus triumphus non dabatur, niſi occidiſſent ſena, ut minimum, millia hominum.*

Currum.) *triumphantem.* Tum.) *poſt triumphum.* Salonam.) *urbem* Dalmatiæ. Vnus.) Diocletianus. Alter.) Herculeus. Lucaniam.) *regionem ultra* Campaniam.

Diocletianus priuatus in uilla.)

Diocletianus *cum ab* Herculeo *ac* Galerio *ad recipiendum imperium rogaretur, tanquam peſtem aliquam deteſtatus in hunc modum reſpondit:* Vtinam Salonæ *poßitis uiſere olera noſtris manibus inſtituta, profectò nunquam iſtud tentandum iudicaretis.* Vixit *annis duodeoctoginta, morte per formidinem propè uoluntaria conſumptus.* A Conſtantino *atq;* Licinio *ad nuptias uocatus, cum ſenectutem excuſaſſet, quo minus ueniſſet, ac illi minacibus ſcriptis eum* Maxentio *ac* Maximino *fauiſſe arguerent, ſuſpectans dedecoroſam mortem, uenenum hauſiſſe dicitur.* Faſtigio.) *Imperatorio nempe.*

IN

H.Glareani Annotationes.

DEcimus hic liber hiſtoriam continet 59 annorum, ab eo tempore quando Diocletianus & Maximianus Herculeus purpuram depoſuerunt, ac Cõſtantius Chlorus & Galerius Maximianus ex Cæſaribus facti ſunt noui Auguſti, uſq; ad Valentem ac Valentinianum. His igitur.) Diocletiano & Maximiano Herculeo. Conſtantius.) Chlorus. Galerius.) Maximinus Armentarius. Auguſti.) ex Cæſaribus. Anno Chriſti 309. Orbis.) Romanum imperium. Galliam.) Occidentis imperium.

lachra hoſtiumq́; ſpolia ferebantur. *Vtitur Liuius in Romulo, quamuis Perottus illic pro ferculo pheretro legendum putet. Cæterùm de hoc Diocletiani ac Maximiani Auguſtorum triumpho multa Pomponius Lætus, ut nullus ethnicus copioſius. Porrò nulla res æquè oſtendit Romanos ſtultos & toti humano generi graues fuiſſe dominos, atq; ipſi triũphi, in quibus ut pueri pupis, ita iſte ſtolidus ac grauis toti orbi populus applaudebat ſuis latronibus: quibus triumphus non dabatur, niſi occidiſſent ſena, ut minimum, millia hominum.*

Currum.) *triumphantem*. Tum.) *poſt triumphum*. Salonam.) *urbem Dalmatiæ*. Vnus.) *Diocletianus*. Alter.) *Herculeus*. Lucaniam.) *regionem ultra Campaniam*.

Diocletianus priuatus in uilla.)

Diocletianus cum ab Herculeo ac Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tanquam peſtem aliquam deteſtatus in hunc modum reſpondit: Vtinam Salonæ poſſitis uiſere olera noſtris manibus inſtituta, profectò nunquam iſtud tentandum iudicaretis. Vixit annis duodeoctoginta, morte per formidinem propè uoluntaria conſumptus. A' Conſtantino atq; Licinio ad nuptias uocatus, cum ſenectutem excuſaſſet, quo minus ueniſſet, ac illi minacibus ſcriptis eum Maxentio ac Maximino fauiſſe arguerent, ſuſpectans dedecoroſam mortem, uenenum hauſiſſe dicitur. Faſtigio.) *Imperatorio nempe.*

IN EVTROPII LIBRVM X.
H.Glareani Annotationes.

DEcimus hic liber hiſtoriam continet 59 annorum, ab eo tempore quando Diocletianus & Maximianus Herculeus purpuram depoſuerunt, ac Cõſtantius Chlorus & Galerius Maximianus ex Cæſaribus facti ſunt noui Auguſti, uſq; ad Valentem ac Valentinianum. His igitur.) Diocletiano & Maximiano Herculeo. Conſtantius.) Chlorus. Galerius.) Maximinus Armentarius. Auguſti.) ex Cæſaribus. Anno Chriſti 309. Orbis.) Romanum imperium. Galliam.) Occidentis imperium.

Auguſti duo noui:

Conſtantius Chlorus — *Galerius Maximianus Armentarius.*

Cæſares duo noui ſub his Auguſtis:

Seuerus per Italiam. hic occiditur ab Herculeo, Romæ, intra Tabernas: ait Sextus Aurelius.

Maximinus Galerij ſororis filius, ut Orięti præeſſet, creatus Cæſar. Quidã aiunt hunc Tarſi mortuum, ut Sext. Aurel. Alij aiunt eum cæſum à Licinio. Quadriennio Cæſar, triennio Auguſtus fuit, immaniſsima bellua.

Alij noui Cæſares poſt Conſtantij Auguſti mortem:

Conſtantinus in Britannia, in locum patris factus Imperator.

Maxentius Romæ à prætorianis militibus quinto Conſtantini anno bello contra eum moto Romæ occiditur.

Licinius à Galerio factus Auguſtus, XIIII annis in imperio fuit: auarus, libidinoſus, aſper, impatiens, literis infectus.

Alij noui Cæſares:

Alexander Phryx in Africa apud Carthaginem, à Conſtantini exercitu cæſus.

Valens à Licinio cæſus.

Sumptis duobus Cæſaribus.) *à nouo creatis, Seuero per Italiam, & Maximino Galerij ſororis filio.*

Conſtantius tamen contentus dign.)

Conſtantius Chlorus dictus eſt, quaſi uirentem à colore dicas. χλωρός pro χλοερὸς uiridis, pallidus, luteus, croceus. Cũ quatuor regiões ſorte accepiſſet regẽdas, Hi

ſpanias

ſpanias, Gallias, Italiam ac Africam, poſteriores duas non ſuſcepit, quòd exiſtimaret ab uno tantum onus ſuſtineri non poſſe: à Chriſtiano ſanguine abſtinens, ſicut eius filius Conſtantinus. Cum aũt Africam ac Italiã recuſaſſet Conſtantius, creatus eſt Seuerus qui eis præeſſet. Euſebius autem lib. 8. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, multas eius commemorat uirtutes, cap. 16.

Vir egregius & præſtantiſsimus.)

Conſtantio mortuo, multi tumultus ubiq; pullularunt. In Britannia, in patris Conſtantij locum Conſtantinus creatur imperator. Romæ, Maxentius à Prætorianis militibus. eodem tempore & Maximianus Herculeus ſpem recuperandi regni temerè ſuſcepit, ut poſtea narrabitur. Seuero mortuo, Galerius Licinium imperij conſortem ſibi aſſumpſit: ſed paulo pòſt & ipſe Galerius moritur. Relinquuntur in imperio hi quatuor, Maxentius Romæ, Licinius in Illyrico, Maximinus in Oriente, Conſtantinus in occidente. adijcit Sextus Aurelius duos reliquos, Alexandrum Carthagine in Africa, & Valentem quendam, qui mox oppreſſi ſunt à Licinio: Maxentius à Conſtantino, Maximinus item à Licinio auſpicijs Conſtantini. Deniq; ultimus ipſe Licinius à Conſtantino. Ita ad ſolum Conſtantinum tandem imperium deuenit, & ad tres eius filios.

Egregius.) *nam mitiſſimus, & diuitiarum ſpretor, inquit Pomp. Lætus.* Diuitijs prouinc.) *ut ditaret prouincias.* Pub. opes.) *Reipublicæ opes à ſubditis haberi.* Clauſtrum.) *ærarium.* Argento.) *uaſis argenteis.* Oſtiatim.) *à ſingulorum domibus.*

mibus. Triclinia ſter.) *lectuli diſcumbentium, ſeu menſæ potius inſtruerentur.* Prudentiā.) *calliditatē.* Tertiodecimo.) XVI, *ait Euſeb.* XI *Pomp. et Egn.*

Galerius uir & probè mor.)

Euſeb. in Eccleſ. hiſt. li. 8. cap. 7. 8. 9. mira de martyrum ſub Galerio conſtātia narrat: maximè uerò in Thebaide, ubi tot fuiſſe ait, qui ſe pro CHRISTO *occidēdos obtulerint, ut carnificū manus deficerēt, gladij hebetarētur, ac feßi ſederent occiſores: ac neq; paruulos deterreri potuiſſe, quin pro* CHRISTO *uoluerint mori. In Phrygia ſub Adaucto ſacro epiſcopo tota urbs incenſa eſt, & cum omnibus conflagrauit: & cum effugere poſſent qui uellēt, nemo fugit, imò omnes pro* CHRISTO *periere. Et hæc facta ſunt potißimū 9 Diocletiani anno, cū Galerius adhuc eſſet Cæſar, incētor ac ſignifer noſtræ pſecutionis, ut inquit Euſeb. ca. 15. li. 8. Hic tyrānus per 9 annos Chriſtianos perſecutus eſt, cuius crudelitas egregiè deſcribitur cap. 18. eiuſdē 8 lib. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. & quomodo Deus eum punierit.* Probè.) *pro ſtolido mundo, ſed in Deum impius.* Sinente.) *permittente.* Cæſares duos.) *Seuerum, & Maximinum ſuæ ſororis filium.* Conſtantinus.) *Anno Chriſti 311, iuxta Haloandrū.* Et obſcuriori.) *quia ex repudiata, nec Auguſti filia, ſed tamen ſancta et Chriſtiana muliere Helena.* Creatus eſt.) *poſt patris mortem.* Exoptatiſsimus.) *quia pietatis Chriſtianæ cultor.*

Romæ interea Prætoriani.)

In omnium, ſed potißimum Prætorianorum militum ſceleratam audaciam egregiè declamat Pompo-

nius

nius Lætus, & meminit Eraſmus in Præfatione ſuper Suetonium. Eorum enim libido perdidit Romanum imperium, & ex malis principibus fecit inſanos etiam & impios. Prætoriani.) *milites primæ autoritatis.* Herculei fil.) *Maximiani, qui antè Auguſtus fuerat.* Maximianus.) *qui cum Diocletiano Auguſtus fuerat.* Herculeus.) *pater eius.* Faſtigij.) *Imperij.*

Quod inuitus amiſerat.)

Diocletianus imperium reſignauit timore. Maximianus autem Herculeus inuitus, à Diocletiano perſuaſus. ergo neuter meruit laudem, imò pro monſtro habitum eſt. Et ipſe Euſebius lib. 8. uanitatem ac amentiam uocat, cap. 15. Amiſerat.) *depoſuerat.* Aduolauit.) *ad filium Maxentium.* Priuatus.) *poſt abdicatum imperium.* Diocletianumq́ꝫ.) *collegam Auguſtum.* Quas.) *literas.* A' Galerio.) *Armentario, qui in Illyrico erat.* Fugiens.) *ad Galerium Maximum.* Rauennæ.) *oppido maris Adriatici, ad Picenum.*

Seuerus Cæſar Romam miſſus.)

Seuerus cum à ſuis proditus eſſet, fugiens ad Galerium, qui in Illyrico erat, medio in itinere Rauennæ occiditur.

Herculeus tamen Maximianus.)

Euſeb. cap. 16. li. 8. Eccleſ. hiſtor. ait Maximianum Herculeũ Roma à filio Maxentio expulſum: quare coactum poſtea in Galliam concedere. Multi putant fictè eum fugiſſe Roma in Galliam, ut Conſtantino caeſo,

ſo, ipſe Herculeus cum filio imperium poßideret. ideoq; dolo percepto, poſtea Maßiliam fugiße, ut Romam contenderet: quod hic author ſequente pagina ſequitur. ſed præuentus Conſtantini celeritate, occiſus eſt. Exercituum.) *ad exercitus.* Nudare.) *imperio priuare.* Tulit.) *paßus eſt, & acquiſiuit, non imperium.* Ad Gallias.) *ubi Conſtantinus erat.* A' filio.) *Maxentio.* Genero.) *qui Fauſtam eius filiam habebat.*

Cæſis Francis atque Alemannis.)

Quidam putant, Alemanniam potißimũ dici, quam hodie altã Germaniã Hoch Teütſchlãd, *id eſt Sueuos ac Heluetios nominãt. Nã ſi hoc loco Alemannos dicas Germanos, uidebitur author Francos ſeparaſſe à Germanis, cum ſint Germanißimi Germani Franci.* Francis atque Alemannis.) *qui Galliam infeſtabant, ac tandem poſt multa tempora inuaſerunt.* Alemannis..) *Germanis alijs.* Eorum.) *Francorum.* Filiam.) *Herculei.* Viro.) *Conſtantino.* Maſsiliam.) *urbem maritimam Narbonenſis Galliæ.* Iuſtiſsimo exitu.) *Sext. Aurelius, Fractis laqueo ceruicibus.*

Per hoc tempus Licinius.)

Euſebius lib. 8 Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 16, communi omnium ſententia Licinium Imperatorem factũ: hic à Galerio dicit factum. De hoc Sextus Aurelius ita ſcribit: Licinius poſt decimumquartum dominationis annum, uitæ proximè LX, occiditur, auaritiæ cupidine

omnium

omnium peſsimus, venereus, aſper, impatiens: denique infeſtus literis, quas propter imperitiam uirus ac peſtem publicam nominabat, præcipuè forenſem induſtriam. Hæc ille. Adeò indoctus, ut ne literis quidem aut decretis ſubſcribere poſſet. ruſticis & agreſtibus, ex quo genere natus erat, æquus. militaris diſciplinæ rigidus obſeruator. Spadones & aulicos, tineas ſoricesq́; Palatij nominabat. Conſtantinum potiſsimum in ſe incitauit, quòd perſecutionem in Chriſtianos moliebatur. In qua ſuperauit omnes ferè in crudelitate, ut copioſè deſcribit Euſeb. cap. ult. lib. 9 Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Primùm enim palatio pellit. Secundò in carceres coniecit. Tertiò prohibet eis alimenta. Sacerdotes inuadit, maximè epiſcopos, laniandos Chriſtianos exhibet, ac fruſtratim in mare proijciendos. Templa ſubuertit, uirgines ſtuprat. tandem à Conſtantino ſublatus eſt, ut ipſe hic author paulo pòſt refert. Quinto tamen Conſt.) Anno Domini 315.

Bellum aduerſus Maxentium.)

Euſebius lib. 9. cap. 9 in Eccleſiaſtica hiſtoria ait, Conſtantino, cum anxius de Maxentij bello ſecum multa reputaret per ſoporem, ad orientis partem in cœlo crucis ſignum uiſum igneo rutilare ſplendore. exterrito aſtitiſſe angelũ, ac Græcis uerbis ei dixiſſe, ἐν τούτῳ νίκα, id eſt, in hoc uince. Tum uerò lætatum, uexillis crucis ſigno impoſito, cum Maxentio conflixiſſe, ac adeptum eſſe uictoriam.

Omnibus exitijs ſæuientem.)

Vide de hac ſæuitia Maxentij Euſebium li. 8, cap. 16.

In

In matronas, in Senatores, in uniuerſum populum Romanum miræ narrantur crudelitates. & cap. 17 narrat, Sophroniam matronam quandam ſibi mortem conſciſſe, ne eius in manus ueniret. Miluium.) qui extra urbem eſt, qua itur in Picenum.

Maximinus res nouas molitus.) Hic ſceleratus uir factus Cæſar ab Galerio Maximiano, quòd ex eius ſorore eſſet genitus, in crudelitate referens auunculum (ut copioſè narrat Euſebius in Ecleſiaſt. hiſtoria li. 8. cap. 17. & initio li. 9.) in cauſa fuit, quòd magicis artibus infectus erat. Sagis & malarũ artium doctoribus honores maximos tribuebat, urbes ſpoliabat, multos proſcribebat, ingentem colligens pecuniam, ut milites ſaginaret, ac ingluuiem ſatiaret, potator, ſcortator, uirginum ac matronarum ſtuprator, Chriſtianorum hoſtis: nec motus pœna auunculi, quam illi inflixit Deus, nouã afflictionẽ Eccleſiæ iniunxit, per totum Orientẽ ac Ægyptũ. Antiochiæ cœpit, uenit Tyrũ, ubi multos occidit: leges æneis tabulis erexit, in quib. profeſſus eſt aeris fore lætiorẽ tempeſtatẽ, ac terræ fœcũditatem abundantiorẽ. Cum aũt ex Dei prouidentia cõtrariũ proximo eueniret anno, ingẽs peſtis, immenſa fames, magis adeò inter gẽtes quàm Chriſtianos, coacti ſunt miſeri Chriſtianos implorare. Porrò poſtquã Conſtantinus Maxentium uiciſſet, Liciniũ nondũ infenſum Chriſtianis in Maximinũ miſit: pugna uictus ille aufugit. Et cum repararet bellũ, immiſſa ſimili ferè auũculi plaga, internorũ uiſcerũ dolorib. agitatus, miſerè periijt, ut tradit Euſebius libro 9. cap. 10. Vicinum.) imminens. Fortuita,) imò à Deo inflicta.

Licinio bellum intulit.)

Sext. Aurelius: Verùm enimuero, ut imperia difficile concordiam cuſtodiunt, diſsidium inter Licinium Conſtantinumq́; exoritur, primum apud Cibalas, iuxta paludem Hiulcam nomine, Conſtantino nocte caſtra Licinij irrumpente, Licinius fugam petijt, Byzantiumq́; peruenit. Neceſsitudo.) *cognatio.*

Ac primùm eum in Pannonia.)

Ex Sexto Aurelio ſatis liquet, primùm congreſſum fuiſſe apud Cibalam: ſed poſtea iteraſſe prælia, ac ſuccubuiſſe Licinium. Dardania.) *quæ ad Myſiam ſuperiorem ac Danubium eſt.* Mœſia.) *quæ & Myſia.* Terreſtri prælio.) *Pomp. de Licinio: Tandẽ & naualibus & terreſtribus prælijs uictus, deditionem Nicomediæ fecit.*

Contra religionem ſacramenti.)

Hoc uidentur Chriſtianæ pietatis hoſtes in Conſtantinum finxiſſe. Alij aiunt, Licinium iniuſſe conſilium de reſumendis armis, ac ideo in eum miſſos occiſores.

Eo tempore res Romana.)

Budæus libro 4. de Aſſe, conqueritur improbum ethnicorum de rebus Chriſtianis ſilentium. Et id planè in Eutropio quoq; uidemus, qui de hiſce temporibus, quibus multa ſunt Chriſtianorum inſignia facta, ne uno quidem uerbo commeminit. Id ſanè uel malignitati ſcribentium, aut timori attribuamus. Præterea, quòd CHRISTI *dogma parum plauſibile apud homines ſuperbos ac uoluptuarios erat. Et authores, diabolo procurante, dicere noluerunt, quod principes occul-*

occultum eſſe uolebant. Ideoq; *nihil* Eutropius *de ſigno crucis, cuius uirtute* Licinius *à* Cõſtantino *uictus eſt.* Cõgregauit *etiam* Conſtantinus *ſynodũ* CCC XVIII *epiſcoporum, contra* Arrium *preſbyterum* Alexandrinum, *qui gloriæ laudisq; et nouitatis improbè cupidus, impia in* Chriſtum *proferre cœpit*, Eum *duntaxat eſſe hominem, nõ* Deum. *Fuit autem hæc* Nicææ *urbe* Bithyniæ, *anno* Domini 324, *authore* Euſeb. *circiter annum* 15 Conſtantini. Nicenſe *concilium uocatum eſt, in quo ſymbolum illud editum quod in* Miſſa *cantatur, de quo* Rufinus *lib.* 10 Eccleſiaſt. *hiſtoriæ multa diſſerit, maximè uerò cap.* XI. *Deinde cap.* 12 Arrij *mortem refert, cuius omnia uiſcera in ſeceſſum defluxère.* Vno Auguſto.) *Conſtantino Magno.* Tribus Cæſaribus.) *Conſtantino, Conſtante, &* *Conſtantio.* Liberi.) *tres filij.* Galliæ.) *occidenti* Conſtantinus. Orienti.) *Conſtantius.* Italiæ.) *Conſtans.*

Con-

Conſtantius Chlorus: *cui 4 proles,*

1. **Conſtantius,** *huic duo fuere filij,*
   - **Gallus,** *Iuliani frater, tyrannus.*
   - **Claud. Iulianus,** *apoſtata ſceleratiſſimus.*
2. **Hannibalius:** *cuius filius, Dalmatius.* Hic *hæres cũ tribus* Con*ſtantini* Magni *filijs conſtitutus, à* Conſtãtij *militibus occiditur.*
3. **Conſtãtia, Licinij** *uxor, è qua* Li*cinianus, ſiue iu*nior Li*cinius.*
4. **Conſtantinus Magnus,** *cui 5 proles:*
   1. **Conſtantinus.** Hic *propè* A*quileiã cæſus eſt à* Cõ*ſtãtis exercitu: dũ nõ contentus ſua ſorte, cuperet etiam habere* Italiæ *partem.*
   2. **Cõſtans.** Hic *à* Ma*gnẽtio, quẽ olim à morte liberauerat, occiditur in* Gallia, *ad* Helenen *oppidum.*
   3. **Conſtãtius.** Hic *poſt duos fratres extinctos ſolus regnauit,* Arianæ *hæreſi fauentiſſimus.*
   4. **Conſtãtia,** Galli *uxor. In codice tamẽ* Se. Aurelij *eſt* Con*ſtantina.*
   5. **Helena,** *Iuliani uxor.*

Primùm neceſsitudines perſecutus.)

Sex. Aurel. in Conſtantino: Criſpum filium ex Mineruina natum, Fauſta coniuge, ac nouerca ſuggerēte, necari iußit. deinde uxorem Fauſtam. Adijcit Pomponius cauſam, quòd Fauſta conqueſta eſſet Conſtantino, Criſpum eam interpellaſſe de concubitu. quod cum temerè credidiſſet Imperator, iußit Criſpum occidi. Verùm cum poſtea innocenter cæſum filium reſciuiſſet, Fauſtam quoq; occidiſſe. atq; hæc feciſſe uidetur ante baptiſmum, quem ſerò recepit. Neceſsitudines.)*cognatos.* Egregium uirum.) *Criſpum.* Sororis fil.)*ſuum filium, ait Sext. Aurelius.* Vxorem.)*Fauſtam.* Numeroſos.)*plurimos.*

Vir primo imperij tempore.)

Hoc Eutropius ut gentilis ſcribit. Initio enim idolis adhuc immolabat, ergo bonus: poſterioribus uerò annis Chriſtianis fauit. Hinc gentilibus ſcriptoribus medijs comparandus uiſus. Opt. principibus.)*quia adhuc idololatra ſcilicet.* Medijs.) *quia Chriſtianus factus.* Claruerunt.)*iam inde à puero.* Induſtriam.)*qua maximè excelluit.* Gothos.) *Germanorum ac Sarmatarum colluuiem.* Gratiæ.)*beneficiorum.* Affectator.)*amator.*

Ingentemq; apud barbaras gentes.)

Conſtantinus Magnus, Conſtantij Chlori Imperatoris ex Helena filius, ſub Galerio Maximiano militiam edoctus, ita uirtute enituit, cum multis obijceretur periculis,

periculis,ut Galerio inuidiam moueret. Cum uerò Ro*ma obſes eſſet,nec ſatis tutus ab inſidijs* Galerij,*magno periculo fugit in* Britanniā *ad patrem* Conſtantium:*op portuniſſimè ſanè,cum ille iam efflaturus eſſet animā. quo mortuo,ipſe factus eſt* Imperator Occidentis. Ex Fauſta Herculei *filia tres ſuſcepit filios,* Conſtantinum, Conſtantem *ac* Conſtantium: *filias duas,*Helenam *ac* Conſtantiam.

Primusq́ urbem nominis ſui.)

Byzantium urbs eſt Thraciæ,hodie Conſtantinopolis,*ad* Boſporum *Thracicum, uelut arx incurſionibus barbarorum propulſandis olim ſtructa, quam nunc omnium barbarorum crudeliſſimus tyrannus regiam obtinet.Capta eſt autē à Turcis anno* Domini 1453, *& miſerabiliter direpta. eam* Conſtantinus *omnium ferè urbium nuditate dedicarat,* Neā Romam *nominando: ac ut* Orientis *caput eſſet, auxit.* Nominis ſui.) Conſtantinopolim. Vno & XXX.) *minus duob. menſibus. Alij autem,eum rexiſſe* XXX *annos ac* X *menſes: uixiſſe autem* 63.*ut* Sex.Aurel. Sexto & LX.) *Ita* Euſebius *in* Chronicis, *&* Pomp.Lætus. In uilla pub.) *quam* Ancyronem *uocat* D.Hieronymus.

Succeſſores filios tres reliquit.)

Diuiſio imperij poſt Magni Conſtantini *mortem, tribus filijs ita contigit.* Conſtantino *maximo natu,* Occidentis *imperium,*Hiſpaniæ,Galliæ,Britanniæ: Conſtanti Italia,Africa,Illyricum,Macedonia,Græcia:Cōſtantio,Orientis *imperium,*Thracia,*cuius caput* Conſtantinopolis. Fratris.) Hannibalij. Dalma-

tius.) *Hannibalij filius.* Patruo.) *Conſtantino magno.* Oppreſſus.) *in Oriẽte. Veriſimilius eſt autem, Conſtantij clandeſtino conſilio Dalmatium perijſſe, ob uirtutem inuiſam Conſtantio. triennio autem rexit.*

Tres Conſtantij fuere:	*Chlorus, pater Magni Conſtantini.* *Chlori filius.* *Conſtantini Magni F.*
Helenæ duæ	*Magni Conſtantini mater* *Magni Conſtantini filia.*
Conſtantini duo	*Magnus* *Magni filius.*
Conſtantiæ duæ	*Chlori filia, Licinij uxor.* *Conſtantini magni filia, Galli uxor.*

Conſtantinum porrò fratri bellum.)

Hic iunior Conſtantinus non contentus imperij diuiſione, ſiue à patre facta, ſiue ab ipſis inter ſe fratribus, (nam hoc quoq; traditur) legatis ad fratres miſsis, ut noua fieret diuiſio, cum non impetraſſet, Conſtanti ut fratri proximiori bellum mouit, Gallicis peditibus ac Hiſpanis equitibus confiſus. Conſtans in Dacia aduerſus Getas ac Sarmatas bellabat, interea Conſtantinus frater Aquileiam uſq; peruenerat. ibi obuiam miſsi à Conſtante fratre, ac aggreſsi inconſultè uenienteis, quamuis poten-

potentiores, facilè tamen uicerunt inſidijs exceptos. Ibi *Conſtantinus equo excuſſus, & ſine purpura iacẽs, multis confoſſus uulneribus, interijt.* Imperauit *triennio nõ dũ finito.* Vixit *annis* XXV. Conſtantinum porrò.) *Magni Conſtantini maximum natu filium.* Fratri.) *Conſtanti.* Aquileiam.) *Italiæ ad Iſtriam urbem.* Inconſultius.) *cum militibus longè præſtaret.* Ad duos.) *Conſtantem & Conſtantium.*

Conſtantis imperium ſtrenuum aliquandiu.)

Conſtans ſecundus fratrum, poſt meritam fratris Conſtantini cædem, cum non ſine labore Tranſalpinas prouincias in poteſtatem redegißet, primùm ſatis bonum egit principem. mox aduerſa ualetudine, ſiue rerum fœlicitate mutatus, omnibus ingratus eſſe cœpit, & militibus illiberalis: ſeditione mota à Magnentio, cuius olim ſeruator fuit, Helenæ paruo ad Pyrenæos mõtes oppido, dolo, cum dormiret, oppreſſus eſt. Cædem meruiſſe uidetur, quòd ob articularem, quo laborabat, morbum, uenatibus operam dabat, & in ſyluis puſillorum ætate delectabatur atq; abutebatur. De eius morte uaria dicuntur. quidam enim dormientem oppreſſum, quidam uigilãtem, ac ad aras elapſum: ſed nihilominus cæſum fuiſſe, ſecũdũ oraculũ ei datũ, quod in matris ſinu periturus eßet: oppidulũ eiuſdẽ cognominis cũ matre oraculo innuente. Valetudine improſp.) *quia morbo articulari uexatus.* Grauia uitia.) *ebrietatẽ & libidinem.* Intolerabilis.) *quia moroſus ac difficilis.* Iniucundus.) *quia illiberalis.* Magnentij.) *comitis ordinum.* Helenæ.) *proximum Pyre-*

næo, Sextus Aurelius. An. imperij XVII.) XIII. *Diuus Hieronymus ita, & Sex. Aurel. Egnatius, & Pomponius. In ætatis annis omnes concordant. Ex hoc autem numero facilè colligitur, eum minorem natu fuiſſe Conſtantino, V ſcilicet annis.* Sine crud.) *quam nullam exercuit.*

Diuerſa Conſtantij fortuna fuit.)

Hic peßimo Eccleſiæ catholicæ publico ad Arianos defecit, ſub quo eximij uiri malè multati ſunt, ac in exilium mißi: Athanaſio etiam contra ius & fas manus intentatæ, poſt repertam in eundem calumniam, ut Rufinus refert lib. 10. cap. 17. Inter imperatores uix alius magis timidus, qui ſemper ſe feriri timebat, ut Dionyſius: faſtuq́; ſufflabatur adulatorum, deijciendo eos qui palpari neſciebant. Poſt Conſtantis itaq; cædem multi uiri innocenter trucidati ſunt, ut refert Ammianus Marcellinus lib. 14. Conſtantij.) *tertij filij Conſtantini Magni, qui in Oriente fuit.* A Perſis enim.) *An. XI eius imperij hæc acta referuntur.* Captis oppidis.) *ut Amida & Bizabda.* Obſeſsis.) *ut Niſibi.* Saporem.) *Parthorum regem.* Prælium.) *quia Ariana hæreſi infectus erat.*

Sæpe captis oppidis.)

Ammianus Marcellinus lib. XVIII ſub finem, de Amida urbe amiſſa refert. amiſſa etiam & Singara, & aliæ quædam urbes. Niſibis egregiè defenſa eſt, à qua Saporis Parthorum rex inuitus diſceßit, implicitus etiam uicino à Maſſagetis bello, unde facilè inducias cum Conſtantio fecit.

Niſi

Niſi quod apud Singa-
ram.)

Ptolemæus ponit Singaram urbem in Meſopotamia ad Tigrim, uno gradu orientaliorē Niſibe. Singaram autem montem in eadem Meſopotamia adhuc longius ad Orientem, ὁ σιγγάρας.

Magnentio Italiam, Africam,
Gallias.)

Magnentius ſub Conſtante ordinum comes, dolo imperator factus in Gallis, cum multos doloſè perdidiſſet, in Italiam conceſſit: & Mediolani aliquandiu moratus, fratrem ſuum Decentium Cæſarem fecit: ac ut Gallias tueretur, in Gallias miſit. Ipſe literas ad Conſtantium dedit cum legatis, uti Cõſtantius Oriente ac Thracijs contentus eſſet. Conſtantius nihil reſpondit, ſed Gallum patruelem Cæſarem fecit: ac ulturus fratris Conſtantis cædem, in occidentem exercitum ducit, ut cum Magnentio decertaret. interea duobus locis mota ſeditio eſt. altera in Illyrico, ſub Veteranione: altera Romæ, ut author ipſe ſtatim narraturus eſt.

Veteranione ad imperium con-
ſenſu.)

Sext. Aurelius: Conſtantis morte cognita, Veteranio magiſter militum, imperium in Pannonia apud Marſiam corripuit, quem Conſtantius non poſt multos dies regno exuit, grandæuo non uitam modò, ſed etiam uoluptarium ocium concedens. Fuit autem propè ad ſtultitiam ſimpliciſſimus. Hæc ille. Princi-
pes.) *in exercitu.*

Sed à Conſtantio.)*tertio Conſtantini Magni filio.*

Hiſce temporibus nominum multitudo, multum obſcuritatis lectori ingerit. Quare diſtinguenda ſeriò eſt, ut paulo antè monuimus. Et nos toto codice, quantum potuimus, rectè omnia repoſuimus. Romæ quoque.)*poſt Conſtantis cædem.*

Nepotiano Conſtantini ſororis filio.)

Sex. Aurelius de Nepotiano ita ait: His diebus Romæ (hoc eſt, anno 14 à magni Conſtantini morte) Nepotianus, Eutrophiæ Conſtantini ſororis filius, hortantibus perditis Auguſti nomen rapit, quem octauo die uicesimoq́; Magnentius oppreßit. Hæc ille. Heraclides Senator, fautor Magnentianæ factionis populum, decepit: ſimulans enim ſe cum illo loqui uelle, obtruncat.

Dubium eſt autem, utrius Conſtantini ſororis hic filius fuerit, Magnine an iunioris. Pomponius Lætus ait, Nepotiani matrem Auguſtorum ſororem fuiße: ergo potuit iunioris ſoror fuiße, ac Magni filia, niſi Pomponius ſit falſus. Per glad. manum.)*mirmillones, & populi fauorem.* A' Magnentianis.) *ab Heraclide ſenatore, factionis Magnentianæ uiro.*

Magnentius apud Murſam.)

In hac pugna exercitus Magnentij fuit X X X *millium pugnatorum, Conſtantij* L X X *millium, ex Magnentij exercitu* X X I I I I *millia, ex Conſtantij propè* X X X. *ita in uniuerſum interiere* L I I I I *millia uirorum, quam ſtragem hominum ut conſcenſo tumulo altiore*

tiore uidiſſet Conſtantius, ingemuit. Magnentius autē reiecto ſuo equo, ut uideretur cæſus, ſub habitu priuati equitis aufugit, reliquias profligati exercitus colligēs, ut denuò tentaret Martis aleā. interea miſsis uarijs ad Conſtantium nuncijs pro placanda uictoris ira, cum nihil impetraret, rurſus in aciem proceſsit: ac uictus Lugdunū fugit, ibiq; finē uitæ inuenit. Hic fuit ingrati hominis infœlix exitus. Cæterùm ut Sextus Aurelius ſcribit, in ea pugna penè nunquam amplius Romanæ conſumptæ ſunt uires, totiusq; imperij fortunæ peſſundatæ. Murſam.) *Illyrici opp. quod ſuprà Murſiam uocat.* Patrui.) *Conſtantij, qui filius fuit Conſtantij Chlori.*

Patrui filius Gallus.)

Gallus Cæſar factus à Conſtantio, Magni Conſtantini filio, cum ipſe eſſet filius Conſtantij, fratris Magni Conſtantini. Hic liberaliter educatus, feros tamen mores uincere non potuit, incitante eum præterea uxore Conſtantia, Magni filia, uelut Megæra quadam, ut li. 14. inquit Marcellinus. Antiochiæ ad Orontem in Syria omni crudelitate ſæuiens præſedit; noctu per lupanaria uagans, hominum de ſe iudicia rimabatur, ac poſtea incautos occidebat. Domitianum Prætorij præfectum ad eum miſſum, item Montium quæſtorem, qui eum à crudelitate arcerent, miſerè occidit. Deinde cum imperator ad ſe uocaſſet, uxorem ille miſit, quæ in itinere perijt. Inde nulla mora Conſtantio facta, quin eum occidere iuberet: quod factum eſt Antiochiæ, colligatis manibus in modum noxij latronis ceruice abſciſſa, ut Marcellinus ait. Diuerſis prælijs.) *apud Murſiā ma*

xime, *&* *deinde.* Frater.) Decentius.

Frater quoque eius Seno-
nis.)

Senonis nulla eſt apud alios mentio, ſed Decentij. *fu it tamen alter* Magnentio *frater*, Deſiderius *nomine.* Sed Decentius *dicitur factus à* Magnẽtio *Cæſar.* Is *cum audiret ad* Murſiam *uictum fratrem* Magnentium, *ac* Lugduni *ſibi mortem intuliſſe, metu concuſſus, laqueo apud* Senones *uitam finiuit.* Senonibus *igitur legendũ, non* Senonis. A' Conſtantio.) *iuſſu imperatoris* Conſtantij. Gallus.) Iuliani *frater.* Si ſuo iu-re.) *ſi* Auguſtus *fieri potuiſset.* Syluanus.) *pedeſtris militiæ rector.*

Syluanus quoque in Gal-
lia.)

De *hoc* Ammianus Marcellinus *libro* 15. Delatorum *iniquitate compulſus ut ſe* Cæſarem *dici pateretur*, A-grippinæ *cæſus, cum multa pro* Cõſtantio *egregiè geſ-ſiſſet.* Extinctus eſt.) Coloniæ Agrippinæ.

Mox Iulianum Cæſa-
rem.)

Cum Gallia *undiq; à* Barbaris *uaſtaretur, nec* Con ſtantius *omnibus regionibus adeſſe poſſet, occiſo in* O-riente Gallo, *in occidente* Magnentio *cum fratre, item* Syluano Agrippinæ, *coactus eſt nouum* Cæſarem *crea re, qui* Galliam *cõtra* Germanos *defenderet.* Ipſe *enim in* Italia *manere nunc cupiebat, reſeruans ſe ad bellũ* Parthicum *ac* Orientis *regna*, Iulianum Cæſarem *fe-cit.* Erant *autem duorum fratrum filij:* Conſtantius, Cõ ſtantini Magni *filius:* Iulianus *autem* Conſtantij, *fra-*

tris

tris Magni Conſtantini. Idq́; factum Mediolani, Anno Domini 358. E' Mediolano igitur in Galliam concedēs, Viēnæ in Allobrogibus Iulianus hyemauit: ac proximo inde anno Rhenum ſecutus, Agrippinam é manibus Francorum eripuit. Proxima rurſus hyeme apud Senones cum hyemaret, ab Alemannis obſeſſus XXX diebus fortiter oppidum defendit. Mouens inde Argentoratum uerſus, ubi Alemāni eum expectabāt, XXXV millia armatorum habentes. quibus non admodum magna manu Iulianus, poſtquā tres Tabernas firmarat, quæ hodie uocātur Elſaßzabern/Bergzabern/Rhinzabern/*congreſſus ingenti pugna eos uicit, ac Chunodomarium (* Chünotmar*) cæpit eorum regem, quem Romam miſit. Beatus Rhenanus putat pugnam factam propé Huſpergam, infra Argentinam.* Miſit.)*imperator Conſtantius.* Patruelem.) *ex patris fratre natū.* Galli fr.)*Conſtantij ſecundi filiū.* Sorore.) *Helena.* Multa oppida.) *Argentoratum, Brocomagum, Tarbellos, Sebuſianos, Nemetes.* Modicis copijs.) XIII *millibus.* Galliæ.)*Celticæ.* Ingentes Aleman. copiæ.) XXXV *millia Germanorum.* 'Rex nobiliſſ.) Chünotmayer. Galliæ reſtitutæ.) *Anno Domini 360.*

Multa poſtea per eundem Iulianum.)

Poſt Gallieni imperatoris tempora, Germani identidem in Galliam irruebant, Burgundiones, Sueui, Franci, ac alij populi trans Rhenum: maximé cum Romani imperatores uel inter ſe de principatu certabant, uel diuerſis mundi partibus irruentes arcebant hoſtes.

Hoc

Hoc etiam mali accedebat, militũ licentia, quæ quamli bet leuem ob cauſam imperatores uel ueteres deijciebat, uel nouos creabat. Ita *nihil uſquam tutum,quòd populus ac Senatus pro ludibrio eſſent ob leuitates quibus laſciuiebant.* Iulianus *igitur etiam cum probè degeret , non tamen apud credulum imperatorem caruit æmulis.* Mi*lites enim cum aliquantulum premerentur fame apud* Chamanos,*ſtatim probris inceſſerunt,* Aſianum, Græ*culum , ac fallacẽ appellitantes.* Porrò *cũ eius in* Gallia *geſta eleuabant,qui* Conſtantio *placere uolebant, dicebant capellam,non hominem , quia hirſutus erat : talpam loquacem, ac purpuratam ſimiam , literionem* Græcum. Moguntiæ *per* Rhenum *pontem fecit.* Victis Germanis,*per* X *menſes pacem dedit.biennio inde quãdo* Conſtantius *in* Oriente *erat,in* Gallia *fuit, arcens* Germanorum,*maximè* Francorum *inſultus.* Barbaros.)*Germanos.* Submotiq́;.)*abacti.* Vltra Rhenum Germani.)

Nota:*ſub primis* Cæſaribus Rhenus *limes fuit* Romani imperij.*Verùm quia ex utraq; Rheni ripa* Romani *dominium habuere , totam* Rheni *regionem diuiſerunt in duas* Germanias,*primam & ſecundam : ut gloriari poſſent,ſe etiam* Germaniam *poßidere.* Quando, *quæ ultra* Rhenum *habuerunt, turpiter amiſerunt.* Prima *igitur* Germania *fuit ſupra* Moguntiam , *ſecunda infrà ,* Agrippinam *uſq;.* Reliquam *inde natione ad* Oceanum,*uſq;* Belgicam *uocabant,* Geldriam, Brabantiam, Flandriam, Picardiam *& uicinas hodie nationes.* Cæterùm *duæ illæ* Germaniæ *Celticam habuere lin-*

guam,

guam, Vbios uſq; propemodum, quamuis circa Moguntiam ac Spiram mixtus Germanico ſit ſermo Gallicus etiamnum hodie. Manet & apud Ptolemæum adhuc Germaniæ in Belgica Gallia diuiſio planè inepta, Bouerlender & Niderlender. Cum Germanici exer.) *uel qui Germaniam inuaſerant Romani, uel Germani ex Gallia pulſi. Sed malo intelligere de eo quod refert Marcellinus, de præſidio poſtulato à Conſtantio in Orientem.* Conſenſu.) *non uoluntate principis Conſtantij, imò & reluctante aliquandiu Iuliano.* Quibus rebus cog.) *quòd Iulianus eſſet Auguſtus ab exercitu factus.* Ciuile.) *contra Iulianum.* Conuerſus.) *in Occidentem.*

Ad bellum ciuile conuerſus.)

Marcellinus lib. 20. non ita longè ab initio, ueras cauſas diſsidij inter Conſtantium & Iulianum narrat, Conſtantij inuidiam, quē malè urebant Iuliani uirtutes, clara fama, & per orbem Romanum encomia. Poſtulauit itaq; ex Gallia ab Iuliano præſidia, atq; ea fortiſsima, ac Iuliano conditione obnoxia, quæ inuito ab eo diſcedebant: imò quæ malebant nouum ſibi Auguſtum facere, ac pro eo mori, quàm exire Galliam. Moto igitur tumultu Iulianus coactus eſt fieri imperator, & Auguſti habitum induere. quæ res ita commouit Conſtantium, ut facta pace qualicunq; in Oriente cum Parthis, conuerterit arma in patruelem Iulianum. ſed in itinere petijt Mopſucrenis, cuius loci meminit & Ptolemæus in minoris Armeniæ deſcriptione.

Inter

Inter Ciliciam.) *Mopſucrenis,in confinibus Cappadociæ,Armeniæ minoris,& Ciliciæ.*

Anno imperij octauo & uiceſimo.)

Hi anni imperij Conſtantij intelligendi ſunt, ex anno quo factus eſt Cæſar. Nam à morte *Magni Conſtantini,qui huius Conſtantij pater fuit,ſunt 24 anni: ſed annis 4 ante patris mortem Cæſar factus eſt, ut in Coſſ.catalogo patet.* Trigeſimo.) *uiceſimo legendum.Atq; hic error eſt etiam in Sext.Aurelio.*

Vir egregiæ tranquillitatis.)

Sext.Aurelius:Conſtantius fœlix bellis ciuilibus,externis lachrymabilis,mirus artifex in ſagittis:à cibo uinoq; & ſomno multum temperans,patiens laboris,facundiæ cupidus:quam cum aſſequi tarditate ingenij nõ poſſet,alijs inuidebat.Hæc ille. Nimis amicis.) *Et hoc maximum uitium eum præcipitauit in crudelitatẽ.* Mox etiam uxoribus.) *Hoc profuit ei,ut non fieret Sodomita:ut ferè erant imperatores.* Primis imp. annis.) *dum erat adhuc ſub patris Magni Conſtantini imperio.* Neque inhonoros.) *ſed abſque Palatinis dignitatibus ;id eſt,quæ ad imperium aliquando pertinebant.*

Ad ſeueritatem tamen propenſior.)

Si affectatæ dominationis uel anſa præbita eſſet, in ea ſcrutanda ſuperabat Caligulas,Domitianos,ac Nerones crudelitate:atq; ita inter imperandi exordia multos innocentes,etiam neceſſarios, interfecit:ac temerè

credidit quibuslibet delatoribus, ac ui tormentorum exacta credebat certiſſima. Suſpicio imperij.) *de imperio petito.* Hinc.) *Anno Chriſti 363.*

Iulianus rerum potitus eſt.)

Claud. Iulianus Conſtantinopoli natus ex Conſtantio Magni Conſtantini fratre, ingenio ſatis liberali, Euſebio Arianæ hæreſeos epiſcopo erudiẽdus traditur. Sed poſtea Libanio rhetori, qui eum ad idolorum cultum reduxit à CHRISTI *ueritate. Inde philoſophus uideri cupidus, ut M. Antoninus, nimium ſæpe ineptus apparuit. Hic dum Cæſar Conſtantij auſpicijs in Gallia ac Germania fuit, egregiè ſe geſſit: ac Auguſtus per uim factus, conatus eſt ſe aduerſus patruelem defendere. Verùm ut primum cum mortuum audiuit, ipſe Conſtantinopolim confeſtim conceſſit: atq; ibi compoſitis rebus, auditisq́; ex diuerſis mundi regionibus legatis, cum alia ferè quieta eſſent, unus exceptis Parthis in eos totius belli apparatum direxit. Eius iter ex Conſtantinopoli ad Orientem diffuſè commemorat Marcellinus lib. 22. quippe qui ei expeditioni, ut noſter hic author, interfuit.*

Hoſtili manu interfectus eſt.)

De morte eius uaria authores tradunt. Qui interfuerũt, Eutropius ac Marcellinus, aiũt ab hoſte percuſſum haſta, quæ brachio eius perſtricto, coſtis perfoßis hæſerit in ima iecinoris fibra, ut lib. 25. Marcellinus ait. Alia fama obtinuit, miſſum de cœlo telũ, quod cũ ille ſenſiſſet, dixiſſe fertur, Viciſti Galilæe: ita enim CHRI-

STVM,

STVM,*homo leuiſsimus per ignominiam uocare ſo-litus erat,atq; ita periſſe*. *Nec reuerſum Antiochiam, quod minatus erat in exitium ſe Chriſtianorum uentu-rum,idq́; multis de cauſis. Sed Deus ſolus eſt Dominus, qui hominum quantumuis magna geſta meritò irridet.* Si per fata licuiſſet.) *ſi non fuiſſet apoſtata.* Vulnera gloriæ.) *qui famam eius denigrarent.* Repreſſor.) *coarctator.* Immodici.) *ſuperbi atque immodeſti.*

Chriſtianæ religionis inſectator.)

Rufinus lib. X. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap.32. de Iuliano ait: Iulianus Chriſtianæ pietatis callidior cæteris perſequutor, nõ ui, neq; tormentis, ſed præmijs, honoribus, blanditijs, perſuaſionibus maiorem populi partem, quàm ſi atrociter pulſaßet, eliſit. Studio authorum gentilium Chriſtianos prohibuiſſe: ludos literarum illis ſolis qui Deos Deasq́; uenerarentur, patère decreuiſſe, militiæ cingulum non niſi immolantibus dari iußiſſe: prouinciarum procurationem, iurisq́; dicendi Chriſtianis non committi, utpote quibus etiam lex propria gladio uti uetaret. Cruore abſtineret.) *nullum occideret.* Quem etiam æmulari.) *magis quàm Chriſtum, cui nomen dederat in baptiſmo.*

Poſt hunc Iouinianus.)

Cum Iulianus cæſus eſſet, exercitus eius nihilominus obiectus erat hoſtibus. Ibi conſultatum eſt, ut in tumultu fieri potuit, de nouo imperatore inter Palatinam turbam, ac inter Celtarum proceres, ſuum utraq; factione de

de ſuo ſibi corpore depoſcente principem. Erant qui *ſuadebant, enitendum ut tutò in* Meſopotamiam *ueni- re poſſent, ibi conſociatis ſuffragijs creandum principē.* At *milites non expectato tempore, mox imperatorem crearunt* Iuuianum, *domeſticorum ordinis primum, pa ternis meritis cōmendabilem.* Erat *enim* Iuuianus Varroniani, *notiſſimi* Comitis, *nuper poſt depoſitum mili- tiæ munus ad uitæ tranquilliora digreſſi, filius.* Arriſit *militibus nomen, una litera à* Iuliano *diſcriminatum, ut ſcripſit* Marcellinus *in* X X V *libro.* Verùm *ut in mili- tum cōſpectū productus, ac incuruus uiſus eſt, in lachry mas effuſi ſunt, malum nimirum rerum imminentium auſpiciū.* Erat *in exercitu* Romanorū *ſignifer,* Iouiano *etiam priuato adhuc inuiſus, qui iudicium metuens, & potentem iam factum inimicum, ad hoſtes profugit.* Et *cum omnem* Romanorum *neceſſitatem* Sapori Partho*rum regi indicaſſet, animoſiores* Parthos *fecit. ſicut igi tur* Romani *ceſſerunt, ita* Parthi *ſecuti ſunt.* **Poſt hunc.)** *Anno Chriſti* 365. **Modeſtius.)** *priuatus, in nullo magiſtratu.* **Patris.)** *Varroniani.* **Iam turbatis rebus.)** *ob Auguſti mortem.* **Atq; altero.)** *Hoc non habet Marcellinus.* **Mulctatis finibus.)** *ablatis quinq; prouincijs Tranſtigritanis.*

Ac nonnulla imperij Romani parte.)

Cum ad Tigris *amnis tranſitum uentum eſſet,* Celtæ *nandi periti, noctu tranſgreſſi,* Parthos *inopinantes oppoſita in ripa trucidarunt: atq; ita exercitus* Romanus *traductus eſt.* Ita *legatio à* Parthis *miſſa de pacis cō ditionibus, audita eſt: quas cōditiones* Iuuianus *urgenti-*

bus multis neceßitatibus, accipere, uellet nollet, coactus eſt. Parte.) *Niſibi ac Singara.*

Quod ante eum annis C C C & XXII.)

Ab urbe condita uſq; ad hunc Iuuianum *ſunt* 1117 *anni. Sed ante* C C C *&* XXII *annos, qui hic referuntur, in imperio fuit* Antoninus Pius, *ſub quo omnes prouinciæ egregiè floruerunt. non poteſt ergo hic numerus rectè habere.*

Vt apud Caudium per Pontium Teleſ.) *id eſt,* Furcas Caudinas.

Hiſtoria eſt libro 9. *ab* Vrbe *condita.* Liuius *perpetuò hunc Samnitium ducem uocat,* C. Pontium Herennij *filium. At bello ſociali fuit* Samnitium *dux qui* Pontius Theleſinus *dictus eſt. Vnde fortaßis hæc diſcors denominatio.* In Numidia,) *ſub* Iugurtha. Ea pacis conditio.) *cum* Parthis *inita.*

Si fœderis neceſsitatem.)

Non erat ſimilis ratio de Iuuiani *fœdere cum* Parthis *icto, & de fœdere quod* Coſſ. *duceſq;* Romanorum *cum* Samnitibus, Numantinis *ac* Iugurtha *fecerant. Quia à ueteribus* Romanis *ducibus appellatio erat ad* Senatum *populumq;* Romanum. *Nec quicquam ratum erat à militibus factum, ni* Senatus *populusq;* Romanus *cõfirmaſſet. Cæterùm hic locus corruptus uidetur. Alij ita legunt:* Ea *pacis conditio non penitus reprehendenda foret, ipſa fœderis neceßitate, ſi tum cum integrũ fuit, multare uoluiſſet. Sed ne ſic quidem ſatis intelligitur.*

gitur. Cum integrum fuit.) *cum poſtea potuiſſet.* His bellis.) *cum Samnitibus, Numantinis ac Iugurtha.* Bella illata ſunt.) *à Senatu & populo, quia populus non firmauerat.*

Neque pax rata.) *quia iniuſſu Senatus ac populi.*

Sed dum æmulum Imperij.)

Iuuianus timebat, ne uel Romæ, uel in Gallijs, Illyrico'ue alius imperator crearetur. Ideoq; ne grauiſsimo quidem hyemis tempore uel iumentis uel militi parcebat, multis ſignis eum ire uetantibus. inter quæ hoc unum erat, cum Anchialæ iniſſet conſulatum cum filio ſuo Varroniano admodum paruulo, reluctatur puer uagitu pertinaciter, ne in curulem ſellam aſſumeretur. Intra Orientem.) *ſi quidem maneret in Oriente.* Gloriæ.) *reipublicæ & ſuæ.* Illyricum.) *ut fortiſsimam nationem.* In Galatiæ.) *oppido Bithyniæ, Dadaſtana Ptolemæo.*

Vir aliàs neq; iners, neq; imprudens.)

Incedebat autem motu corporis graui, uultu lætiſsimo, oculis cæſijs, uaſta proceritate, & ardua, adeò ut diu nullum indumentum regium ad menſuram eius aptum inueniretur. Marcellinus ad finem libri uigeſimiquinti.

Multi exanimatum opinantur.)

De morte huius tres narrat opiniones. Miratur autem Marcellinus ad finem libri 25, non inquiſitum in

huius mortem, ſicut nec in poſterioris Africani: ut eſt apud Florum libro 59, in Liuij Epitome.

Nimia cruditate.) *quòd cibum concoquere nequierit.*

Quod ex recenti tectorio calcis.)

Vide Vallam libro 1.cap. 6. ubi de nominibus in orium ita inquit: Tectorium, illinimentum eſt, & quaſi pauimentum parietis, atq; incruſtatio. Graue.) *exitioſum dormientibus.* Nimia.) *Al. nimietate.* Adoleri.) *incendi.* Deceſsit.) *antequam Romam peruenire poſſet.* Menſe ſeptimo.) *poſt octo menſes, ait Rufinus & Euſebius.* Tertiodecimo Calend.) *X V I die Februarij.* Tertio & X X X.) *Ita & Ammianus Marcellinus. At Sextus Aurelius ait, Annos gerens proximè X L.* Principum.) *Fl. Valentiniani & Valentis.*

Nam & ciuilitati propior & natura.)

Sextus Aurelius: Hic fuit inſignis corpore, lætus ingenio, literarum ſtudioſus. Hæc ille. Vt autem Rufinus initio libri undecimi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ refert, Iuuianus in Chriſtianos pacificus fuit: & ſi uixiſſet, plurimum eos promouiſſet.

Is ſtatus.) *Peroratio huius operis.* Varroniano.) *filio eius.*

Anno V. C. M. C. nono & decimo.)

Haloander ait, Anno 1117. Duobus ergo annis ſequitur Eutropius. Differentia duorum annorum eſt etiam

tiam inter Dionyſium ac Polybium. Sed uide num re-ctè legatur, Nono & decimo, pro decimonono.

Quia autem ad inclytos princi-pes.)

Exemplo Suetonij Tranquilli, qui in Domitiano finierit hiſtoriam, cum ipſe tamen longè poſtea uixe-rit: nempe ſub Hadriano magiſter epiſtolarum. Excu-ſat ſe author noſter de ſuorum temporum principibus, magna modeſtia, imò cauta ac prudenti diligentia. Difficile enim eſt de præſentibus ſcribere, ut non alicu-bi offendas. Ad inclytos principes.) *Valentini-anum ac Valentem.* Operi.) *huic de Cæſaribus.* Reliqua.) *de præſentibus principibus.*

GLAREANVS LECTO-ri S. D.

HAbes, candide Lector, hunc libellũ mole qui-dem paruum, ſed acceſſione noſtræ diligentiæ ingens uolumen. Iurare auſim, non maiore labore ipſi authori ſuum conſtitiſſe opus, quàm nobis conſtitit hæc acceſſio: adeò neceſſum fuit nobis, per omnes hiſtorico-rum Latinorum ac Græcorum libros uolitare, ut rati-ones memoratu digniores, cum lectoris fructu, adpo-neremus, noſtra pernotatas manu. In quibus erunt for taſsis pleraq; incondita, ſed tamen lectori haud medio-crem per Iouem datura anſam, ad maiora plurima cum dignitate indaganda. Bene uale. Friburgi Briſgoæ, Anno à IESV CHRISTI Domini noſtri natali M. D. L III. Idibus Quinti-libus.

huius mortem, ſicut nec in poſterioris Africani: ut eſt apud Florum libro 59, in Liuij Epitome.

Nimia cruditate.) *quòd cibum concoquere nequierit.*

Quod ex recenti tectorio calcis.)

Vide Vallam libro 1. cap. 6. ubi de nominibus in orium ita inquit: Tectorium, illinimentum eſt, & quaſi pauimentum parietis, atq; incruſtatio. Graue.) *exitioſum dormientibus.* Nimia.) *Al. nimietate.* Adoleri.) *incendi.* Deceſsit.) *antequam Romam peruenire poſſet.* Menſe ſeptimo.) *poſt octo menſes, ait Rufinus & Euſebius.* Tertiodecimo Calend.) *XVI die Februarij.* Tertio & XXX.) *Ita & Ammianus Marcellinus. At Sextus Aurelius ait, Annos gerens proximè XL.* Principum.) *Fl. Valentiniani & Valentis.*

Nam & ciuilitati propior & natura.)

Sextus Aurelius: Hic fuit inſignis corpore, lætus ingenio, literarum ſtudioſus. Hæc ille. Vt autem Ruſinus initio libri undecimi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ refert, Iuuianus in Chriſtianos pacificus fuit: & ſi uixiſſet, plurimum eos promouiſſet.

Is ſtatus.) *Peroratio huius operis.* Varroniano.) *filio eius.*

Anno V. C. M. C. nono & decimo.)

Haloander ait, Anno 1117. Duobus ergo annis ſequitur Eutropius. Differentia duorum annorum eſt etiam

tiam inter Dionyſium ac Polybium. *Sed uide num re-ctè legatur,* Nono & *decimo,pro decimonono.*

Quia autem ad inclytos princi-pes.)

Exemplo Suetonij Tranquilli, qui in Domitiano finierit hiſtoriam,cum ipſe tamen longè poſtea uixe-rit:nempe ſub Hadriano magiſter epiſtolarum. Excu-ſat ſe author noſter de ſuorum temporum principibus, magna modeſtia, imò cauta ac prudenti diligentia. Difficile enim eſt de præſentibus ſcribere,ut non alicu-bi offendas. Ad inclytos principes.) *Valentini-anum ac Valentem.* Operi.) *huic de Cæſaribus.* Reliqua.) *de præſentibus principibus.*

GLAREANVS LECTO-ri S. D.

HAbes, candide Lector, hunc libellū mole qui-dem paruum,ſed acceſſione noſtræ diligentiæ ingens uolumen. Iurare auſim, non maiore labore ipſi authori ſuum conſtitiſſe opus,quàm nobis conſtitit hæc acceſſio:adeò neceſſum fuit nobis,per omnes hiſtorico-rum Latinorum ac Græcorum libros uolitare, ut rati-ones memoratu digniores, cum lectoris fructu, adpo-neremus, noſtra pernotatas manu. In quibus erunt for taſſis pleraq; incondita,ſed tamen lectori haud medio-crem per Iouem datura anſam,ad maiora plurima cum dignitate indaganda. Bene uale. Friburgi Briſgoæ, Anno à IESV CHRISTI *Domini noſtri natali* M. D. L III. *Idibus Quinti-libus.*

ELIAE VINETI SANTONIS COMMENTARIOLUS IN BREUIARIJ EUTROPIJ LIBRUM I.

1. Quam cognoſceret lectione.)

QVOMODOCVNQVE Eutropius aſſentari Valenti Imperatori uoluerit, profectò non poterat pulchrius talem ſignificare, qualem deſcripſit Ammianus aliquot locis: ut lib. XXIX, quãdo Valentem ſubruſticum hominem uocat, eiusq; uerba horridula & rudia: alibi, ſubruſtici ingenij hominẽ. & libro deniq; XXXI, nec bellicis, nec liberalibus ſtudijs eruditũ. Illa autem, Gothicus, Sarmaticus, Parthicus, Maximus, in Lampridij Antonino Geta, & apud alios ſcio inuenies: cognoſcesq; ex Ammiani, Hieronymi, & aliorum hiſtorijs, Valentem Auguſtum à Gothis acie tandem uictum, & in tuguriolo latentem, combuſtum fuiſſe, ex quibus cognomen habuerat Gothici.

2. Veientes.)

Antiquus librarius ubiq; Vezentes ſcribebat. ſic in Aquitania noſtra ſunt, qui i conſonantem, ut z, proferunt.

3. Deſcripſit in decem menſes.)

Sic omnes libri: ut uideatur Eutropius Numæ attribuere, quod alij Romulo: ut Macrobius libro 1. Saturnalium.

4. A-

4. Apud Hoſtiam.)

Oſtiam ſine h, ſi ab oſtio ſeu ore Tiberis nomen habet, ut ſignificant Liuius lib. 1. & Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 3. Sunt autem impreſſi quidam libri, qui Apud hic non habent: quod tamen quia in ſcripto etiam inueni, delere nolim. Oſtium autē pro Oſtiam, aut certè Oſtia plurali numero legēdum fortaſſe: ut ſit ſenſus, ad oſtium Tiberis conditam fuiſſe eam urbem.

5. Capitum LXXXXIIII millia.)

Sic impreſſi libri. ſcriptus, capita LXXIII millia. apud Liuium uerò quia LXXX millia tantum legimus, fortaſſe illa III & IIII adiecta, facta primum fuerunt ab indocto librario ex litera m, aut ſyllaba mi, quæ ſignificaret millia: deinde additum etiam millia, cum non poſſet aliud eſſe. Lege Dionyſium Halicarnaſſeum lib. 4.

6. Volſcos,)

Vetus liber ubiq; Vulſcos ſcribit, qui ſunt apud eundem Dionyſium ὀολὄσκοι.

7. Brutus, parens, & ipſe Tarquinius.)

Hi ſunt tres: L. Iunius Brutus, Spurius Lucretius Tricipitinus pater Lucretiæ, et Lucius Tarquinius Collatinus maritus eiuſdem, ex regia Tarquiniorum familia ortus. T. Liuius.

8. Annos uigintiquinque.)

Totidem annos legimus apud Liuium. Vetus uerò liber habet quatuor & uiginti tantum.

9. Annis CCXLIII.)

Sic libri noſtri omnes. at Liuius unum & hic annũ adijcit, & Dionyſius Halicarnaſſeus in extremo libro quarto.

10. Quam annum hab.)

Ex impreßis alij annuum, alij annum ſcribunt. noſter antiquus annum unum habet.

11. Porſena Thuſciæ.)

Porſenna, per duo nn habet uetus liber: atq; ita ſcribi uolunt, quando ſecundam ſyllabam producunt poetæ, ut Virgilius lib. 8 Æn. Nam unico n Porſena dictus fuit, authore Seruio. Hinc penultimã illam Silius, Martialis, & alij corripiunt.

12. Tranquillitas ueſtra.)

Imperio Romano tres ſimul hi præfuerunt, Valentinianus & Valens fratres, & filius Valentiniani Gratianus.

13. Quintus Martius.)

γάϊος μάρκιος, Plutarcho.

14. Cæſone Fabio & Tito Virginio.)

Sic hi appellantur conſules apud Liuium & Dionyſium. libri uerò noſtri omnes habent, Caio Fabio (niſi uetus Graio Fauio) & Lucio Vergilio Coß. Porrò his quidem conſulibus, à Fabijs (unus ex ijs erat prior conſulum) ſuſceptum bellum, ſed accepta clades tertio poſt anno, C. Horatio, T. Menenio Coß. Trecentos autem hic Fabios poſuit pro trecentis & ſex, quot habent Liuius, Dionyſius, & alij.

15. An-

15. Anno trecenteſimo & altero.)

Ita libri noſtri. Apud Liuium eadem locutio, ſed ſine &.

16. Fidenæ VII. Veientes XVIII.)

Antiquus liber pro VII habet VI. Impreßi, pro Veiētes, Veientum. Legendum Veij fortaſſe. eſt enim id oppido nomen: unde Veiens, & Veientanus populus.

IN LIBRVM II.

1. Ipſum Præneſte.)

Sic neutro genere hic noſter antiquus: quemadmodum & infrà in bello cũ Pyrrho. alij, ipſam Præneſtem. nam Præneſte & Præneſtis dicitur, uel Seruio autore, in Virgilij Æneida.

2. Et quadriennium ita.)

Curulium magiſtratuum ſolitudinem per quinquennium urbem tenuiſſe, ait Liuius lib. 6.

3. Trans Anienem.)

Sic impreßi omnes libri, ab eo quod eſt Anio, aut Anien potius. noſter uerò uetus habet Anienũ, u pro e in ultima ſyllaba, à recto Anienus: quem legimus in carmine Statij, quod inſcribitur Tiburtinum Manlij Vopiſci.

4. Congreſſus occidit.)

Ita alij. noſter, Progreßus occidit: fortaße nõ malè. nam de Coruino mox dicet, Et cum proceßiſſet armatus.

6. VII millia captiuor.)

Sic antiquus liber. ex impreßis quidam, Nouem mil

lia: alij cum Liuio millia habent. Habet præterea liber VIII *antiquus,* Ducti *genere maſculino: ubi impreßi quidam deducta, alij* Adducta *habent.*

6. A' Cn. Cornelio Dolabella Coſ.)

Hunc Caßiodorus Publium *pro Gn. uocat, eodem ſcilicet prænomine cum Ciceronis genero.*

7. De redimendis captiuis.)

Vetus non habet redimendis.

8. Qui ſe armis defendere potuiſſent.)

Sic *uetus noſter. ex impreßis alij,* Quòd *armati capi potuißent: alij,* Quòd *armati capti fuiſſent.*

9. C. Fabricio Luſcino, C. Claudio Cinna.)

Vetus habet, Caio Fabio (*Caius Fabius & hic appellatur apud Caßiodorum*) Licinio, Caio Claudio Cannio *Coß.*

10. Anno V. C. CCCCLXI.)

Sic libri omnes noſtri. adijciendi tamen anni XX, *aut minimum* XIX. *niſi fallunt noſtrorum Chronologorum rationes.*

11. Quintio Gulone.)

Antiquus liber hunc Galinium pro Gulone uocat.

12. Ariminum in Gallia.)

Illa ſcilicet, quæ ueteribus Ciſalpina dicta eſt. Vetus *autem liber habet Ariminus.*

13. L. Iunio Libone.)

Vetus lib. L. Ianio Libone. *Chronologi* L. Iuliũ Libonem *ferè nominant.*

14. Anno CCCCLXXVII.

Etſi ita habent libri omnes, quia tamen eo anno hauddum ex Italia Pyrrhus receſſerat (receßiſſe uolũt Chronologi anno ab V.C. CCCCLXXVIII.)& primum contra Carthaginenſes bellum ſuſceptum fuiße traditur anno ab V. C. CCCCLXXXIX, deſiderantur & hic anni aliquot.

15. Ciuium capita CCXCII millia, CCCXXXIIII.)

In Epitomes Liuianæ libro quartodecimo minor eſt numerus, CCLXXI millia, CCXXIIII.

16. Catanenſes.)

Vetus lib. Catinenſes: ſed Catanam & Catinam, Hermolaus puto in Plinium monuit, eandem eſſe urbem Siciliæ.

17. Caio Duillio.)

Vetus liber Duellio ſcribit. Epitome Liuiana Cneum pro Caio habet, libro XVII. Iulius Frontinus utroque modo appellat.

18. Manlio Volſone.)

Vulſone antiquus liber, u pro o in prima ſyllaba. pro Manlio tamen hoc, inuenies apud Caßiodorum & alios Chronologos, Cn. Cornelium Blæſum hoc anno: & annis pôſt ſeptem, illum Manlium Vulſonem, cum alio, ut uolunt, Attilio Regulo.

19. Clypeam.)

Clypeiam uetus liber: & ad Carthaginem, ſine illo Vſque.

20. Lucio Cæcilio Metello.)

Cæcilij Metelli inter ea ſunt nomina, quæ res Romanæ

manas legentibus moleſtiam exhibere ſolent, cum paſſim occurrant, nec internoſcere omnes facilè poßis.

L. *Cæcilius* Metellus *Conſul ad annũ urbis* D I I, *qui primo* Punico *bello tot elephãtos cæpit*, Pontifex Max. *fuit*, Dictator, *magiſter equitum, quindecimuir agris dãdis : cui populus* Romanus *tribuit, ut quoties in* Senatũ *iret, curru ueheretur ad* Curiam, *ob oculos incendio amiſſos, cum* Palladium *ex æde* Veſtæ *ardente raperet, (ut narrauit* Liuius *lib.*XIX.) *filium habuit*

Q. *Cæcilium* Metellum, *illum qui orationem habuit ſupremis laudibus patris ſui* Lucij Metelli, *atq; pater fuit (auctore* Plinio *lib.*7.)

Q. *Cæcilij* Metelli, *illius feliciſsimi habiti, qui recepta* Macedonia *de* Andriſco Pſeudophilippo *dicto triumphauit, ad annum urbis* D C V II, & Macedonicus *eſt cognominatus. porticus fecit* Romæ, *turmam equeſtrium ſtatuarum in* Capitolio *poſuit (hoc tradit* Paterculus *libro* 1) Celtiberos *gentem* Hiſpanam *debellauit (hoc* Plinius Nepos & L. Anneus *lib.*2.) *parũ abfuit quin è ſaxo* Tarpeio *præcipitatus ſit.* Conſul *poſt multas repulſas uix fuit factus, anno urbis* D C X I. *Sex liberos reliquit, quorum quatuor* Plutarcho *de* Fortuna Romanorum *ſic appellantur:*

Primus, Q. *Cæcilius* Metellus, *qui à ſubactis* Balearibus *inſulis*, Balearicus *eſt dictus, ad annum* Vrbis DCXXXI.

Secundus, L. *Cæcilius* Metellus, *Διαδῆμα in ſuprà citato* Plutarchi *libro cognominatus. ubi quidam Διάδημα legiſſe uidentur: qui, neſcio an is ſit qui eidem* Plutarcho *in* Coriolano Diadematus *eſt appellatus: quem illũ*

eſſe L. Metellum putant, qui Dalmaticus fuerit cognominatus, cum Dalmatas gentem ſubegiſſet Conſul cum Q. Mutio Scæuola, ad annum urbis DCXXXVII, autore Eutropio lib. 4.

Tertius, C. Cæcilius Metellus, Caprarius cognominatus, quo Conſule cum Cneo Carbone ad Vrbis annũ DCXLI, duos quoſdam Metellos fratres eodem die triumphaſſe neſcio quibus de populis, memoriæ prodidit Eutropius lib. 4.

Quartus, M. Cæcilius Metellus. Hæc ſunt quatuor Metelli Macedonici filiorum prænomina apud Plutarchũ. Aſconius uerò Pedianus, grauis autor, in orationẽ pro C. Cornelio, Metellũ Creticũ etiam Quintũ uocat, eodem ſcilicet prænomine cum Metello Pio, quẽadmodum in Saluſtij quoq; Iugurt. & Liuianæ Epitomes li. 99 ſcriptũ inuenimus: ut idem ſit Balearici & Cretici prænomen Quintus, cum tamen non unus idemq; fuerit Balearicus & Creticus, ut diſces ex L. Annei lib. 3 hiſtoriæ Ro. ſed tamẽ ambo fratres. Alij quidã Metellum Creticum uocant Luciũ pro Quinto, ut Conſulũ etiam catalogus habet. Quoniam aũt Metellus Creticus unus fuit ex quatuor Metelli Macedonici liberis, qui patrem rogo intulerunt, isq; iam tum Creticus erat, autore Plinio in eodem li. 7: & Creta ſubacta triumphauit ad annum Vrbis DCXC, ut putat Eutropius lib. 6. profectò ualde ſenex uixerit Macedonicus, inter cuius conſulatum & Cretici triumphum interceſſerint anni minimùm octoginta. Quare uereor, ne quid nos fallant aut librarij, aut antiqui ipſi autores.

Q. Cæcilij Metelli Balearici, quem inter Metelli

Macedonici filios primum memorauimus, filius fuit

Q. *Cæcilius Metellus Nepos, & ſic Nepos Metelli Macedonici: qui Metellus Nepos Conſul fuit cum* T. *Didio, ad annum urbis* D C L V I. *filiúmque habuit*

Q. *Cæcilium Metellum Nepotem, qui adoleſcens* C. *Curionem accuſauit, accuſatorem patris ſui, autore Aſconio in orationem pro Cornelio: quiq; Tribunuſplebis Ciceronem conſulatu abeuntem prohibuit concionari, de rebus quas in eo geſſerat magiſtratu (hoc puto colliges ex ijs quæ extant Aſconij in orationes pro eodẽ Cornelio, & in L. Piſonem) & fratrem habuit*

Q. *Cæcilium Metellum Celerem (de hoc Celeris cognomento Plutarchus in Romulo & Coriolano) eum, ni fallor, qui cum L. Afranio Conſul fuit anno urbis* D C X C I I I I. *cuius & Ciceronis lege literas primas libri quinti Familiarium.*

Q. *Cæcilius Metellus, qui cum Q. Hortenſio Conſul fuit anno urbis* D C L X X X V, *dubito an idem ſit* Q. *Metellus Nepos, frater Quinti Metelli Celeris. ſed eum tamen Hortenſij collegam, ex Ciceronis orationib. in Verrem, ac Aſconij commentarijs, certò ſcimus, fratres hos habuiſſe,*

L. *Cæcilium Metellum, qui prætor in Sicilia Verri ſucceſſit: &*

M. *Cæcilium Metellum, prætorem Vrbanum: quorum Lucius neſcio an is ſit*

L. *Cæcilius Metellus, qui Tribunuſplebis Cæſari rempublicam euertenti pro uiribus reſtitit Romæ, ad*

annum

annum urbis D C C V: *ut refert* Plutarchus *in* Cæſare, Cæſar *ipſe lib.* 1. *Comment. belli* Ciuilis, Dion *libro* 41. *& alij.*

L. Cæcilius Metellus *longè alius fuit, quem* Liuius *lib.* 22. 27. *& alibi, memorat rempublicam deſerere uoluiſſe, &* Italia *excedere,* Annibalis *metu, poſt* Cannenſem *cladem, ad annum urbis* D X X X V I I I.

Q. Cæcilij Metelli Numidici *pater eſt* Lucius, *in oratione* Ciceronis *pro* Cornelio Balbo; *quem* L. Cæcilium Metellum *eſſe ſcribunt eum qui* Dalmaticus *dictus ſit ſuprà, ſecundus in filijs* Metelli Macedonici. *ſed eius rei nullum ij citant autorem.* Hic Q. Metellus Numidicus, *Conſul fuit cum* M. Iunio Syllano, *anno urbis (ut putant Chronologi)* D C X L I I I. *quo anno Numidici cognomẽtum ſibi peperit, multis prælijs fuſo* Iugurtha *in* Numidia Africæ *regione (hoc narrauit* Liuius *libro* 65, Salluſtius, Eutropius, *ac alij) Cenſor* Quintium *quendam ſe* Tiberij Gracchi *filium mentientem, in cenſum non recepit: in legem* Apuleiam *per uim latam iurare noluit: in exilium uoluntarium* Rhodũ *&* Smyrnam *abijt, ad annum urbis* D C L I I I I. *(hoc* Liuius *idem lib.* 69. Plinius Nepos, *&* Plutarchus *in* Mario) *filium habuit*

Cæcilium Metellum, *ideo* Pium *cognominatũ, quòd patrem* Metellum Numidicum *aſsiduis lachrymis & precibus ab exilio reuocarit.* Hic Metellus Pius *bello ſociali,* Marſorum *ducem cecîdit:* Hirtuleium *&* Sertorium *in* Hiſpania *oppreſsit.* Plinius, *&* Frontinus *lib. ſecundo Strateg.* Pontifex maximus *fuit, (* Aſconius *pro* Cornelio *) de cuius morte nihil mihi comperti: ſed*

quem

quem tamen qui putat ſe interfeciſſe apud Liuium *lib.* 39, *tam fallitur (quod cognoſces, ſi ſequentes* Liuij *libros legeris) quàm temerè quidam eum eſſe* Metellum Pontificem Max. *pronunciauit, qui* Plinio *&* Valerio *annos centum uixiſſe traditus ſit: quaſi nullus alius* Metellus Pontifex *fuerit.*

Q. *Cæcilius* Metellus Scipio, *qui bello ciuili* Pompeij *&* Cæſaris *ſe interfecit cum* Catone *in* Africa, *is in hanc familiam adoptatus fuerat: de cuius genere nos in librum ſextum. In ſtudioſorum gratiam obiter hæc, quæ nobis in mentem ueniebant, de* Metellorum *genere: de quibus plura fortaſſe aliàs, & comperta magis, ſi quando plus ocij & uirium fuerit.*

21. CXXV demerſæ.)

Vetus liber, habet ſolum XXV.

22. Sexto idus.)

Antiquus liber pro illo idus, habebat notam literæ Græcæ K *perſimilem.*

IN LIBRVM III.

1. Per Conſulem tantum.)

S*Ic antiq. lib. Alij tum, pro tantum. Hoc aũt ſemel admonitum ſit, antiquum librum* Millia *hominũ hoſtiũm ue participio plurali maſculino ſemper iungere: ut hic,* XL *millia hoſtium interfecti ſunt.*

2. Viridomarum nomine.)

Vetus Eutropius *adijcit ſyllabam: habet enim* Viriodomarum, *uetus uerò* L. Anneus Virodomarum *uocat,* o quar-

o quarta litera, d quinta. eſt in Cæſaris Comment. Viridomarus alius Gallus. Aliū uidimus Oliſiponi, in antiquo marmore inſcriptum.

3. Spolia Galli.)

Id eſt, regis Gallorum, quem interfecerat. Sic antiq. lib. rectius habet, quàm alij Spolia Gallorum: Liuius libro uigeſimo.

4. Apud Trebiam amnem.)

Sic uetus, niſi quòd in Trebiam habet u pro b, ut ferè Fauium pro Fabio. Narrat autem hanc Romanorum cladem Liuius lib. 22.

5. XXV millia cæſa.)

Sic uetus liber: at ex impreßis quidam habent XV duntaxat millia, quomodo & Liuius in loco ſuprà citato, & Valer. Max. lib. 1. cap. 6.

6. Ab impetu.)

Vetus, adambitu fregit. & idem infrà, nobiles, pro nobiliores uiri.

7. Quingenteſimo & quadrageſimo.)

Par & apud Paulum Oroſium numerus lib. quarto: ubi ſi legeres Duo de quadrageſimo, conueniret numerus cum Chronologorum noſtrorum rationibus.

8. In ea pugna tria millia.)

Sic ſuis omnibus literis noſtri libri, at apud Liuium octo millia legimus.

9. Senatores capti aut occiſi XXX.)

Apud Liuium LXXX ſunt ſenatores, pro his XXX. & duo millia ſeptingenti equites, pro tribus millibus & quingentis.

quem tamen qui putat ſe interfeciſſe apud Liuium *lib.* 39, *tam fallitur (quod cognoſces, ſi ſequentes* Liuij *libros legeris) quàm temerè quidam eum eſſe* Metellum Pontificem Max. *pronunciauit, qui* Plinio *&* Valerio *annos centum uixiße traditus ſit: quaſi nullus alius* Metellus Pontifex *fuerit.*

Q. *Cæcilius* Metellus Scipio, *qui bello ciuili* Pompeij *&* Cæſaris *ſe interfecit cum* Catone *in* Africa, *is in hanc familiam adoptatus fuerat: de cuius genere nos in librum ſextum.* In *ſtudioſorum gratiam obiter hæc, quæ nobis in mentem ueniebant, de* Metellorum *genere: de quibus plura fortaſſe aliàs, & comperta magis, ſi quando plus ocij & uirium fuerit.*

21. CXXV demerſæ.)

Vetus liber, habet ſolum XXV.

22. Sexto idus.)

Antiquus liber pro illo idus, habebat notam literæ Græcæ K *perſimilem.*

IN LIBRVM III.

1. Per Conſulem tantum.)

SIc *antiq. lib.* Alij *tum, pro tantum.* Hoc *aūt ſemel admonitum ſit, antiquum librum* Millia *hominū hoſtiūm ue participio plurali maſculino ſemper iungere: ut hic,* XL *millia hoſtium interfecti ſunt.*

2. Viridomarum nomine.)

Vetus Eutropius *adijcit ſyllabam: habet enim* Viriodomarum, *uetus uerò* L. Anneus Virodomarum *uocat,*

o quar-

o quarta litera, d quinta. eſt in Cæſaris Comment. Viridomarus *alius Gallus. Aliū uidimus* Oliſiponi, *in antiquo marmore inſcriptum.*

3. Spolia Galli.)

Id eſt, regis Gallorum, quem interfecerat. Sic antiq. lib. rectius habet, quàm alij Spolia Gallorum: *Liuius libro uigeſimo.*

4. Apud Trebiam amnem.)

Sic uetus, niſi quòd in Trebiam *habet u pro b, ut ferè* Fauium *pro* Fabio. *Narrat autem hanc Romanorum cladem Liuius lib. 22.*

5. XXV millia cæſa.)

Sic uetus liber: at ex impreſſis quidam habent XV *duntaxat millia, quomodo & Liuius in loco ſuprà citato, &* Valer. *Max. lib. 1. cap. 6.*

6. Ab impetu.)

Vetus, adambitu fregit. *& idem infrà,* nobiles, *pro* nobiliores uiri.

7. Quingenteſimo & quadrageſimo.)

Par & apud Paulum Oroſium *numerus lib. quarto: ubi ſi legeres* Duo de quadrageſimo, *conueniret numerus cum* Chronologorum *noſtrorum rationibus.*

8. In ea pugna tria millia.)

Sic ſuis omnibus literis noſtri libri, at apud Liuium octo millia legimus.

9. Senatores capti aut occiſi XXX.)

Apud Liuium LXXX *ſunt ſenatores, pro his* XXX. *& duo millia ſeptingenti equites, pro tribus millibus & quingentis.*

10. Mittuntur ei à Carthaginen-
ſibus.)

In antiq.lib.hæc longè aliter,ſic: Mittuntur ei rurſus XI peditum millia, & XXX elephanti. Idem Manlium, Mallium ſcribit.

11. A' Conſule Marcello.)

Quid illud à Conſule? Conſules erant, ni fallor, Q. Fuluius & Appius Claudius, quo anno Syracuſæ captæ. Vide Liuium lib.25.

12. Et rege Aſiæ At.)

Vetus liber pro Aſia habet Iſauriæ, quod animaduerſione haud indignum fuerit.

13. Cos. Q. Fabius Max.)

Ita appellatur Liuio lib.27. ſed noſter tamen uetus pro Quinto, Publium nominat.

14. Appio Claudio Nerone.)

Sunt qui pro Appio, hunc Caium appellant.

15. Lucio Valerio Coſs.)

Pro Valerio hic Veturius apud Caßiodorum nominatur, & Liuium lib.28.

16. Veniente ad Africam.)

In ueteri, non eſt Veniente.

17. Addita quingentis millib. pondo argenti.)

Vetus habet, additis quingentis ponderibus argenti centum millib. lib. qui nec millia ſupra habet, ſed ſolũ, quingenta pondo argenti darent. Erit autem hic cenſus, centum millibus librarum (pondo, libra, idem) additis ad quingenta millia pond. quæ ex primæ pacis conditionibus pendere debebant Carthaginenſes.

18. Pon-

18. Pondo X X millia, auri octingenta.)

Antiquus liber non habet millia, ſed X X X pro octingentis. pro quib. Octingentis ſunt etiam impreßi qui ſcribunt octoginta.

19. Poſt annum X V I I quàm cœp.)

Hunc habet numerum Oroſius libro quarto. at antiquus liber & quidam impreßi habent nonumdecimum, pro hoc ſeptimodecimo. Liuius lib. trigeſimo tradit, hoc ſecũdum bellum Punicum fuiſſe initum P. Cornelio, T. Sempronio Coſſ. & finitum octauodecimo anno, Cn. Cornelio, Pub. Ælio Pæto Coſſ.

IN LIBRVM IIII.

1. Quingenteſimo & quinquageſimoprimo.)

Chronologi noſtri uolunt, D L I I I I.

2. Acilio Glabrione.)

Sic uetus, & ex impreßis nonnulli. alij Attiliũ pro Acilio appellant, ut Caßiodorus. Apud Liuium libro 36 Acilium appellatum inuenio, ſcriptumq́; per c unicum: in ueteri uerò libro modò unum tantum, modò duo cc habet: ſic multi per duo cc ſcribunt Accilium.

3. Circa Sipylum Magneſiam.)

σίπυλος rectus eſt, apud Strabonem lib. primo, & Stephanum. quod nomen maſculinum fuerit, ut Corinthus, apud eundem Strabonem libro octauo. niſi ſit alius rectus σίπυλον, ut eſt apud Plinium neutrum Sipylum, cuius ſint obliqui caſus apud eundem Strabonem in extremo lib. 12. Sipyli meminit Homerus

t 2 Iliad.

Iliad.ω, montemq́; Lydiæ & Magneſiæ fuiſſe ſcribit Scholiaſtes. Fuit & urbs, quemadmodũ & Magneſia in ipſa Magneſia regione, autore Plinio: quas terræmo tu deiectas fuiſſe, Strabo refert. Eutropius itaq;, circa Sipylum Magneſiam dixerit (niſi ſi quid ſit mendi) quod Liuius lib. 36 & 37, circa Magneſiam, quæ ad Sipylum eſt.

4. Aſiatici accepit.)

Vetus liber, Aſiaticus.

5. Habebat Cotyn.)

Vetus addit h, & Cothun ſcribit: ut y nihil eſt aliud quàm u uocalis. Multos autem Cotyes Thraciæ reges in Græcorum Latinorumq́; hiſtorijs inuenies.

6. In Hiſpania.)

Vetus, in Luſitania. hæc autem Hiſpaniæ pars eſt.

7. Sexcenteſimo & altero.)

Sic Liuiana Epitome. uolunt tamen Chronologi, eos, quos hic nominat, fuiſſe conſules anno urbis conditæ ſexcenteſimo & quinto. Qui autẽ hic L. Manlius, is in ueteri libro L. Mallius: in Floro L. Martius, & Caſſio doro appellatur. Alterum uerò alij Manlium, alij Manilium appellant.

8. Anno LI.

Antiquus liber, Anno quinquageſimo uno ſcribebat.

9. Famea dux.)

Et Faneas, & Fanea, impreſſi libri. ſcriptus, Cemea.

10. Scipio tunc Scipionis.)

Huius genus hæc oſtendet tabella.

P. Cor-

P. CORNELII SCIPIONIS AEMYliani, Africani poſterioris, iunioris, minoriſ-ue, qui deleuit Carthaginem, tertium bellum Punicum confecit, Numantiam excîdit,

Auus { Naturalis, L. Æmylius Paulus, quem ad Cannas Conſulem cecîdit Annibal. Adoptione, P. Cornelius Scipio, Africanus ſuperior, qui contra Annibalem ſecundum bellum Punicum confecit.

Amita — Æmylia, ſuperioris Africani Scipionis uxor, filia L. Aemylij ſupradicti.

Pater { Naturalis, L. Paulus Æmylius Macedonicus, illius ad Cannas cæſi filius. Hoc Liuius, Paterculus, Plutarchus. Adoptione, P. Cornelius Scipio (Gneus pro Publio appellatur apud Valerium lib. 4. cap. 5. ſuperioris Africani filius: autore Cicerone de Senectute, & de Claris oratoribus, Paterculo, L. Anneo, & alijs.

Mater — Naturalis, Papiria, filia Mnaſonis uiri conſularis. Plutarch. in Paulo Æmylio.

Vxor — Sempronia, filia Tiberij Sempronij Gracchi, & Corneliæ minoris natu filiæ Scipionis Africani ſuperioris, & ſoror Tiberij & Caij Gracchorum ſeditioſorũ illorum. Plutarchus in Gracchis, Liuius, Valerius.

Frater — Naturalis, maior natu Q. Fabius Maximus, etiam adoptatus in familiam Fabiorum.

Sororum. { Alteram Marci Catonis filius, Alteram Aelius Tubero duxit. Plutarchus in Paulo Æmylio.

Hic eſt, qui apud Ciceronem ſomniauit. Anno autem ætatis fermè L VI deceſsit, inquit Paterculus lib. ſecundo (tot annos minimum uixiſſe, ex eodem etiam colliges Somnio) M. Aquilio, C. Sempronio Coſ. quod fuit circiter Vrbis annum D C X X V, ſi priore ſuo Conſulatu iam natus erat annos X X X V I. ut autor eſt Paterculus libro ſecundo: qui fuit annus Vrbis D C V I I. Eius ætas colligi poteſt etiam ex Liuij libro X L I I I I. ubi memoria prodidit, hunc Scipionem cum patre Paulo Macedonicæ expeditioni interfuiſſe, annum ætatis agentem X V I I. Non omnino tamen cõueniunt ij numeri. Oſtendet itaq; hæc tabella, Appianum in Syrio erraſſe: primùm, quòd quem cæpit Antiochus Scipionem, non fuerit hic Scipio, ſed eius adoptione pater. deinde, quòd non fuerit adoptione filius Africani ſuperioris, ſed filij ipſius Africani. poſtremò, quòd non ex filia nepos Africani ſuperioris fuerit, ſed ſolum adoptione per filium Africani illius Publium Scipionem: cuius Scipionis filij erat hic iunior Africanus conſobrinus, id eſt, eius auunculi filius.

11. Internecionem.)

Vetus & hic & alijs in locis ſcribit huius uerbi ſyllabam tertiam, per tertiam uocalem.

12. Ante cuius currum.)

Vetus liber, Cui ante currum: in quo & Pſeudoperſes, non Pſeudoperſeus legitur: & ſedecim, non ſeptendecim armator. & Tremellio, ſicut in libro quin-

quageſimotertio Epitome Liuianæ, non Trebellio.

13. In Luſitania.)

In uet. eſt ſcriptum Lyſitania: ſed cum y ſit u uocalis, ut modò diximus, nihil intereſt in Plinij natur. hiſtoria, utrum Lyſo legas, an Luſo Liberi patris.

14. De Callæcis.)

Ita repoſuimus pro Gallicijs. Sic enim appellari debere gentem illam, & ſcribi, oſtendimus in ijs quæ in Auſonium poetam ſcripſimus. Eſt autem Callæcia, quæ uulgo Galicia: hodie Minio flumine à Portogalia, quondam Durio à Luſitania diſterminata.

15. Lucio Cæcilio.)

Quintum pro Lucio, hunc appellat Plutarchus de Fortuna Romanorum, Liuiana Epitom. li. 60. & alij.

16. Anno DCXXVII. ab urbe.)

Ita omnes libri noſtri, & Oroſius, niſi unum adderet annum, & alios haberet Conſules. Longini autem & Caluini Conſulatum putant Chronologi noſtri incidiſſe in annum ab V. C. DCXXX.

17. Eorum regi Bituito.)

Vituito, V pro B antiq. liber. Annot. in L. Annei li. 3.

18. DCXXX anno & III.)

Volunt Chronologi, Porcium Catonem & Martium Regem cõſulatũ geſſiſſe an. urbis DCXXXVI. De Narbone leges aliquando, quæ in Auſonium ſcripſimus, & Sidonium.

19. Anno DCXXXV.)

Chronologis placet DCXL. ſic addunt V annos.

20. A' M. Iunio Syl.)

Imò à Cimbris M. Iunius Syllanus uictus, niſi nos

Liuiana fallit Epitome lib.65.& L. Florus, aut potius quidam L. Anneus Seneca libro tertio hiſtoriæ Romanæ. Memoria lapſum puto Eutropium.

IN LIBRVM V.

1. Romani Conſules Marcus.)

ITa habent libri omnes noſtri, licet Liuiana epitome eos proconſules appellet. Fuerunt autem hi non ſimul conſules, ſed Manlius cum Pub. Rutilio, & Cæpio ante hos cum C. Attilio.

2. Et Teutonibus.)

Vetus liber cum ſpiritu Theutonis, per ſecundam declinat.

3. Ducem eum Theutobodum.)

Vetus liber, Theutomodum. L. Anneus Florus libro 3. Theutobochum habet.

4. LX millia capta.)

Alij XL, pro LX.

5. Sexcenteſimo quinquageſimo nono.)

Ita Paulus Oroſius libro quinto, & antiquus liber. alij nono non habebant. Deſiderabunt tamen hic & ſic quoq; annos quatuor, noſtrorum Chronologorum rationes.

6. T. Victius.)

Ita omnes, præter ueterem, qui Vetius ſolum ſcribit, primo i reiecto.

7. Hierus Aſinius.)

Epitome Liuiana lib. 73. Hirnium Aſinium uocat.

uetus

uetus lib. Hierium Aſinium. in impreßis quibuſdam eſt & L. Herennius, pro illo Titus Legennius, quod alij habent.

8. Anno urb. cond. DCLXII.)

Et hic ſcio deſiderabunt aliquot annos noſtri Chronologi, quemadmodum & in ſequentibus annorum urbis rationibus. quamuis eundem numerum habeat Oroſius libro quinto.

9. Ipſamq; urbem cæpit.)

Vetus habet, ipſas Athenas cæpit.

10. XIIII tantum homines interfect.)

Sylla ipſe, Plutarcho authore, ſcriptum reliquit, ſub eius diei quo pugnatum eſt, ueſperam, duos etiam aduenisſe ex quatuordecim, qui primùm deſiderati fuerant.

11. Cum Sylla de pace agere cœpit.)

Vetus liber, iußit de pace cum Sylla agi.

12. CCCC de ſuis.)

Plutarchus autor eſt, ipſum Syllam ſcripſiſſe, ſe in ea pugna ex ſuis uigintitres tantum milites amiſiße.

13. Secundus à Sylla.)

Noſtri libri non habent A` præpoſitionem.

14. Hiarbam.)

Vetus liber, Hierdam.

15. Quartum & uigeſimum.)

Sic habent noſtri omnes libri, unà cum Liuiana Epitome. in quibuſdam tamen autoribus uigintiquinq;, in alijs 26 an. natus Põpeius triũphaſſe primùm legitur.

t 5 16. Se-

16. Senatores ferè CCC.)

Vetus liber ponit ſolum ducentos, omnibus ſuis literis, & non notis deſignato numero.

IN LIBRVM VI.

1. A' Sertorij duce Herculeo.)

E*Pitome Liuiana lib.*90 *&* 91, Oroſius *libro* 5. *& antiqui libri, ut monuimus in librum tertium* L. Annei Flori, *hunc pro* Herculeo *ſeu* Herculeio *ſcribunt* Hirtuleium, *i pro e, & t pro c, in prima & ſecunda ſyllaba :* Luciumq; *ei prænomen facit ea* Epitome, Quæſtorem *appellans, quem* Eutropius *&* Oroſius *ducem* Sertorij *dicunt. niſi ſi quis cõtendat, alium Quæſtorem, ducem alium dictum fuiſſe, quod non unicus fuerit in* Sertorianis *bellis* Hirtuleius, *ſed duo minimum, quos fratres* Hirtuleios *dixerint* Plinius Nepos *&* Oroſius, *à* Q. Metello Pio *in* Hiſpania *oppreſſos.*

2. Cneus Scribonius Curio poſt Conſulatum.)

Vetus liber non habet Curio, *ſed pro* Cneus *ſolum* G. *quod apud eum* Caium *ſignificat. ita ille ferè appellatur: pro illo autem,* Poſt Conſulatum *& hic, & ſuprà,* Appius Claudius *poſt conſulatum, habet* Liuiana Epitome, *pro* Conſule.

3. F. Seruilius ex Conſule.)

Sic Oroſius *lib.5.* Vetus *lib. ex* Conſulari. *alij ex* Cõſularibus, *pro illo*, ex Conſule. *at* Seruilium *hunc*

pro Conſule appellat Liuiana Epitome.

4. Iſauros quoque.)

Libri noſtri habent, que, pro quoque: & redegit, pro coegit.

5. In Iſauriam.)

Vetus liber, in Tauro iter fecit. eſt autem ad Taurum montem Iſauria, Aſiæ regio.

6. Cneus Coſconius.)

Antiquus liber pro Cneo Caium uocat. Salonas Dion ſingulari tertiæ Latinæ declinationis flectit, ni ſit mendum, recto σάλων.

7. DCLXXVI.)

Chronologi DCLXXX.

8. Chalcedonem.)

Antiquus liber Chalcedoniam. Eſt autem χαλκηδὼν Stephano, ciuitas Bithyniæ.

9. Cyzico capto.)

Sic apud Plinium & alios Latinos, Cyzicum neutrum, at κύζικ & fœmininum apud Græcos.

10. Ducibus Sparthaco, Chryſo, & Oenomanno.)

Vetus liber habet duce, pro ducibus: Chryxo, pro Chryſo: & Oenomaiu, pro Oenomanno, ſiue Oenomao, ſeu Tinomao, quomodo impreſſi noſtri habent. Erat autem Sparthacus Thrax, alij duo Galli, authore Oroſio lib. 5.

11. Sexcenteſimo octogeſimo primo.)

Chronologi hos Conſules fuiſſe uolunt anno V. C. DCLXXXIII. atq; ita addendi forent anni duo his Eutropij rationibus.

12. Si-

12. Sinopen & Amiſum ciuitates.)

Vetus liber, Sinopen & Amiſſas ciuitates. Sed quid hic amiſſas? Eſt Ἀμισὸς urbs clariſſima, ab Athenienſibus olim condita, à Sinope nongentis ſtadijs, ut uult Stephanus, diſtans.

13. Apud Cabira.)

Liber uetus hic habet Graueram, pro Caberam, ni fallor. nam apud Stephanum, Καβειρία fœminiнum eſt.

14. Regiones uictas.)

Vetus liber, legiones uictas. & infrà, Lucullo parante, pro Lucullo paranti.

15. Cabylen.)

Cabulen alij ſcribunt, quod y ſit u, ut iam non ſemel monuimus. Καβύλη Thraciæ urbs Stephano.

16. Hiſtrum, Buziam omnem.)

Ex libris impreſſis quidam Hiſtrum Burchaonem. Vetus, Hiſtrium Burziaonem capit.

17. Orodem ſcilicet prudenter uicit.)

Vetus liber, Orodem ter uicit. Vide Dionem libro XXXVI. ubi hic rex Albanorum Oræſes, & libro XXXVII, Rex Iberum Artoces, qui hic Arthaces.

18. Quo locus ibi.)

Vetus liber habet, quo lucus ibi. In ſexto Rufo Lacus legitur: ſed puto lucus rectius. Vide Auſonij noſtri carmen in Antiochiam, & noſtras in eum locum

eum aliquando annotationes.

19. Anno ab urbe condita DCLXXXIX.)

Et hic, & in proximo annorum numero, annum unum deſiderant noſtri Chronologi.

20. D. Iunio Syllano.)

Pro D. uetus ſcribit Decimo: & mox Perlata, pro prælata.

21. Anno urbis conditæ DCXCIII.)

Sic habet uetus liber. alij D C X C V I I I. *Sed quia hic annorum numerus tribus annis noſtrorum Chronologorum rationes antecederet, qui minor eſſe debet, ut ſuprà annotatum eſt, antiqui noſtri libri lectionem alteri prætulimus, cui unicum annum adijcit Paulus Oroſius libro ſexto. Porrò quem hic noſtri libri Lucium Bibulum appellant, Caſsiodorus & quotquot legere memini, Marcum nominant, pro Lucio.*

22. Et Arunculeus.)

Vetus liber addito i appellat Arunculeium. Ita in Commentarijs Cæſaris, & Liuiana Epitome Arunculeius legitur.

23. Conditæ DCXCVII.)

Sic in ueteri libro alij D C X C I X. *ſed eorum mendum arguit, quod inter C. Cæſaris cum M. Bibulo, & Marci Licinij cum Cneo Pompeio Conſulatum, annum unum duntaxat ponant, cum tres intereſſe liquidò cōſtet. Præterea numerus ille* D C X C I X *cum noſtrorum Chronologorum rationibus conue-* nit,

nit, quod non debet, ſicuti ſuprà nos monuimus.

24. A' Surena Orodis.)

Ita libri omnes noſtri, atq; Latini autores ferè cum Dione Græco. apud Plutarchum uerò in uita Craſsi, & alibi ὑρώδης *hic ſcribitur, ubi neſcio an ſit* υ *pro* ὀ *in prima illa ſyllaba.*

25. Per C. Caſsium quæſtorem.)

Dion libro 40. habet, μετὰ κασσίου λογγίνου τοῦ ταμίου *ſolum. libro uero 41 eſt, Q. Caſsius Longinus, qui neſcio an idem ſit.*

26. Inde Hiſpanias.)

Poſt expeditionem Hiſpanicam, Dictatorem factum ſe ipſe, ſcripſit Cæſar libro ſecundo Cõmentariorum belli Ciuilis.

27. Apud Palæopharſalum.)

Sic pro Pharſaliam, antiquus codex & Paulus Oroſius libro ſexto. ſignificat autem id, antiquam Pharſalum: quod compoſitum nomen etſi non memini alibi legere, tamen placet, uel quòd talia inueniantur apud Strabonem & alios Geographos, qui Pharſalum etiam eam Theſsaliæ urbem appellant, unde φαρσαλία *regio in Plutarchi Cæſare: &* φαρσάλιον πεδίον *in Pompeio, qui Latinis Pharſalici campi dicti, in quibus Cæſar & Pompeius pugnarunt: & Pharſalicum prælium apud Suetonium.*

28. P. Cornelius Scipio.)

Huius hoc ferè genus:

P. Cor-

P. Cornelius Scipio Naſica, Cnei Cornelij Scipionis in Hiſpania cum fratre Publio cæſi, anno ab V. C. DXLII. filius, adoleſcens, uir optimus à Senatu iudicatus (ut refert Liuius libro 29. & lib. 36.) M. Cor. Cethego, P. Sempronio Tudetano Conſulibus, anno V. D L. filium habuit

P. Cornelium Scipionem Naſicam, qui porticus in Capitolio Cenſor fecit, autore Plutarcho lib. 2. Hic uide an ſit ille Naſica, qui adoleſcens Macedonico bello, cum Paulo Æmylio interfuit, & qui Dalmatas conſul domuit, anno Vrbis DXCII. Huius fuit filius

P. Cornelius Scipio Naſica, cōſobrinus Tiberij Gracchi, Pont. Max. quo duce interfectus idem Gracchus, ut ſcribit idem Paterculus: quod uolunt factum anno urbis DCXVI. Hic poſt Gracchum occiſum, ſub titulo legationis Pergamum Aſiæ ſeceſsit, ubi obijt. autores, Valerius Maximus lib. 5. cap. 3. & Plutarchus in Gracchis, & alij. Filius eius fuit

Publius Cornelius Scipio Naſica, cuius meminit Cicero li. 1. Officiorum, quo cap. de uario hominum ingenio diſputat: ſed huius mihi compertum non eſt an fuerit filius ille

Publius Cornelius Scipio Naſica (Naſicam tamen Dion tantum appellat) qui fuit pater

Publij Cornelij Scipionis, Quinti Cæcilij Metelli (his etiam plura huic dantur nomina) qui ſocer Pompeij Magni, ne uiuus in Cæſaris poteſtatem ueniret, in Africa ſe ipſe interfecit, anno ab urbe condita DCCVIII. Partem itaque ſuorum hic nominum à patre ſuo naturali habuit, partem uerò à patre ex adoptione,

ptione, qui ex Metelli Pij familia erat. Autor eſt Dion libro X L.

29. Quintus Varro.)

Sic alij. antiquus liber Q. *Varus. Vide Cæſarem & alios, qui has res referunt: quoniam multos & Varos & Varrones hoc bellum habuiſſe uidetur.*

30. M. Porcius Cato.)

Catonum hoc ferè genus, ex Plinio, Gellio, Plutarcho, Dione, & alijs:

M. PORCII CATONIS GENERIS Tuſculani, oratoris, & Cenſoris, qui Conſul fuit anno Vrbis D L I X, & contra Naſicam cenſuit euertendam Carthaginem: ſub cuius tertij belli Punici initium mortuus eſt, L. Martio, M. Manlio Coſſ. annos natus L X X X V. (Paterculus lib. I. & Cicero de Clar. orat.) ad Vrbis annum D C V. qui ſcripſit de Agricultura, Orationes, Origines: quique diſputat de Senectute apud Cicero- ronem, filij fuerunt

Ex priore uxore Liciniani appellati,	Ex altera uxore Saloniani dicti,
M. *Porcius Cato maior natu, qui Prætor deſignatus patre uiuo deceßit, & libros de iuris diſciplina reliquit. cuius filius fuit*	M. *Porcius Cato, genitus patre annos nato* L X X V. *ſicut apud Solinum legimus. cuius filij duo fuerunt,*
M. Porcius Cato, qui ora-	L. Porcius Cato, &
	M. Porcius Cato, Hic Tribunus

tor ſatis uehemẽs, multas orationes ad exemplum aui ſcriptas reliquit: Conſul cum Q. Marcio Rege fuit, an. Vrbis DCXXXVI. quo anno in Africa obijt. cuius filius maior natu fuit

M. Porcius Cato, is qui Aedilis Curulis & Prætor in Gallia Narbonenſi uita functus eſt.

bunus pleb. fuit, & petens Præturam mortẽ obijt. cuius filius fuit

M. Porcius Cato Prætorius, quem in eius uita & laudib. M. Tullius pronepotem Catonis Cenſorij dixit: qui bello Ciuili Põpeij et Cæſaris, ſe Vticæ in Africa interemit, anno ætatis XLVIII, ſecũdũ Plutarchum: ſeu XLIX, ut habet Liuiana Epitome: ſeu quinquageſimo, ut Appianus Latinus, & Vrbis an. DCCVIII. cuius

Frater	Sorores	Filia	Filius
Cæpio,	Seruilia, mater Marci Bruti: & Porcia, quæ nupſit L. Domitio.	Porcia, uxor eiuſdem M. Bruti.	Cato, qui cũ eodem Bruto in Philippico prælio fortiter occubuit.

31. Et Sextus Pompeij filius maior.)

Antiquus liber non habet Sextus, nec poteſt legi: quoniam Cneus maior natu erat, minor Sextus, qui tum effugit: de quo contra Auguſtum ſequens liber.

32. Ex eo genere Bruti.)

Lege de hoc Dionem lib. 44.

IN LIBRVM VII.

1. Anno urbis D CC ferè ac nono.)

ITa prorſus liber quoq; uetus, niſi & pro ac habe ret. at Oroſius & noſtri Chronologi unum addunt annum, qui quintum Cæſaris Conſulatum, in quo Idibus Martijs interfectus eſt, putant in annum Vrbis DCCX incidiſſe.

2. Octauianus.)

Ex Octauio Octauianus, ut ex Æmylio Aemylianus. ita adoptati uocabantur, ut Dion docet libro quadrageſimoſexto. Hic Attiæ filiæ ſororis Cæſaris occiſi filius, Caius Octauius Cæpia dicebatur, autore eodem Dione lib. 45.

3. Qui Cæſari.)

Antiquus liber, Cæſaris. Eſt hic C. Iulius Cæſar, Cæſaris Auguſti adoptione pater. Præfecerat autem, quo anno fuit interemptus, Lepidum Galliæ Narbonenſi & uicinæ Hiſpaniæ parti, inquit Dion in fine lib. 43. Sed tamen Romæ tunc erat, Lepidus quando fuit interfectus Cæſar.

4. Apud Peruſium.)

Sic omnes noſtri libri. Peruſia tamen frequentius fœminino genere apud Latinos.

5. L. Ventidius.)

Dion P. *pro* L. *appellat.* Aulus Gellius *lib.15.cap.4.*

6. Anno poſtquam Conſul.)

Vetus liber, Poſt hic non habet, multiſq; huiuſmodi orationibus omittit.

7. Obijt autem LXXVI anno.)

Octauianus Auguſtus, M. Cicerone, C. Antonio Coſſ. natus, Pompeio & Apuleio Coſſ. anno ætatis ſeptuageſimo ſexto animam cœleſtem (utar Paterculi uerbis) cœlo reddidit. Hoc fuit anno Chriſti XVI, *ut putant. Alij autem Nolæ mortuum eſſe ſcribunt, hic Atellæ. habet autem Atello pro Atella, uetus liber.*

8. Et Salaſſos.)

Vetus liber, & Caloſos in Alpibus. ſed Salaſſos apud Suetonium, & alios.

9. Qui priuignus, mox gener.)

C. OCTAVIANI CAESARIS
Auguſti Imperatoris

Pater: { Naturalis, C. Octauius. / Adoptione, C. Iulius Cæſar, cuius nomina geſſit. }

Mater — *Accia, M. Accio Balbo, & Iulia ſorore C. Iulij Cæſaris genita, quæ apud Dionem Aτία ſcribitur.*

Sorores { Octauia maior, quam C. Marcello uiro ſuo mortuo, duxit M. Antonius Triumuir. Plutarchus in Antonij uita.
Octauia minor. }

Vxores { Clodia Fuluiæ filia, M. Antonij eiuſdem priuigna, quam dimiſit intactam.
Scribonia, cum qua fecit diuortium.
Liuia Druſilla, quam Tiberij Neronis (qui fuit pater Tiberij Imperatoris) matrimonio prægnantem abduxit. }

Priuigni per Liuiam { Tiberius Nero, poſt eum Imperator, quem adoptauit.
Druſus Nero, pater Germanici, de cuius genere ſequens tabella. }

Filia — Iulia, ex Scribonia uxore: hanc unam habuit.

Generi { Marcellus, Octauiæ maioris ſororis filius: & eo mortuo,
M. Agrippa, dimiſſa Marcella Octauiæ maioris filia, eoq; mortuo: M. Valerio, P. Sulpitio Coſſ. (Dion lib. 54.)
Tiberius Nero Imperator, priuignus. }

Nepos

Nepotes ex iiſdem Agrippa & Iulia:
- Caius Cæſar, Lucius Cæſar — quos infantes adoptauit, unde Cæſares dicti ſunt: ut Tacitus libro 1. Dion lib. 54.
- Agrippa Poſthumus, quem etiam adoptauit illis mortuis, ſed poſtea abdicauit.
- Iulia, quam duxit L. Paulus Cenſoris filius.
- Agrippina, quam Germanico, de quo mox, collocauit. Suetonius in Auguſto.

10. Qui apud Moguntiacum monumentum.)

Sic antiquus liber, & hic & infrà, ubi de Galieno, fœmineo genere, à recto Moguntiacus, quem inuenies apud Ammianum libro decimoquinto: at Moguntiacum in Hieronymi epiſtola quadam ad Geronțiam, Maiance.

11. Monumentum habet.)

Id eſt, ut refert Suetonius, honorarium tumulum, à ſuis excitatum militibus. Eius enim corpus deuectum Romam, ſepultum fuit in campo Martio.

12. Nero, Caligulæ auunculo ſuo.)

Sic noſter uetus.

GERMANICI CAESARIS, AD quem ſcribit Ouidius libros Faſtorum.

Pater { *Naturalis, Claudius Druſus Nero, priuignus Octauiani Auguſti: cui in caſtris contra Germanos mortuo, Senatus cognomẽ Germanici & eius poſteris decreuit. Sueton. in Claudio.* / *Adoptione, Tiberius Imperator, patruus eius.*

Mater — *Antonia iunior, M. Antonij Triumuiri & Octauiæ ſororis Octauiani Auguſti filia. Plutarch. in Antonio.*

Frater { *Naturalis, Claudius Imperator.* / *Adoptione, Druſus filius Tiberij Aug. ita fratrem appellat Ouidius lib. 1. Faſtorum.*

Soror — *Liuilla.*

Vxor — *Agrippina, M. Agrippæ & Iuliæ Octauiani Auguſt. filia.*

Liberi { *Nero, non crudelis ille Imperator.* / *Druſus,* / *C. Caligula Imperator.* / *Agrippina, mater Neronis Imperatoris.* / *Druſilla.* / *Liuilla. Hæc ex Suetonio, Tacito, Dione, Eutropio, Victore, & alijs.*

Cæſar autem eſt ideo appellatus hic Germanicus, quòd à Tiberio Cæſare fuiſſet adoptatus: quem Tiberium adoptatus & ipſe Octauianus Auguſtus, in Cæſarum familiam induxerat, ita appellati ſunt alij quoque

que multi, qui Romano Imperio nunquam præfuerunt: ueluti Caius, Lucius, Agrippæ Cæſares, filij M. Agrippæ, cũ eos Octauianus Auguſtus adoptaſſet. Vide Cornelium Tacitum.

13. Quæ blatteis.)

Vetus liber, blattinis: & mox Proſtrauit, pro proſtituit.

14. Huic Sergius Galba.)

In ueteri lib. Seruilius Galba.

15. Exequias Nero.)

Hic & initio libri noni, exequiæ pro reliquijs, cineribus, oßibúsue mortuorum.

16. Erecta coma, & capite eius ſubiect.)

Quidam non habent Eius. Vetus liber, erecta coma capitis, & ſubiecto. Legendum forſitan ex Suetonio, reducta coma à capite.

17. Inſulam Vectam.)

Sic per à omnes libri noſtri Vectam ſcribunt: apud Plinium tamen Vectis recto caſu legitur.

18. Amicis erant.)

Vetus liber, egerat, ſingulari numero, pro erant. ſed Tracheam non habet: quod eſt in omnibus alijs. Eſt autem duplex Cilicia apud Geographos, quarum altera Trachea.

19. Romæ quoque.)

Miror quid ſit, quod hæc de Domitiani Romæ operibus, omnia ferè ad uerbum in Latino Euſebij Chronico reperiantur: atque uellem, Domitius Calderinus, Cælius Rhodiginus, Barptolomæus Marlianus,

& nonnulli alij diligentius quæſiſſent, monſtraſſentq́; quid ſint Forum Neruæ, Forum Traiani, Forum Tranſitorium, Forum Metodeum, Odeum, Iſeum, Serapeum. *Primùm enim dubium eſſe poteſt, unúm ne forum ſit, an duo,* Neruæ *&* Traiani *forum: quòd* Traianus *à* Nerua *adoptatus,* Nerua *quoq; dictus fuerit.* Deinde *cum* Tranſitorium Neruæ *forum uocet in* Alexandro Imperatore Lampridius; *utrum* Traiani *μετώδειον, an μεθόδειον uocauerint* Græci, *quorum libros etiam deprauarunt ueteres librarij. nam* Methodeon *&* Tranſitoriū *idem ſignificare uidetur: ſed* Metodeon *aliud, quaſi dictus ex* Latino *&* Græco, Poſtodeum *aut* Tranſodeum. *ᾠδεῖον autem tradunt locum fuiſſe à* Poetarū *carminibus appellatum, ἀπὸ τῆς ᾠδῆς, ut eſt apud* Suidam, *quod eſt carmen & cantus: in quibus nominibus, ut & in* Iſeo *&* Serapeo, *eſt penultima ſyllaba ει diphthongus, quæ à* Latinis *ſolet in i & in e longum conuerti.* Poſtremò *ſunt hæc uocabula apud ueteres autores, præſertim* Latinos, *ita corrupta, ut multis locis quomodo legas, ſit ualde incertum.* In Suetonij *nanq;* Domitiano, *&* Euſebij *Chronicis,* Odium *&* Methodium *pro eodem inuenies. apud* Euſebium *eundem* Hiſuium, *pro* Iſium: *&* Diuorum porticus Iſium, *pro* Odeum, porticus, Iſium: *quemadmodum & uetus quoq;* Eutropius *ſcribebat.*

IN LIBRVM VIII.

1. Anno octingenteſimo & quinquageſimo ab urbe.)

HÆ Eutropij *rationes non placent* Paulo Oroſio, *qui ad hunc modum ſcribit libro ſeptimo:*

Anno

Anno ab Vrbe condita DCCCXLVI (*quamuis Eutropius quinquageſimum hunc eſſe annum ſcripſerit*) *Nerua admodum ſenex,& reliqu.* Neutras *autem probant Chronologi noſtri,qui putant Veteris & Valentis conſulatum incidiſſe in annum Vrbis conditæ* DCCCXLVIII. *Erunt itaq; poſthac ſemper maiores Eutropij rationes, quas adhuc minores oſtendimus.*

2. Decibalo.)

Vetus liber,Decebalo.ſic apud Dionem,& Tzetzen cap.34 Δεκέβαλον *inuenies.*

3. Sarmato Syriæ.)

Quidam ex impreſſis,alij Pharmatoſyre. ſcriptus liber, Pharnace Syro. Hæc omnia mendoſa. Eundem regem uocat Parthamaſyren,Dion in Traiano.

4. Adiabenos.)

Pro hoc habet uetus liber Carduenos: qui & Marchomedos ſcribit,quos alij Marchomodos,alij Marchomodes nominant: & Anthemuſium, quod quidam Antemuſium, alij Anthemurium ſcriptum habent, pro quo fortaſſe legendum Anthemuſiam: & mox etiam Meſſenios,quos alij Eſſenios appellant.

5. Menſe nono.)

Menſe primo,habet Vetus liber; alij, uno, pro nono.

6. Oſſa eius collocata in urna aurea.)

Antiquus, Oſſa collata in urnam auream.

7. CXLIIII pedes.)

Vetus liber: alij CXL *pedes.*

8. Boionius.)

Sic habet antiquus liber, qui & uillam Antonini Lorium appellat, quemadmodum apud Iulium Capitolinum quoq; legimus: quam alij noſtri libri & Sexti Victoris Epitome, Lorios nuncupant.

9. Hi & genere inter.)

De eorum genere hæc ex Dione, Herodiano, Lampridio, Eutropio & alijs.

M. ANNII VERI ANTONINI Philoſophi Imperatoris

Pater { Naturalis, *Annius Verus.* Adoptione, *T. Aurelius Fuluius Boionius Antoninus Pius Imperator.* }

Mater — *Domitia Caluilla.*

Amita — *Annia Valeria Fauſtina, Antonini Pij Imperatoris uxor*

Frater — *Adoptione per Antoninum Pium Imperatorem Lucius Aurelius Verus Commodus Antoninus, qui ſimul imperauit, filius L. Ceionij Commodi Ælij Veri adoptati ab Adriano, & mortui ante Adrianum.*

Soror — *Annia Cornificina.*

Socer — *Antoninus Pius Imperator, qui & eius adoptione pater*

Vxor — *Annia Valeria Fauſtina, filia ſupradicti Antonini Pij Imperatoris.*

Liberi

Liberi {
L. Antoninus Cõmodus ex adulterio natus eiuſdem Fauſtinæ, poſt patrem Imp.
Verißimus, qui admodum paruulus obijt.
Lucilla, Auguſta, coniunx L. Aurelij Veri Antonini, qui ſuprà dictus eſt frater adoptione per Antoninũ Pium, & alij.

Gener —*L. ille Verus Antoninus, qui ſimul imperauit, adoptione frater.*

10. Per uxorem Galeriam.)

Hoc pro Valeriam. nam frequens & ſine diſcrimine barbaro ſeculo, Valerius, Vualerius, & Galerius Gualerius. Sic Vaſco, Vuaſco, Guaſco, Gaſco: Vulielmus, Gulielmus, & alia multa.

11. Subito ſanguine ictus, caſu morbi quem Græci ἀπόπληξιν uocant.)

Ita habent libri noſtri omnes. at Sexti Victoris Epitome, Ictu ſanguinis, quem morbum Græci ἀπόπληξιν uocant. Hoc autem miror, quid ſibi uelit: nec uideo quibus rationibus apud medicos conſiſtere poßit. Res tamen plana eſt ex Iulio Capitolino ad hunc modum: L. Verus in itinere apoplexia correptus fuit. depoſuerunt eum è uehiculo, atq; grauiter laboranti cõfeſtim medicus ſanguinem detraxit. perductus eſt inde Altinum planè mutus, ubi eo morbo tertio die obijt.

12. A principio uitæ.)

Hæc & multa deinceps alia miror quomodo ad uerbum in Epitome Sexti Victoris reperiantur.

13. Per Sextum Chæronenſem.)

Vetus liber, Sextum non habet: quanuis ita diceretur ille Plutarchi nepos, atq; ita appellat Capitolinus in uita Antonini, & Apuleius initio ſui Aſini, quando de genere ſuo agit.

14. Apud Carnuntum.)

Ita apud Ammianum libro trigeſimo. at in antiquo libro additur ſyllaba, Carnuntium. Illyriorum oppidum.

15. Et Murrhina.)

